117

8° O. 259. B.f.

Digitized by Google

Digitized by Google


MISCELLANEORUM

EX MSS. LIBRIS

BIBLIOTHECÆ
COLLEGII ROMANI

SOCIETATIS JESU

TOMUS II.



ROMÆ MDCCLVII.

APUD FRATRES PALEARINOS

PRÆSIDUM FACULTATE.

Proſtant in Bibliopolio Palladis in Platea vulgo di Paſquino.

Geo Fred Nott

Digitized by Google

BIBLIOTHECA BODLEIANA

PONTIFICUM ROM.
EPISTOLÆ XXX
SÆCULO XIII SCRIPTÆ

AONII PALEARII EPISTOLÆ XXV

M. ANTONII MURETI

ET AD MURETUM

PAULI MANUTII, DIONYSII LAMBINI, JUSTI LIPSII
PETRI MORINI, ALIORUMQUE VIRORUM CLARISS.

EPISTOLÆ SELECTÆ

ACCESSERUNT

GRÆCORUM SCRIPTORUM ALIÆ NONNULLÆ
A LEONE ALLATIO OLIM RECENSITÆ
OMNES EX CODD. MSS.
BIBLIOTHECÆ COLLEGII ROMANI S. J.

NUNC PRIMUM EDITÆ.



ROMÆ MDCCLVIII
EX TYPOGRAPHIA PALLADIS

SUMTIBUS NICOLAI, ET MARCI PALEARINII
PRÆSIDUM FACULTATE.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

ALBERICO
CARD. ARCHINTO

S. R. E. VICE-CANCELLARIO

ET SECRETARIO STATUS.

NICOLAUS PALEARINIUS F.

EX longa diuturnaque peregrinatione, qua Angliam, Galliam, & Germaniæ partem luſtravi, hunc ego cœpi fructum, ALBERICE *Cardinalis Ampliſſime, non*

Digitized by Google

ſolum ut externos homines, qui in his ſunt regionibus, eximios nobiliſſimoſque viderem, ſed ut noſtros, qui Romæ præſertim vivunt, atque ante oculos quotidie verſantur, cognoſcerem. Nam quorum corpora Urbem, externas terras fama, nominiſque gloria inhabitat. Eorum vero, qui ad illa quoque loca aliquando venerunt, quæ ego vidi impreſſa veſtigia integritatis, continentiæ, liberalitatis, virtutum omnium! Itaque quales eſſent, tum denique cum ab eorum oculis abſui, plane perſpexi, non ex præſenti corporis forma, ſed partim ex aliorum, tunc cum minime aſsentari poſſunt, prædicatione, partim ex imagine virtutum, quam iis in locis reliquerunt. Ex iis ſi Te unum eſſe dixero, qui ampliſſimæ atque antiquiſſimæ Familiæ communibus ornamentis, eximias has virtutum laudes adjeceris & tuas, cum excellenti doctrina, & ſingulari litterarum amore conjunctas; non equidem vereor, ne aſſentationi dare videar, quæ vera eſſe omnes homines fateantur, ſed metuo ne offendam modeſtiam tuam. Itaque a prædicandis tuis laudibus, quæ extremas Europæ regiones pervaſerunt, abſtinebo. Illud dicam tantum-
modo,

modo, quod omnes vel me tacente vident, Te ardentiſſimo & flagranti in litteras amore adductum, conquirendis doctorum hominum libris & præclariſſimis monumentis, atque in noſtras has regiones adſportandis, opibus nimirum & mercibus quæ precioſiſſimæ ſunt, cùm Bibliothecam tuam, tùm vero Romam, atque Italiam locupletaſſe. Merces ergo hujuſmodi aliquas ipſe quoque expoſiturus, cui eas potiſſimum dedicarem, & primo veluti offerrem, quam Tibi, cujus eximia exſtat in iis colligendis diligentia, atque in dijudicandis facultas omnino ſingularis? præſertim cum & illos, quorum ipſæ ſunt, id maxime velle intelligerem, & is qui eas diſpoſuit recenſuitque, eo etiam nomine, ut id facerem ſuaderet, quod ſunt ex his nonnullæ, quæ peritum atque intelligentem æſtimatorem poſtulant; ſive quod ſpeciem habeant non ita præclaram, & aſpectu venuſtam; ſive quod obſoluerit earum uſus, in hac corrupta apud multos ſtudiorum & ſcientiæ diſciplina. Sed Tu, Cardinalis ampliſſime, eas apud omnes auctoritate nominis tui tueberis atque ornabis. Me vero, qui operas, & ſumptus, ut illæ producantur & veniant in hominum manus, contuli,

 qui-

quique Romæ hanc pœne intermortuam proferendorum id genus monumentorum curam excitavi, ſi in clientelam tuam recipies, ſi conatus hoſce meos ad fovendas amplificandaſque bonas artes, & voluntatem probabis; fructum ero ampliſſimum atque optatiſſimum conſecutus.

PETRUS

INDEX EPISTOLARUM

Romanorum Pontificum

1. *Clementis IV. Carolo Andegavenſi.* Pag. 1.
2. —— *Marchionibus &c. Thuſciæ.* 5.
3. *Innocentii V. Carolo Regi Siciliæ.* 9.
4. *Martini V. Eidem.* 19.
5. —— *Populo Urbis.* 29.
6. *Honorii IV. Eidem.* 30.
7. *Martini V. Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum.* 32.
8. —— *Carolo Principi Salernitano.* 34.
9. —— *Petro Regi Aragonum.* 35.
10. —— *Philippo de Lavena.* 38.
11. —— *Contra Petrum Regem Aragonum.* ibid.
12. —— *Contra eumdem.* 44.
13. —— *Epiſcopo Caſtellanetenſi.* 51.
14. —— *Anconitanis.* 54.
15. —— *Carolo Regi Siciliæ.* 56.
16. —— *Univerſitatibus Neapolitan. &c.* 58.
17. —— *Contra Petrum Regem Aragonum.* 63.
18. —— *Contra eumdem.* 74.
19. —— *Contra eumdem.* 88.
20. *Honorii IV. De Reſervatione a Proviſione generali.* 92.
21. —— *Gerardo Legato.* 93.

22. *Honorii IV. Contra Alphonſum Petri filium.* 96.
23. —— *Contra Jacobum Alphonſi fratrem.* 100.
24. —— *Bonifacio Ravenn. & Petro Montiſregalis Archiep.* 103.
25. —— *Regi Angliæ.* 104.
26. —— *Eidem.* 105.
27. *Nicolai IV. Gerardo Legato.* 106.
28. —— *Eidem.* 108.
29. —— *Simoni Legato.* 108.
30. —— *Petro Archiepiſcopo Montiſregalis.* 110.

AONII PALEARII

1. —— *Octavio Vicecomiti.* 143.
2. —— *Eidem.* 144.
3. —— *V. F. V.* 145.
4. —— *Andreæ Marino.* 146.
5. —— *Herculi Vicecomiti.* 147.
6. —— *P.N.* 149.
7. —— *H. S. C.* 150.
8. —— *V.* 151.
9. —— *M.P.* 152.
10. —— *Ma.* 153.
11. —— *An. M.* 154.
12. —— *Andreæ Rapicio.* 155.
13. —— *Antonio Veranto.* 158.
14. —— *Senatui Mediolanenſi.* 161.
15. —— *Ferdinando Imperatori.* 162.
16. —— *Nicolao Perrenoto.* 164.
17. —— *Baſilio Amerbachio.* 166.
18. —— *Eidem.* 167.

Ao-

AONII PALEARII

19. —— Petro Paulo Origonio. 168.
20. —— Jo. Michaeli Bruto. 169.
21. —— Ad Ducem Florentiæ. 172.
22. —— Ad Senatum Mediolanenſem. 173.
23. —— Supplicatio. 174.
24. ——— Philippo Regi. 176.
25. ——— Senatui. 180.
—— Carmina Carolo Auſtrio. 182.
—— Epiſtola uxori. 184.
——— filiis. 185.

M.A. MURETI ET AD MURETUM CLAR. VIR.

1. —— Ripario. 365.
2. ——— Eidem. 366.
3. ——— Eidem. 367.
4. ——— Eidem. 367.
5. ——— Eidem. 368.
6. ——— Eidem. 369.
7. —— Herculi Ciofano. 369.
8. ——— Eidem. 370.
9. ——— Eidem. 372.
10. ——— Eidem. 372.
11. ——— Eidem. 373.
12. ——— Eidem. 374.
13. ——— Eidem. 375.
14. —— Meliſſo. 376.
15. —— Angelello. 377.
16. —— Poleario. 378.
17. —— Andr. Auſtr. 379.

M.A. MURETI

18. —— *Philoſophiæ ſtudioſis.* 380.
19. —— *Alexio Paganuccio.* 385.
20. —— *Hieronymo Ottobono.* 386.

AD MURETUM

21. —— *Pauli Manutii.* 387.
22. ———— *Ejuſdem.* 388.
23. ———— *Ejuſdem.* 389.
24. ———— *Ejuſdem.* 390.
25. ———— *Ejuſdem.* 392.
26. ———— *Ejuſdem.* 394.
27. ———— *Ejuſdem.* 395.
28. ———— *Ejuſdem.* 399.
29. ———— *Ejuſdem.* 400.
30. —— *Aldi Manutii.* 401.
31. —— *Dionyſii Lambini.* 404.
32. ———— *Ejuſdem.* 418.
33. ———— *Ejuſdem.* 420.
34. ———— *Ejuſdem.* 423.
35. ———— *Ejuſdem.* 424.
36. ———— *Ejuſdem.* 426.
37. ———— *Ejuſdem.* 428.
38. ———— *Ejuſdem.* 430.
39. —— *Achillis Statii.* 435.
40. —— *Caroli Sigonii.* 437.
41. ———— *Ejuſdem.* 438.
42. ———— *Ejuſdem.* 440.
43. —— *Alexandri Rocii.* 441.
44. —— *Petri Merini.* 442.

AD

AD MURETUM
45. —— *Petri Morini.* 444.
46. ———— *Ejuſdem.* 446.
47. ———— *Ejuſdem.* 447.
48. ———— *Ejuſdem.* 449.
49. ———— *Ejuſdem.* 450.
50. ———— *Ejuſdem.* 452.
51. ———— *Ejuſdem.* 453.
52. ———— *Ejuſdem.* 454.
53. ———— *Ejuſdem.* 455.
54. —— *Hippolyti Card. Eſtenſis.* 457.
55. ———— *Ejuſdem.* 458.
56. —— *Horatii Cardaneti.* 459.
57. ———— *Ejuſdem.* 462.
58. —— *Oberti Giphanii.* 464.
59. —— *Juſti Lipſii.* 467.
60. ———— *Ejuſdem.* 470.
61. ———— *Ejuſdem.* 473.
62. ———— *Ejuſdem Paulo Manutio.* 474.
63. ———— *Ejuſdem F. Urſino.* 477.
64. ———— *Ejuſdem.* 478.
65. ———— *Ejuſdem.* 481.
66. —— *Hugonis Blotii.* 485.
67. ———— *Ejuſdem.* 487.
68. —— *Jo. Caſelii.* 490.
69. ———— *Ejuſdem.* 492.
70. —— *Lævini Torrentii.* 494.
71. ———— *Ejuſdem.* 495.
72. —— *Io. Biſſonerii.* 497.

AD MURETUM

73. —— *Jo. Biſſonerii.* 501.
74. —— —— *Ejuſdem.* 503.
75. —— —— *Ejuſdem.* 505.
76. —— *Gilberti Mallocii.* 508.
77. —— *Meliſſi.* 511.
78. —— —— *Ejuſdem Gregorio XIII.* 512.
79 —— —— *Ejuſdem.* 515.
80. —— —— *Ejuſdem.* 516.
81. —— *B. Parthenii.* 517.
82. —— *Pelufii Crotoniatæ.* 520.
83. —— *Epiſcopi Reatini.* 521.
84. —— *Aſcanii Columnæ.* 522.
85. —— *Balthaſaris Anſidei.* 524.
86. —— *Juliani Medices.* 527.
87. —— *Petri Fabri.* 529.
88. —— *Alani Copi.*
Mureti Oratio pro Jo. Epiſcopio Militiæ Melitenſis Magno Magiſtro ad Gegorium XIII. 533.
——*Alterius Orationis fragmentum.* 538.
Nicolai Conſtantinopolitani Patriarchæ Ep.Græcæ. 549.
Theodori Nicæni Epiſtolæ Græca. 553.
Theodori Prodromi Epiſtolæ Græcæ tres. 564.

PETRUS

PETRUS LAZERI SOC. JESU

LECTORI.

SERIUS omnino quam initio conſtitueram, atque operis incœpti ratio poſtulare videbatur, hanc clariſſimorum hominum partem alteram epiſtolarum profero in lucem: cujus longioris intervalli nulla fuit alia cauſa, præter abſentiam illius, per quem erat alia pars edita, edi autem iſta etiam deberet. Sed, ut ſcite eſt a Catone dictum, & ab Hieronymo poſtea [1] uſurpatum; *Sat cito, ſi ſat bene*: ut bene vero res inſtituta a nobis procedere videretur, pro virili curavimus; ideſt ut præſtantiſſima doctorum hominum ſcripta (relictis multis, quæ in forulis aſſervantur Bibliothecæ hujus) & maxime utilia eligeremus. Sed quid nomine hoc *utilium* complectamur, neceſſe eſt hoc loco explicemus: nam utilitatem ſuo quiſque unius commodo definire ſolet; cetera inutilia, levia, futilia, ſupervacanea prædicare. Ego tres video eſſe præcipuas proferendorum Scriptorum cauſas; quarum illa prima, ut Hiſtoriæ, ſive aliarum diſciplinarum obſcuris ma-

[1] Ep. 66. edit. Vallarſ. n. 9.

maxime rebus lux accedat; quodque antea ignotum erat, aut dubium, nunc plane ſit perſpectum, & confirmatum. Hanc ſi ego eſſe debere cauſam vel præcipuam educendorum operum negem, rei plane videar, quam inſtituo, totius ignarus. Verum quotuſquiſque invenitur, qui magnam hujuſmodi monumentorum ſilvam, eamque incæduam domi habeat? qui ſi id genus unum aut alterum nanciſcamur, magno nos affectos munere, magno obſtringere poſſe alios beneficio, remque ipſam publicam litterariam arbitramur. Ergo ſunt præter hanc cauſæ aliæ duæ, quarum altera hominum antiquitati atque auctoritati & nominis famæ aliquid tribuit, cavetque ut quicquam eorum, quæ ab illis elaborata eſſe conſtat, intereat; itaque horum omnia cupidiſſime colligit, atque evulgat: altera ſeverioribus iſtis e media Philoſophia aut Theologia, ſive Hiſtoria litteris has quoque adjungit quæ humaniores ſunt, & dici conſueverunt, &, ſi quid pure, nitide, eleganter ſcriptum inveniat, ſinit ſe orationis ſuavitate, quaſi quodam aurium lenocinio duci, hominibuſque ceteris impertit. Utraque vel alterutra potius harum cauſarum tueri poteſt Socraticorum illas epiſtolas (ut de epiſtolis duntaxat loquar) quas vir Græce doctiſſimus prudentiſſimuſque Allatius edidit; item earum multas, quas M. Muſurus recenſuit, vulgavitque Manutius; vel quæ in *Farragine* altera laconicarum epiſtolarum Gilberti Cognati continentur: ſunt enim antiquorum hominum & clariſſimorum, vel graviter, aut belle, atque eleganter ſcriptæ. Probabiles ergo eſſe has cauſas nemo prudens negaverit, modo veræ ſint, nec illud fiat, ut antiquis nominibus recentiora quædam proferantur; quod de nonnullis earum epiſtolarum, quas diximus, Godefridus Olearius, Pearſonus, Menagius judicarunt. Addo etiam, ut in his proferendis, magis quam profuſi, temperantes eſſe velimus. Non enim magnorum hominum magna omnia ſunt; & quemadmodum

modum eſt a Plinio [1] vere atque eleganter dictum, *nemo mortalium omnibus horis ſapit*. Itaque, ut in corporibus effingendis deficere aliquando, & a legitima quaſi forma aberrare natura videtur; cum ſcilicet gibberos homines procreat, cæcos, diſtortos; ita vel ſummi viri *non ſemper intendunt animum*, quod Quintilianus [2] ajebat; non ſemper id quod volunt conſequuntur; vel animo curis aliis diſtracto, ſive triſtitia occupato; vel, ut ajunt, Minerva non favente & obſecundante, ſed repugnante atque invita. Quamobrem bene idem docet, non *omnia, quæ magni auctores dixerint, utique eſſe perfecta*. Quæ quidem ſi nihilominus educere in lucem velimus, operam ipſi noſtram, & famam perdimus hominum illuſtriſſimorum. In aliis quoque, quæ ob nitorem, atque elegantiam ſcripta efferimus, magis eſt adhuc ſervandus modus. Ut enim in iis rebus, in quibus delectatio ſola quæritur, id ſolum probatur, quod eſt excellens; ita ubi eloquentia dumtaxat atque elegantia ſpectatur, quod libenter legas, id vero neceſſe eſt eſſe eximium; ſin minus, contemnitur & repudiatur. Hæc quæ dixi ſi ego præſto, non vereor, ut συναγωγὴν hanc noſtram faſtidioſis ipſis hominibus probem: utrum vero præſtiterim, erit eorum qui illam legent judicare; me certe voluiſſe, non metuo vel juratus affirmare. Sed hæc mittamus; quidque ipſa hac operis noſtri parte continetur, breviter indicemus. Sunt vero primò epiſtolæ Pontificum Romanorum ſæculo XIII. ſcriptæ, quibus hiſtoriam eorum temporum illuſtrari maxime poſſe confidimus. Sequuntur epiſtolæ Aonii Palearii ſcriptoris elegantiſſimi numero XXV. Tertio loco poſuimus M. Antonii Mureti nonnullas, plures vero ad Muretum ipſum Manutii, Lambini, Lipſii, Petri Poſſini, aliorumque virorum ea ætate doctiſſimorum. Denique acceſſit Appendix veluti quædam epi-

1 Lib. 7. cap. 40. 2 Inſt. lib. 10. cap. 1.

epiſtolarum Græcarum, quas edere olim Leo Allatius vir Græce & Latine doctiſſimus volebat; idque palam ſignificavit. Ex ejus adverſariis has habuimus; Mureti illas ex ejuſdem codicibus, qui, ut alias dixi, cum Bibliotheca ejuſdem, fratris filii teſtamento, ad nos pervenerunt. Palearii vero epiſtolæ, partim deſcriptæ ſunt ex libro ms. Canonici Joannis Andreæ Irici Ambroſiani Collegii Doctoris, nimirum priores XVIII.; partim exſtabant in codice quodam noſtro cum hac inſcriptione. *Ex ms. Bibliothecæ Ambroſianæ fol. H.* 72. Epiſtolas vero Pontificum Romanorum ſumpſimus ex apparatu quodam hiſtoriæ Siculæ (Siculas enim res ferme comprehendunt) quem ſatis amplum habemus in libris Rogerii Comitis a Ventimilia. Sed de ſingulis his generibus epiſtolarum dicemus more noſtro ſeparatim. Nolumus enim ipſo in aditu fatigare lectorem; & maxime cupimus ad fructuoſa quæ ſunt loca digitum intendere, quò animadvertere ea facilius nullo ipſius labore poſſit.

EPI-

EPISTOLÆ
ROMANORUM PONTIFICUM
XXX

SÆCULO XIII SCRIPTÆ.

Digitized by Google

IN EPISTOLAS PONTIFICUM ROMANORUM.

QUas primo loco collocavimus hoc libro litteras, eæ ſunt a Pontificibus Romanis: ut vero præponerentur, fecit vel dignitas eorum a quibus ſcriptæ ſunt, vel ipſarum antiquitas; addo etiam, rerum de quibus agunt gravitas & magnitudo. Nam prima, ipſa eſt, qua Carolo Andegavenſi Clemens IV. dignitatem auctoritatemque *Paciarii* contulit.

Paciarii nomen ante hoc ſæculum fortaſſe auditum non eſt, neque hujus dignitatis principibus quibuſdam viris collatæ extant ulla veſtigia: quam etiam nemo, quem viderim, paulo diligentius uberiuſque explicavit. Cauſam non tam nomini quam rei dediſſe videntur quæ ea maxime ætate efferbuere rixæ atque tumultus; cum ſeditionibus, factionibus, & diſcordiis, bellis etiam tota arderet Italia, necnon alia extra Italiam regna atque provinciæ; nec provinciæ aut civitates dumtaxat, ſed domus, & familiæ, ac ejuſdem ſæpe familiæ homines inter ſe odiis & ferro certarent: quamobrem direptiones, cædes, mala plurima, luctuoſiſſimaque quotidie oriebantur. Publice ergo pax ut ſtatueretur a prudentioribus hominibus, Pontificibus præcipue Romanis curabatur, & cum conſtituta fuerat, ne interturbaretur, ad eam ſacramento homines adigebantur; qui repugnarent, aut pacem jam ſancitam everterent, inflictis graviſſimis pœnis coercebantur. Itaque neceſſe erat, ut vir aliquis inſignis, qui quidem eſſet a partium ſtudio alienus, ad id curandum eligeretur, eique auctoritas tanta, quanta ad ea omnia præſtanda neceſſaria eſſet, concederetur. Hæc Paciariorum cauſa & quaſi ortus.

Multo

Multo ante hoc tempus, video paci curandæ & ſeditioſis hominibus coercendis præpoſitos fuiſſe Epiſcopos, quod etiam in epiſtola ex his prima atque altera Clemens commemorat [1]. In Concilio Juliobonenſi [2] decretum eſt. *Ut pax Dei, quæ vulgo Trevia, ſicut ipſe eam initio conſtituerat, firmiter teneatur, & per ſingulas Parœcias, dictis excommunicationibus, renovetur. Qui vero eam obſervare contempſerint, vel aliquatenus fregerint, Epiſcopi ſecundum quod prius conſtitutum eſt, eos judicando, juſtitiam faciant.* Eſt autem hic *juſtitiam facere*, quod vulgus nunc quoque populari ſermone dicit, ideſt in noxios animadvertere; etſi aliter in aliis locis explicaverit eas voces Ducangius [3]. Multo frequentius occurrunt ſimilia Conciliorum decreta hoc Sæculo, ideſt XIII. Satis eſt indicare Toloſanum concilium habitum anno MCCXXIX. aut Monpelienſe paulo antiquius anno MCCXV. *De pace*, ait Toloſanum [4], *ſtatuimus & præcipimus, quod omnes quatuordecimo anno, & ſupra jurent ſervare pacem. Et ſi quis monitus a Diœceſano vel per litteras, vel per nuncium ejus, infra* XV. *dies venire noluerit, ad id cogatur per cenſuram Eccleſiaſticam: & ipſe ſit extra pacem, & homines ſui, ſi ei fuerint; nec aliquis qui ſit in pace teneatur ei in aliquo reſpondere; ipſe autem de conquerentibus reſpondere cogatur. Illud autem juramentum de conſervatione pacis de triennio in triennium renovetur.* Aliaque in hanc rem deinceps ſtatuuntur [5]. Concilium apud Montepeſſulanum [6]; *Quoniam in præſenti Concilio agitur de negotio Jeſu Chriſti, qui pacis eſt auctor, quædam ſuper obſervatione pacis duximus ſtatuenda, quæ volumus firmiter obſervari. Si quis pacem infra* XV. *dies, poſtquam a Diœceſano Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, viva voce, vel per litteras, ſeu per nuntium*

1 *pag. 3. & 7.*

2 *ap. Ordericum Vitalem ad an.* 1080. *lib. 5. pag.* 552. *inter Normannic. Scriptor. Ducheſnii, & in Collect. Harduini t. 6 par. 1. col.* 1598.

3 *Gloſſar. V.* Juſtitiam facere &c.

4 *c.* 28. *Collect. Hard. t. 7 col* 181.

5 *cap.* 29. 30. 31. *&c.*

6 *cap.* 32. *Collect. Hard. to. 6. par. 2. col.* 2050.

nuntium fuerit requiſitus, jurare noluerit; ad id Eccleſiaſtica cenſura cogatur, & ipſe ſit extra pacem &c. Sequuntur[1] id genus decreta multa. Sed quod proximum eſt huic, ſedulo animadvertendum eſt: nam in eo invenitur *Paciarii* nomen: *Qui commonitus a Paciariis infra* XV. *dies juſtitiam ad cognitionem Paciariorum facere* (hic juſtitiam facere eſt *paciſci*, ſive cum adverſario tranſigere) *vel firmare noluerit, Epiſcopus eum excommunicet, & de pace dejiciat, & terram ejus interdicto ſupponat.*

Hi tamen Paciarii non ea erant vel dignitate, vel auctoritate, quam hic volumus. Nam Paciarii noſtri vel ſunt viri ipſi principes, vel Archiepiſcopi, Cardinales, & Apoſtolicæ Sedis Legati. Joannes Villanus[2] narrat, a Nicolao IV. Paciarium miſſum Florentiam Latinum Ord. Præd. Cardinalem Legatum; *Ordinò Paciaro, e Legato Fra Latino Cardinale, ch' era in Romagna per la Chieſa, buono di grande autorità, e ſcienza grande appreſſo il Papa.* Waddingus[3] munus hujuſmodi delatum refert Veſiano Ord. Min. Archiepiſcopo Capuano Rectori Campaniæ & maritimæ plagæ. Habuit id quoque, ut Paciarius eſſet, Petrus S.Mariæ novæ Diaconus Cardinalis, ex diplomate apud Raynaldum[4]. Ex Laicis Principibus, præter hunc noſtrum, conſtitutus eſt Paciarius Carolus Valeſius a Bonifacio VIII. ut tradit Villanus[5]; *E oltre a queſto le diede titolo di Paciaro in Toſcana*: quod mox etiam repetit[6]; *E per inteſtamento de' Guelfi di Firenze sì li diede titolo di Paciaro in Toſcana, e ordinò che veniſſe alla Città di Firenze.*

Quæ autem eſſet Paciariorum auctoritas, cognoſcimus ex litteris, quibus Veſiano[7] apud Waddingum poteſtas confertur, *inter quaſcumque perſonas provinciarum ipſarum ...... invicem diſſidentes tractandi, ordinandi, & faciendi*

1 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 2 *lib.7. cap. 56.*
3 Diplom. *n. 94. tom. 8. edit. nov. pag. 411.* 4 *ad an. 1296. n. 1.*
5 *lib. 8. cap. 42.* 6 *cap. 48.* 7 *l. all.*

ciendi pacem atque concordiam; & treuguas etiam ineundi; necnon pacem, concordiam, & treuguas hujuſmodi, juramentorum interpoſitionibus, pœnarum adjectionibus, & aliis firmitatibus vallandi & roborandi, turbatores quoque, & impeditores pacis ... per cenſuram Eccleſiaſticam, per temporalem diſtrictionem ... appellatione poſtpoſita, compeſcendi. Sed longius abeundum non eſt, ut quæ Paciarii nomine Carolo auctoritas accederet, intelligamus. Noſtræ hæ, quas vulgamus, ſignificant [1], & extant Clementis ejuſdem litteræ [2] Vicario Urbis, quibus id quidem narrat, & Carolum Paciarium in Tuſcia conſtitutum, & quæ ejus eſſet poteſtas, quidque hac poteſtate uſus effecerit; *Eidem Regi*, inquit, *de fratrum noſtrorum conſilio pacis tutelam in Tuſciæ finibus, quæ* [3] *vacanti ſubſunt imperio, duximus committendam, eundem inibi Paciarium ſtatuentes, data ſibi ſub certa forma plenaria poteſtate omnes illos qui pacem jurare nollent, aut juratam violare præſumerent, comprehendendi. Cum igitur Rex idem, ſicut Eccleſiæ fidelis filius devotiſſimus, onus hujus officii aſſumpſiſſet, & nedum cum benevolis, ſed etiam cum his qui pacem oderunt vellet eſſe pacificus; quia tamen in locis aliquibus pacis filios non invenit, attente conſiderans & prudenter attendens, quod juxta Sanctorum ſententias, pax tantum eſt bonum, ut per ſuum licite quæratur contrarium, ſi nequeat aliter obtineri, ſubegit aliquos manu valida, & nonnullos obſidione vallavit, illuc ſe conferens perſonaliter, ut non ſolum utilius, quin etiam citius, & humanius cœptum tantum negotium conſummetur*. Addit Clemens, ſe, eidem repugnantes & opponentes, vel opem ac conſilium opponentibus præſtantes, *Excommunicationis mucrone percutere*, loca vero, in quibus ſe receperint, *Eccleſiaſticis interdictis ſupponere*. Adverſatos Carolo Senenſes præcipue & Piſanos, conſtat ex alia ejuſdem Urbani epiſtola [4]. Itaque Piſanorum urbem Metropolitica dignitate pri-

1 *pag.* 4. 2 *tom.* 2. *Anecdot. Martene ep.* 512. *col.* 512.
3 *qui.* 4 *ep.* 559. *ib.*

privavit ob eam cauſam, quod *chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Carolum Siciliæ Regem illuſtrem, primo Patiarum, & poſtea Vicarium Imperii per eamdem Eccleſiam in Tuſciam deſtinatum non ſolum recuſaverunt admittere, verum etiam ſe illi præſumpſerunt opponere, ac ipſum multipliciter oppugnare*; ut reſtituta poſtea dignitate, narrat Gregorius X.[1]

At quo tempore Carolus Paciarii munus obtinuit, id nunc vero quærendum eſt. Litteræ noſtræ, quibus hoc Carolo tribuitur, datæ leguntur II. *Non. Jun. an.* III. Clementis ideſt a. 1267. Atque eundem etiam diem habent aliæ, quarum particulam produxit Raynaldus[2], ſive noſtris his ſimiles, ſive eædem potius. Verum inter Clementis Epiſtolas quas Martene protulit, eſt CCCCL.[3] data IV. Id. April. In ea dignitatis hujuſce Carolo collatæ mentio habetur; *In veſtris partibus conſtituendum duximus ad veſtrum beneplacitum Paciarium generalem*. Et quamquam codd. nonnulli habeant *Ad noſtrum beneplacitum vicarium generalem*, prior tamen illa lectio (quæ etiam convenit codici, quem Raynaldus[4] vidit) probatur magis, ex iis quæ ſequuntur; *Ceterum nullus timeat quod ſe faciat partiarium* (ita bene Raynaldus, male Martene *panciarium*) *quem Paciarium nominamus*. In verbulo enim *paciarius & partiarius* ludus eſt quæſitus, qui ſi *Vicarium* ſubſtituimus, omnino perit. Illud tamen malo, quod & Raynaldus habet, *ad noſtrum beneplacitum*. Quod tamen hæc apud Martene epiſtola habeatur maturius aliquando data, nil impedit hanc noſtram. Eſt enim animadverſum præclare a Raynaldo[5], non ſemel, ſed iterum fuiſſe hanc Paciarii dignitatem Carolo a Clemente collatam, ſive confirmatam. Et vero eſt aliqua inter utramque epiſtolam, & muneris ejuſdem aſſignationem diverſitas. Nam primò illa Florentinis ſolis ſcripta eſt, & ad ſolos Florentinos ſpe-

1 *Ex diplomat. Gregor. X. ap. Ughellum in Archiep. Piſan. to. 3. col. 442. edit. nov.* 2 *ad an. 1267. num. 7.* 3 *tom. 2. Anecd. col. 456.*
4 *ad an. 1267. num. 5.* 5 *ad an. 1267. nu. 6. & ad an. 1268. nu. 2.*

ſpectat. Deinde in illa Paciarium facit Carolum Clemens ad *beneplacitum* ſuum; in noſtra ad id tempus, *quo Imperatorem, vel Regem Romanorum a Sede Apoſtolica approbatum regnare contigerit*; tunc vero eo munere fungi prohibetur ultra menſem. Valuiſſe tamen maxime videtur tempus illud, quod commiſſum eſt litteris noſtris. Nam idem Clemens ſcribens Regi Caſtellæ [1], eo legitimo tempore Paciarium futurum Carolum ſignificat, quod litteræ noſtræ aſſignant, adjecta cauſa cur factum id fuerit; *Sciat igitur*, inquit, *tua ſublimitas, quod cum ſublato de medio Manfredo, quondam Dei perſecutore, & noſtro, filii Satanæ familiares ipſius in Tuſciæ & Lombardiæ partibus ſe videntes acephalos Corradini nomen invocare cœpiſſent, jam Tuſci quemdam proditorem Eccleſiæ tamquam ejus Vicarium erexiſſent; nos videntes diſcrimen in limine, pacem per Tuſciam jurari mandavimus, & cariſſimum in Chriſto filium Carolum Regem illuſtrem Siciliæ, non Imperii ſicut quidem mentiuntur in contrarium, ſed pacis conſtituimus ſervatorem: quem ad hoc eò magis idoneum eſſe credimus, quò in partibus illis factus erat robuſtior; Florentinis, Piſtorienſibus, Pratenſibus* (ſic enim legendum omnino eſt, non *Pracenſibus*, ſive *Præjacentibus*, quæ eſt altera lectio peſſima apud eundem Martene) *& quibuſdam aliis in Poteſtatem aſſumptus. Sane ſimilia a noſtris Prædeceſſoribus facta legimus, quæ non ſolum vacante Imperio legitime poſſunt fieri, ſed etiam fluctuante. Cautionem tamen ab eo recepimus, quod Imperio ordinato datum ſibi deponat officium infra menſem.* Datæ ſunt litteræ XVII. Cal. Jul. ideſt di undecimo a noſtris, cum rumores ſparſos Pontifex collegiſſet, vereretur que ne Regem moverent. Ceterum quæ de Florentinis, Piſtorienſibus, Pratenſibus habet, continentur etiam in noſtris; explicantur vero omnia a Saba Malaſpina [2]: ex quo habetur, Vicarium Conradini factum eſſe Conradum Capycium.

Erit

1 *ep. 492. tom. 2. Theſ. Anecd. Mart. col. 499.*
2 *lib. 3. cap. 17. 18. &c.*

Erit fortaſſe qui illud exquirat; cum in litteris Regi Caſtellæ, non Tuſciæ ſolum Clemens, ſed Lombardiæ etiam meminerit, an Paciarii auctoritatem ſola Tuſcia circumſcripſerit; an vero ad Lombardiam propagarit. Non eſt difficile reſpondere; ſive eo tempore quo litteræ noſtræ ſcriptæ ſunt, ſive ante diem V. Kal. Auguſti, aut iis, qui hunc proxime anteceſſerunt, factum illud fuiſſe, neque in Lombardia ſolum, ſed etiam in Flaminia, ſive *Romaniola*. Nam inter diplomata quæ producit Martene, poſt litteras datas Vicario Urbis V. Cal. Auguſti, quibus ſignificatur, Paciarium conſtitutum Carolum, additur; *In eodem modo Prælatis in Tuſcia, & Lombardia conſtitutis* [1].

Sed redeundum eſt ad litteras illas ſcriptas Regi Caſtellæ, in quibus Clemens negat, Carolum Imperii ſervatorem a ſe fuiſſe conſtitutum, licet id nonnulli affirmaverint. *Vicarium*, opinor, intelligit. Et revera nullas vidi, nec reperire potui litteras Clementis, quæ illud hoc anno ab eo factum oſtenderent. Sunt tamen anno ſequente datæ Viterbii XV. Kal. Martii [2], in quibus legitur; *A multo tempore ſciſſuris variis provinciam laceratam ad pacem reducere cupientes, te, cujus in majoribus longe negotiis fidem probavimus & induſtriam, in ipſius Tuſciæ finibus Romano ſubjectis Imperio dudum conſtituimus Paciarium. Sed cum pacis filios in diverſis civitatibus, & locis earum partium non inveneris, immo potius turbatores; ne officii commiſſi tenuitas noſtrum poſſit propoſitum, & tuum impedire proceſſum; nos qui fluctuantis Imperii curam gerimus, te Vicarium ipſius Imperii in dictis partibus conſtituimus generalem*. Meminit hujus muneris ei in Tuſcia conceſſi Gregor. X. [3], & Joannes XXII. [4] Itaque de eo dubitare non licet. Sed ut dixi ad annum ſequentem

1 *col.* 513.
2 *ep.* 625. *ap. Marten. tom.* 2. *Anecd. col.* 587.
3 *in ep. Regi Caſtellæ ap. Raynald. ad an.* 1272. *num.* 37.
4 *Proceſſ. II. in Ludovic. Bavar. t.* 2. *Anec. col.* 650.

MCCLXVIII. pertinet. Erravit ergo, & vulgi opinionem, quam Clemens ipſe damnat, ſecutus eſt Monachus Patavinus[1]; *Anno D.MCCLXVII. Rex Carolus regno ſubacto Siciliæ venit Viterbium ad revocandum Papam Clementem, & ibidem eſt ab eo Vicarius Imperii conſtitutus*: niſi hoc non Scriptoris ipſius, ſed librarii peccatum ſit, qui pro *Paciario*, nomine fortaſſe & munere ignoto, quod erat ei notiſſimum *Vicarium* ſubſtituerit, quemadmodum in litteris ſupra ex Martene allatis factum in aliquibus codicibus deprehendimus. Eſt præterea in iiſdem litteris, Carolum a *Florentinis, Piſtorienſibus, Pratenſibus, & quibuſdam aliis in Poteſtatem aſſumptum fuiſſe*. Id etiam apertius in litteris Cardinalis Sanctæ Cæciliæ[2]; *Rex vero Siciliæ cariſſimus in Chriſto Filius noſter nobiſcum eſt Viterbii, quem vacante Imperio Capitaneum Tuſciæ proponimus conſtituere. Etiam Florentini, Lucani, Piſtorienſes, & quædam alia loca celebria eumdem Poteſtatem uſque ad Calendas Januarii, & inde ad ſex annos continuos elegerunt, & per eum hodie gubernantur*. Idem habet in epiſtola Epiſcopo Albanenſi[3], & Card. s. Hadriani[4]: Gregorius vero X.[5] hoc & in urbibus Lombardiæ quibuſdam conſecutum eum narrat; *Porro cum ad Vicariam in Tuſcia, chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Regi Siciliæ illuſtri, ejuſdem ſedis auctoritate commiſſam, & Poteſtarias in quibuſdam Tuſciæ ac Lombardiæ civitatibus a Rege ipſo ejuſdem ſedis tolerantia, ſeu permiſſione ſuſceptas, ipſius petitionis feratur intentio &c.* Uberius etiam hoc idem Gregorius in litteris apud Raynaldum, rem totam explicans[6]; *Pacis autem hujuſmodi eundem Regem a principio conſtituens ſervatorem, deinde ut in commiſſa ſibi Provincia, ſingulis ſuam reddendo juſtitiam, pacem melius conſervaret, cum pax juſtitiæ ſit opus, & fructus, ipſum ut haberet exhibendo omnibus juſtitiæ pote-*

1 *tom. 8. Script. Murator. col. 727. V. & Sabam Maleſpinam lib. 5. c. 6.*
2 *ep. 471. col. 472. Theſ. tom. 2. Marten.* 3 *462. ib. col. 465.*
4 *519. col. 543.* 5 *l. all.* 6 *ad an. 1272. num. 38.*

poteſtatem, Vicarium ſub certa forma in eadem provincia Tuſciæ conſtituit generalem; & demum cum poſt labores innumeros, & expenſas non modicas, reductis rebellibus per ſuum miniſterium toti eidem provinciæ pax ſaltem publica proveniret; idem prædeceſſor, regiminis Regis ipſius utilitate penſata, patienter toleravit, ſeu non indigne permiſit, eumdem Poteſtariæ officium in civitatibus Lombardiæ, quæ illud ſibi offerrent, licite exercere. Animadvertas & illud, in litteris Cardinali s. Cæciliæ, in animo habuiſſe Clementem eundem *Capitaneum Tuſciæ* conſtituere; quod ſignificare forte voluit Jo. Villanus [1], cum Carolum appellat *Campione di s. Chieſa*. Sed nihil hæc ad rem noſtram; nec diutius in hoc Paciarii munere explicando immorari debemus, quod ad primam atque alteram harum epiſtolarum pertinet.

Tertia ea eſt, qua Innocentius V. Anno MCCLXXVI. teſtatur, *homagium*, ut tunc dicebatur, ſibi factum ab eodem Carolo pro Siciliæ regno, & regno Neapolitano: atque *homagii* hujus ſibi præſtiti *Actum* litteris ſuis Pontifex inſeruit. Habemus *homagii* iſtius exempla multa, præſertim apud Baronium. Antiquiſſimum fortaſſe eſt, quod ipſe recitat ad An. MLIX. [2] Roberti Guiſcardi. Aliud ſimile noſtro (quod ab eodem commemoratur) inſeruit Annalibus ſuis Raynaldus [3]; item Caroli II., ſive Claudi, filii Caroli hujus, ſed aliquanto auctius; multo etiam ſimilius, imo geminum Caroli noſtri Joanni XXI. [4]: itaque abſtinuiſſemus ab hoc vulgando, niſi duo, ut id faceremus, ſuaſiſſent; I. Quod integrum, quale noſtrum eſt, cum teſtificatione Pontificis, cui præſtatur, adjunctaque epiſtola, de ſervata cuſtoditaque ſacramenti fide, nullum vidimus. II. Quod voluimus præclarum hoc de Innocentio V. monumentum extare, de quo vix quicquam occurrit in Annales relatum. Addere & illud poſſumus, emendatius aliquantò eſſe noſtrum, quam quod a Raynaldo vulgatum eſt.

1 *lib. 7. c. 62.* 2 *n. 70.* 3 *ad an. 1289. n. 2.* 4 *ad an. 1276. n. 38.*

Quarta epiſtola eo etiam nobilior digniorque viſa eſt quam vulgaremus, quod præclarum omnino monumentum continet collatæ Senatoriæ dignitatis a Romanis Martino IV. Multi id jampridem docuerunt, & teſtes ejus rei produxerunt antiquos Scriptores; imo Raynaldus [1], Romani ipſius populi decretum, Senatorem eligentis Martinum, vulgavit: nemo tamen, quem viderim, hanc epiſtolam, qua etiam ipſum populi decretum continetur: itaque illud iterum producimus, non ſolum, ne litterarum ipſarum partem auferamus, ſed quod teſtium adſcriptorum nomina voluit Raynaldus, neſcio qua de cauſa, reſecare. Gravius multo eſt quod in producenda hac epiſtola peccavit Martene [2]. Partem ejus dumtaxat primam vulgavit, & ad aliud argumentum traduxit: itaque ei fecit hunc titulum; *Ad Regem Siciliæ; ut Pontificalis conſecrationis munus in Urbe ſuſciperet, ſe ſtuduiſſe pacem Romanis procurare; quod ut efficacius obtineret, ipſi commiſiſſe urbis regimen*. Nihil tam alteri diſſimile aut repugnans, nec Hercules quidem χροκωτοφόρος, ut huic argumento illa epiſtola, ſi tota legatur: quod enim de conſecratione ſua habet in Urbe, & in Principis Apoſtolorum Baſilica, præfatio quædam eſt ejus, cujus cauſa ſcribit, ideſt conceſſæ ſibi Senatoriæ dignitatis & ad Carolum tranſlatæ. Sed eam quò melius Martene aptaret argumento ſuo, præter ablatam, ut diximus, extremam partem, *nobis* vertit in *vobis*, levi unius voculæ mutatione, ſed quæ omnem ſenſum pervertit. Addas alia Marteniani exempli menda, ut cum epiſtolæ ferme ipſius initio pro *niteremur pacis fluenta diffundere*, habet *intererunt fluenta diffundere*. Illam ergo nos reſtituimus, integramque dedimus, præſertim cum in poſtrema parte, qua Senatorium munus ſibi delatum Pontifex transfert in Carolum Andegavenſem, res contineatur, quæ eſt quidem a Raynaldo aliiſque tra-

1 *ad an.* 1281. *num.* 15. *col.* 1284.

2 *tom.* 2. *ampliſſimæ Collectionis Martene*

tradita, ſed non ita antiquo atque idoneo teſtimonio confirmata. Subjecta eſt huic epiſtolæ alia epiſtola *Populo Urbis*, eodem argumento.

Sexta, quam huic Martini ſubjunximus, eſt Honorii IV. atque eum locum habuerat in codice noſtro a collectore, quod ſecutus, credo, ſit argumenti ſimilitudinem. Eſt enim de Senatoria dignitate Urbis collata Honorio IV. Atque egregium ſane monumentum haberi debet, quod rem, de qua hactenus viri docti dubitaverunt, decidit. In catalogis, quos legi, Senatorum Urbis, Honorii nomen non comparet, nec hujuſce rei meminere unquam aut Bernardus Guidonis, aut alii ejus vitæ Scriptores. Platina eum ait electum in Pontificem veniſſe Romam, *fratre ejus Pandulpho Senatoriam dignitatem tunc gerente*. Senatorem fuiſſe Pandulphum alii etiam tradunt: itaque etiam Senatoris inſignibus ornatur in cenotaphio, cujus ectypon dedit Cl. P. Abbas Nerinius [1]. Hinc aliquid de Senatoria Honorii ipſius dignitate ſuboluit nonnullis; aſſerere autem auſi non ſunt: quos inter recenſebo recentem Scriptorem vitæ Buſſonis Cl. Raffaelium [2]. Compertam ergo rem facit epiſtola noſtra; atque hinc autumamus, Romam venientem (nam cum epiſtolam ſcriberet, Peruſiæ erat, licèt ſe venturum *e veſtigio* Romam ſignificet) ideo fratrem ejus Pandulphum Senatoria dignitate ornatum inveniſſe, quod ipſius vices gereret, locumque teneret, vel quod in illum (ut Martinus cum Carolo fecerat) eam tranſtuliſſet. Eſt etiam in fine epiſtolæ quod adnotari debeat ad horum temporum inſtituta moreſque cognoſcendos; *nec miremini, quod Bulla non exprimens nomen noſtrum eſt appenſa præſentibus, quæ ante ſolemnia memorata præcedunt, quia hi qui fuerunt*

1 *in monument. Eccleſ. & Monaſt. s. Alexii pag.* 261.

2 *pag.* 198. Non mi è noto, ſe ſia ſtato creato Senatore Onorio IV. Veggo però ſoſtenere nel breve ſuo Pontificato, e nel 1285. cotale impiego il fratello ſuo Pandolfo de' Savelli.

runt hactenus in Romanos electi Pontifices conſueverunt in bullandis litteris, ante ſuum conſecrationis munus modum hujuſmodi obſervare Olim nec nomen ſuum præponere aliis conſueviſſe in inſcriptione litterarum, ſed eum locum datum Archipresbytero, primo ſcilicet eorum, penes quos ſede vacante erat rerum gerendarum poteſtas, tradidit Garnerius [1] ex inſcriptione epiſtolæ Joannis IV. [2], *Dilectiſſimis & ſanctiſſimis Thomiano &c. Hilarus Archipresbyter & ſervans locum ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Joannes Diaconus & in Dei nomine electus* (Joann. IV.) *item Joannes Primicerius & ſervans locum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Joannes ſervus Dei Conſiliarius ejuſdem Apoſtolicæ Sedis*. Mabillonius tamen [3] ideo factum hoc cenſet, quod expectanda tunc eſſet Imperatoris confirmatio, atque ea nondum adveniſſet. De eadem inſcriptione epiſtolæ Baronius [4], & Pagius [5]. Quod pertinet ad nomen Pontificis Bullis inſculptum, fuſe alibi [6] idem Mabillonius.

Septima epiſtola ad Martinum pertinet, atque ea Martinus diſpenſat (ut in vulgari re vulgaribus verbis utamur) ut matrimonium contrahi poſſit inter Franciſcum Creſcentium, & Magdalenam de Inſula, quæ ſe quarto conſanguinitatis gradu attingebant. Lubentes producimus hanc epiſtolam, quod non adeo olim, ut nunc, frequentia fuerint hujuſmodi diſpenſationum exempla. Chriſtianus Lupus [7] primam hujuſmodi diſpenſationem, quam noverit, ait in Eccleſia Latina fuiſſe a Nicolao II. conceſſam Guillelmo Normanniæ Duci & Mathildi Flandrenſi; additque, longe difficiliorem ſe præbuiſſe Innocentium III. ad diſpenſandum quarto cognationis gradu Othonem IV. & filiam Philippi olim Imperatoris. Alibi etiam [8] fuſius in eodem argumento verſatur,

1 *ad Diurnum cap. 2. tit. 1.*
2 *ap. Baronium ad an. 639. n. 6. & Coll. CC. Labbe tom. 5. col. 1717.*
3 *Commentar. in Ord. R. §. 17.* 4 *ad an. 590. num. 10.*
5 *ad an. eumdem num. 8.* 6 *lib. 2. Diplomat. cap. 14. num. 10.*
7 *ad Conc. Rom. Nicolai II. tom. 5. edit. Venet. pag. 110.*
8 *ad can. 21. Conc. Remenſ. Leonis IX. tom. 4. pag. 188.*

tur, docetque, illam rigidiorem diſciplinam, qua inceſtuoſa conjugia dirimebantur, nec diſpenſatio concedebatur, ad Urbani II. tempora viguiſſe; primum, qui diſpenſaverit, fuiſſe Alexandrum III. cum Othone & Philippi filia, ut diximus; quæ quidem diſpenſatio ad pacem Imperio reddendam neceſſaria omnino videbatur; datam etiam ea lege, ut ampliſſima duo monaſteria Otho fundaret, & ceteri qui ad Imperium ſpectabant, largitione eleemoſynarum, precibus, operibuſque piis illud veluti Eccleſiaſticæ diſciplinæ inflictum vulnus curarent: præceſſiſſe quidem diſpenſationes alias; ſed illas non fuiſſe contrahendi matrimonii prævias, *ſed dumtaxat poſteriores male contracti matrimonii toleratrices diſpenſationes*; atque hujuſmodi eſſe illam, quam Guillelmus Normanniæ Dux accepit; item quam Rainerio Hannoniæ Comiti impertitus eſt Gerardus Cameracenſis, ut *Baldricus* Tornacenſis narrat, affirmans hunc ſibi propoſuiſſe B. Gregorii exemplum, cum Anglis ſcilicet diſpenſantis [1]. Concludit ergo Lupus diſputationem ſuam; *Diſpenſationes prævias initiavit Alexander* III., *Innocentius* III. *ac ejus ſucceſſores viam ampliarunt*. Ad *prævias diſpenſationes* pertinere hanc Martini, nemo, opinor, dubitabit. Itaque is quoque accenſendus illis Pontificibus, qui veterem diſciplinæ rigorem temperandum duxerunt.

Octava ejuſdem Martini epiſtola gratulatoria eſt de confirmata a morbo valetudine Caroli Andegavenſis, Carolo Principi Salernitano ejus filio ſcripta. Cum v. Id. Octobris Dominicum eſſe diem ſignificet; colligitur annum, quo ſcripta fuit epiſtola, eſſe MCCLXXXII. Nec fortaſſe eſt, præter hanc epiſtolam, qui his temporibus morbo tentatum Carolum, aut ſanitati reſtitutum tradat.

Epiſtolæ quæ deinceps ſequuntur multæ ad Siculas res pertinent, & acerrimas de eo regno contentiones Petrum inter Aragonenſem, & Carolum Andegavenſem, de quibus

1 *Epiſt.* 64. *lib.* XI. *ind.* 4. (*tom.* 2. *oper. col.* 1155.)

bus gentis illius ſcriptores Nicolaus Specialis [1] (quem poſt Baluzium Muratorius [2] recenſuit) & Bartholomæus de Neocaſtro [3]; Exteri quoque Ricordanus Maleſpina, ſive ejus continuator Jacchettus [4], Jo. Villanus [5], Caffari [6], &c. Habemus & in Cimeliis noſtris dignam, quam aliquando fortaſſe proferamus, Siculæ cladis, & eorum quæ eam præceſſerunt, fuſiori ſtylo contextam narrationem ignoti Auctoris cujuſdam, qui tunc vivebat: ipſe enim codex recentiorem ætatem ferre non poteſt. Eſt ergo ordine hoc noſtro IX. qua Martinus reſpondet Petro Regi Aragonum petenti, ut Sedis Apoſtolicæ legatus mittatur, qui, ſe præſente, expeditionem, & *Crucem*, ut vocabant, adverſus Saracenos indicat: cum nimirum ipſe negotium hoc conficiendum curet. Etſi nota temporis epiſtolæ adſcripta non eſt, ad illud ce te pertinet, quod cladem, quam *Veſperorum Siculorum* nomine vulgo indigitamus, anteceſſit; quando nimirum id moliens Petrus, ut Siciliæ regno potiretur, metuens vero Caroli potentiam, inſtructa claſſe, *diede boce, e levò ſtendale d' andare ſopra i Saracini*, ut ait Villanus [7]. Fuſius id, atque epiſtolam hanc noſtram ſubindicare videtur Guillelmus de Nangis; *Petrus Rex Aragonum navigium parans adverſus Carolum Regem Siciliæ, Siculorum monitu, ne perciperetur quod male conceperat, miſit ad Romanam Curiam ſol mnes nuncios, fingendo ſignificans, quod cum ſumptuoſo, & ſollicito apparatu ad ſervitium Dei, & Eccleſiæ, & exaltationem Fidei Catholicæ, verſus Africam ſuper barbaros potentiæ ſuæ brachium dirigebat*. Ita apud Dacherium [8] ille, & Anonymus apud Ducheſnium [9] omnino verbis iiſdem, ut multa alia. Quin Martinus ipſe in litteris apud Raynaldum [10]: *Nec eum excuſat, ſed accuſat potius, quod ad partes Afri-*

1 *lib.1. Hiſt.* 2 *tom.10. Script. rer. Ital.* 3 *tom.13. Script.*
4 *Addit ad Ricord. cap. 209.* 5 *lib. 7.* 6 *lib. 10.*
7 *lib. 7. c. 60.* 8 *to. XI. vet. edit.* 9 *to.5. Script. Hiſt. Franc. p.* [illegible]
10 *ad an.1283. num. 21.*

Africæ inſulæ prædictæ vicinas diebus aliquibus declinavit; id enim ipſum ideo concinnaſſe probat, immo & convincit eventus, ut opportunitate captata commodius iniquitatem quam conceperat parturiret . . . nec eſſet vel ſit veriſimile, quod eandem Africam, terram quippe diffuſo vaſtam ambitu, refertam incolis non prorſus imbellibus, crebris munitionibus, ut habet fama, non vacuam . . . cum comitiva modica bellatorum ſolus aſſumeret invadendam: cujus epiſtolæ verba hanc noſtram illuſtrant. Repugnare his paulum videtur in Vita Martini [1] Amalricus Augerius, ſcribens, iter in Sardiniam ſimulaſſe Petrum. Explicari tamen poteſt ex iis, quæ, ex vetuſtioribus, opinor, Auctoribus, Fazellus [2] narrat, Petrum, ne ſacræ militiæ profeſſione abuſus ementiendo videretur, primùm Africæ oram circa Hipponenſem urbem incendio vaſtaſſe, deinde Siciliam animo ſpectantem, iter in Corſicam *inſtituiſſe*, ibique expectaſſe, quò Joannis Prochytæ conſilia & conſpiratio evaderet.

Epiſtola x. cavet Martinus, ne Urbsvetus a militibus Petri Regis Aragonum occupetur: præpotens enim erat Ghibellinorum factio, atque ex ea Dux Conſulum artis electus fuerat anno ſuperiori 1581. Nerius de Greca, ut refert Monaldus Monaldeſchi [3]. Præterea, ut idem Martinus Joanni Cardinali s. Cæciliæ ſcribit [4]; Petrus *ad pacificum ſtatum Urbis, patrimonii s. Petri, aliarumque terrarum ipſius Eccleſiæ ſubvertendum, & partes eaſdem ab* (Pontificis) *obedientiæ debito avertendas, nunc per nuncios, nunc per litteras, variis machinationibus nititur, & niſibus fraudulentis inſiſtit*.

Quæ deinceps ſunt epiſtolæ ordine XI. XII. XVII. XVIII. Petri Aragonenſis condemnationem habent, quibus homini Chriſtianis ſacris interdicitur illa formula, qua in hujuſmodi re uti Romani Pontifices conſueverunt. Gabriel Coſſartius [5] ſententiam pariter Martini contra Petrum repræſentatu-

1 *tom. 3. p. 2. Script. Murat. col. 430.* 2 *init. lib. 9.*
3 *Comment. Hiſt. pag 55.* 4 *ap. Martene tom. 2. ampl. coll. col. 1296.*
5 *tom. 11. collect. Conc. par. 1. col. 1186. edit. Pariſ.*

taturus, præfatur; negotium hoc totum damnationis Petri a Pontifice Romano factæ, binis vel ternis hujuſmodi litteris contineri; Epiſtolam unam ſe jam edidiſſe inter Martini epiſtolas [1], ſcriptam Urbevetere die feſto Aſcenſionis Domini anno 1282, ſed eam revera ad Petrum non pertinere, ſed ad eos, qui Siciliam Romanæ Eccleſiæ ſtipendiariam invaſiſſent: itaque male ei titulum feciſſe Binium, quaſi eſſet ſententia excommunicationis adverſus Petrum regem Aragonum lata, cum nihil contra eum nominatim decernatur. Alteram epiſtolam ſive ſententiam, eamque contra Petrum vere latam apud Montemflaſconem XIV. Kal. Decembr. MCCLXXXII. ipſe eo loco exhibet [2]; item tertiam pronuntiatam Urbevetere XII. Kal. April. MCCLXXXIII. [3] Primam harum ediderat antea Ducheſnius [4]; tertiam quoque inſertam litteris Epiſcopi Reatini. Alteram vulgaverat Bzovius [5], ſed male Clementi IV. adſcripſerat; hanc eamdem & tertiam Dacherius [6]: omnes extabant in noſtro codice, annorum, quo latæ fuerunt, ordine collocatæ: ex quo quidem codice vidimus, præter eas quas Labbeus nominavit, multas hoc in negotio interceſſiſſe; quæ ſcilicet Petrum ipſum, aut ejus cauſam damnant. Atque hoc etiam ex iis colligi poteſt, quæ jam ſunt editæ. Raynaldus [7] inſignem vulgavit, quæ codice pariter hoc noſtro continebatur, exorditurque a verbis illis; *Exurgat Dominus, judicet cauſam ſuam*; cui & addit alias nonnullas. Martene [8] ſimilem habet Martini Papæ, datam A. MCCLXXXIII. Sed noſtræ, quas nominavimus, propius etiam ad damnationem Petri ipſius ſpectant, atque oſtendunt, nequaquam eſſe verum, quod Coſſartius ajebat, binis aut ternis litteris rem fuiſſe confectam. Datæ vero ſunt XI. Feria V. in Cœna Do-

1 *ibid. col.* 1146. Cogit nos temporis qualitas.
2 Longa retro ſeries. 3 De inſurgentis in regno Siciliæ.
4 *tom.* 5. *Scriptor. Hiſt. Franc. pag.* 874. 5 *ad a.* 1238. *n.* 15.
6 *tom.* 2. *Spicil. vet. edit. pag.* 649. 7 *ad an.* 1287.
8 *tom.* 2. *ampliſſ. collect. col.* 1294.

Domini, XII. die Aſcenſionis, XVII. die feſto dedicationis Baſilicæ Ss. Apoſtolorum, XVIII. die cœnæ Domini conſequentis anni MCCLXXXIV. Atque his nimirum diebus Excommunicationis ſententias ferri ſolitas a Romano Pontifice, teſtes ſunt veteres ſacrarum cœremoniarum libri; ut Ordo Romanus Mabilloniano ordine XIII.[1], ubi dicitur, *In Cœna Domini Papa reſidet in Faldiſtorio, & leguntur per Cappellanum Excommunicationes, & Diaconus Cardinalis exponit, & ſicut* (in Cod. Vaticano a Gattico edito[2] *ſic*) *de quolibet proceſſu... Ad hoc vero quæri poteſt, quare hoc hodie* (Gattic. *hac die*) *& in Aſcenſione Domini, & in feſto Dedicationis Baſilicæ XII. Apoſtolorum hujuſmodi Excommunicationes fiant, in Eccleſia Dei &c.* Ubi & hoc animadvertendum eſt; quod hic legitur *Dedicatio Baſilicæ XII. Apoſtolorum*, videri eſſe ab imperito librario. Cum enim ex titulo Mabilloniano editus ſit ille cœremonialis liber hoc ipſo tempore, juſſu ſcilicet Gregorii X., ex diplomatibus noſtris, eorumque ſubſcriptionibus, & dierum ratione colligitur, eſſe non poſſe Baſilicæ XII. AA. quæ Kal. Maii facta eſt, ut liquet ex codice Vaticano a Martinello[3] producto; reſtat ergo (neque enim alia proferri poteſt.) ut ſit Baſilicæ Apoſtolorum Petri & Pauli, cujus Dedicationis dies recenſetur in Antiphonario ſæculi ſaltem XII. a Ven. Cardinali Thomaſio producto, atque in additamento ipſo Scriptoris cujuſdam, quod eidem acceſſit[4], menſe Novembri: itaque bene dierum ipſorum ordo procedit, ut cœnæ Domini diem dies Aſcenſionis, atque hunc Dedicatio Baſilicæ Apoſtol. menſe Nov. conſequatur. Et Dedicationem quidem *Baſilicæ Principis Apoſtolorum* diſerte habent litteræ noſtræ[5], & Labbeanæ[6].

Ab

1 *num.* 22. 2 *Act. Select. cæremon. tom.* 1. *pag.* 8.

3 *Rom. ex Ethn. Sacr. p.* 67.

4 Conſtat, me Fr. Franciſcum Monachum S. Sabæ recepiſſe .... anno Domini MCCLXVI. menſ. Novembri in vigilia Dedicationis Baſilicarum P. & P. &c. *tom.* 4. *oper. Thomaſ. pag.* XLII. 5 XVII.

6 *col.* 1197. *tom.* XI. *part.* I.

Ab his diebus,quibus excommunicationis ſententia ferri conſuevit,ſejungendi ſunt alii dies,qui pro *peremptoriis terminis*, ut ibidem dicitur,aſſignantur, dies *Aſſ.*B.V., *S.Michaelis &c.* quos quidem aſſignari antea debere, decernit Gregorius X. in Lugdunenſi [1], & inter Pontificia decreta relatum eſt [2]; *Statuimus quoque, ut inter monitiones, quas, ut canonice promulgetur Excommunicationis ſententia, ſtatuunt jura præmitti, Judices ſive monitionibus tribus utantur, ſive una pro omnibus obſervent aliquorum dierum competentia intervalla, niſi facti neceſſitas aliter ea ſuaſerit moderanda*. De his & Pontificii juris Interpretes, & Theologi [3]. Ceterum ut ad litteras revertamur, ſi omnes hæ (quæ ſcilicet Labbeus, & quæ nos proferimus) jungantur, ſeries tota Actuum, ſive Proceſſuum ſolemnium, & publice inſtitutorum habebitur. Nam primus poſt cladem illatam Gallis (tertio ſive altero die poſt Paſcha [4] anni 1282.) adverſus Siculos, qui etiam Petrum licèt nominatim non appellet percellit,eſt Labbeanus [5] in feſto Aſcenſionis. Secundus in feſto Dedicationis Baſilicæ Apoſtolorum apud eundem: atque uterque a. MCCLXXXII. conſignari debent; nam annum adſcriptum habent Martini Pontificatus ſecundum, qui procedit ab VIII. Cal. Mar. MCCLXXXI. Alter habet etiam Indictionem XI. ſed ea non a Januario anni ſequentis,ſed ab autumno anni hujus numeratur. Anno ſequenti MCCLXXXIII.Paſcha incidit in diem 18. Aprilis [6], & Aſcenſionis dies in diem 27. Maii; quamobrem his diebus annus erat Pontificatus Martini in curſu tertius. Earum epiſtolarum, ſive ſententiarum, quæ ſunt apud Raynaldum, aut Labbeum, nulla in hos dies cadit; bene vero noſtræ XI. & XII. quæ annum habent Martini tertium, & dies

1 *cap.29. collect. Hard. to.7. col. 718.*

2 *de Sent. Excomm. in 6. cap. 9. tit. XI.*

3 *V. Suarez diſp. 3. de Cenſuris ſect. 12.*

4 *Bartholom. de Neocaſtro* alterum *habet tom.* XIII. *Scriptor. Murat. col. 1027. Maleſpina, Villanus lib. 7. cap. 60.* Tertium *Nicolaus Specialis lib. 1. cap. 4. &c.*

5 *col. 1146.*

6 *V. Ricciolium lib. 1. cap. 28. Chronol. Reform. qui tamen male conſignat Paſcha an. 1283. die 23. Martii, cum fuerit d. 25.*

& dies adſcriptos horum feſtorum : ſunt ergo ſolemnes ejus anni ſententiæ adverſus Petrum latæ, quibus additur XVII. in feſto Dedicationis Baſilicæ Apoſtolorum. A. MCCLXXXIV. incidit Paſcha in diem 9. Aprilis, cum jamdudum auſpicatus eſſet Martinus annum Pontificatus ſui IV. Noſtra XVIII. diem Cœnæ Domini nominat, & annum Martini IV. quam alia ſequitur, eodem anno, die Aſcenſionis data. Sunt ergo omnes ſolemnes ſententiæ contra Petrum, Martini. Mortuus eſt vero Martinus Papa *in Peruſio die Mercurii infra octabam Paſchæ, ſcilicet v. kal. Aprilis*, ut ait Bernardus Guidonis [1], cui convenit Memoriale Poteſtatum Rhegienſium [2] auctor æqualis, nec repugnant Honorii ſucceſſoris litteræ, quas profert Raynaldus [3]; cum potuerit facile unitas irrepere; & pro v. fieri IV. quod quidem in ſcriptoribus noſtris, qui ejuſdem diei tam multas proferunt notas, admittere non poſſumus. De die creationis Honorii, de quo fuſe Raynaldus & Manſius [4], nihil refert hic diſputare : nam dies Martini obitus facit, ut ſtatuamus, epiſtolam noſtram XXII. quæ nominat diem cœnæ Domini, & annum Pontificatus Honorii primum, ſpectare non poſſe niſi ad A. MCCLXXXVI. Quod ſi Honorii electionem ſtatuere placet die Aprilis 2. a. 1285., ut placet Raynaldo & Manſio; diem vero cœnæ Domini a. 1286. die Aprilis undecima, ut Paſchales tabulæ jubent; ad retinendum annum Honorii primum, eò confugere poſſumus ut dicamus (quod Papebrochius docuit [5],

1 *tom. 3. Script. Murator. part. 1. pag. 609. Ms. Papebrochii addit alia ſimilia Memoriali Rhegienſ.*

2 *tom. 8. Script. Murat. col. 1167.* Eodem anno Papa Martinus IV. cantavit Miſſam in civitate Peruſina, in Eccleſia majori dictæ civitatis, ſcilicet in Eccleſia S. Laurentii, & Herculiani, & fuit Paſcha in menſe Martii in Annunciatione B. Mariæ Virginis, VII. die exeunte dicto menſe (*ideſt ante finem: ita enim Græcorum more computant aliquando dies*) & infirmus fuit die lunæ ſequenti, feria ſecunda, & obiit die Mercurii nocte, quarta feria.

3 *ad an. 1285. n. 13.* 4 *ibid.* 5 *in Præf. ad Conat. Chron. n. 141*

probavitque Pagius[1]) non ab Electionis, ſed ab Ordinationis die, Pontificum annos eſſe computandos. Serius vero coronatum & conſecratum fuiſſe Honorium, ex Encyclica de ejus electione, data Romæ apud s. Petrum VIII. *kal. Junii*, admonuit idem Papebrochius; nec maturiorem multo exhibet Leonis Urbevetani Chronicon a Lamio editum[2]. Hæc vero, quam dicimus, XXII. epiſtola debet ſuperioribus addi. Quamvis enim fuerit Petrus mortuus (A. MCCLXXXV. die 8. aut 9. Novembris, ſi Joannem Villanum[3] ſequimur; ſi Bartholomæum de Neocaſtro[4], die XI.) in eamdem cauſam ſcripta eſt contra Alfonſum filium, non eum quidem expreſſe damnans, ſed adverſus patrem ſententias latas recenſens, eaſque iteraturum ſe contra filium aſſeverans, niſi Eccleſiæ ſibique ſatisfaciat; interea vero, quod legatos miſſurum ſpondeat, ad feſtum Aſcenſionis rejecturum ſententiam. Hujus epiſtolæ particulam recitavit Raynaldus, & quid deinde factum fuerit, ex veteribus aliis monumentis expoſuit: nimirum, cum dies feſtus Aſcenſionis adveniſſet, nondum Romæ viſos ejus nuncios; ſed quod in itinere eſſe perhiberentur, ferendæ ſententiæ tempus iterum extraxiſſe Honorium; Romam tandem perveniſſe oratores; nec tamen Alfonſi cauſam ab eo probatam. De his nunciis legendus etiam Surita[5]. Hoc eodem die cœnæ Domini, eadem de cauſa ſententiam in Jacobum Alfonſi fratrem, & Conſtantiam ejus matrem, Manfredi filiam tulit Honorius; eaque eſt epiſtola noſtra XXIII. Raynaldus[7] extremam partem protulit dumtaxat, quam nos omiſimus, ubi & dies adſcripta eodem modo ac in ſuperiori. Erit fortaſſe qui illud a nobis exquirat, cur partes etiam harum epiſtolarum alias non omiſerimus; aut cur

1 *ad an. 67. n. 17.* 2 *Delic. erud.* 3 *lib. 7. cap. 102.*
4 *lib. 10. c. 100.* 5 *ad an. 1286. n. 12.* 6 *lib. 4. Hiſt. Arag. c. 85.*
7 *ad an. 1286. n. 6.*

cur vulgemus plures eodem ferme exemplo exaratas litteras? Huic ita reſpondeo; me ita eas vulgaſſe, ut in meo codice deſcriptas, collectaſque a viro illo erudito inveni; neque exiſtimaſſe rem facturum ingratam veteris ſanctioris diſciplinæ ſtudioſis, ſi fuſe haberent deſcriptos Actus omnes, quibus Eccleſia & Romanus Pontifex agere illis temporibus adverſus homines iſtos conſuevit. Ceterum facile unuſquiſque ſive labori, ſive moleſtiæ ſuæ parcet, id in legendo omittens, quod me omiſiſſe in vulgando voluiſſet.

Pauca de ceteris epiſtolis, ut lectorum ſatietati occurramus; nec vero longiorem operam noſtram poſtulant: ideo etiam reſervavi in hunc locum de XIII. XIV. XV. dicere. Harum prima epiſcopo Caſtellanetenſi inſcribitur, (quem quis fuerit, non ita pronum eſt dicere, cum lacuna in catalogis appareat) jubetque Martinus, ut Venetiis *proceſſus* adverſus Petrum promulget, ut manifeſtiores ſint, & nemo illum ulla in re juvet. Altera data eſt Anconitanis, qui triremes eorum, ſive *galeas* Carolo poſtulanti, niſi a Pontifice mandatum afferret, dare noluerunt; ut ergo illis dentur, mandat Pontifex his litteris. Denique tertia, ordine noſtro XV. ſolutionem cenſus octo millium unciarum auri, quam præſtare Carolus debebat inſtante feſto die SS. Apoſtolorum, ad diem Domini natalem prorogat. Cenſus hic, formula juramenti a Carolo dati continetur, apud Raynaldum [1], adjecta pœna Excommunicationis, niſi menſium duorum intervallo perſolvatur. Eumdem perſolutum Cardinalibus Sede vacante, ex codice Vallicelliano, docet idem Raynaldus [2]. Notum eſt, primum a Roberto Guiſcardo pro Apuliæ & Calabriæ Ducatu, cenſum perſolutum fuiſſe denariorum duodecim in ſingula boum juga, eoſque *Papienſis monetæ*, ut dicitur in ſacramenti formula, quam Sigonius [3], Baronius [4],

 aliique

1 *ad an.* 1265. *n.* 18. 2 *ad an.* 1277. *n.* 52. 3 *De regno Italiæ ad a.* 1059. *tom.* 2. *oper. col.* 540. *edit. Med.* 1732. 4 *ad a.* 1059. *n.* 70.

aliique habent, narraturque a Leone Oſtienſi [1]. Fuit poſtea cenſus hujuſmodi *ſexcentorum ſchifatorum* (alii codd. *eſquiſatorum*) *de Apulia & Calabria*, *quatrigentorum vero de Marſcha* (alii *Marſia*) *vel æquivalens in auro vel argento*, ut dicitur in diplomate Willelmi primi, quod ex codice Vaticano recitat Pirrus [2]. Summontius medio inter utrumque tempore, aliud cenſus genus fuiſſe tradit [3], *unius marapetini* (quod *maravidiſium* Hiſpanum valere putat) *pro quolibet pare boum in regno*: dies vero ſolutionis ubique eſt dies feſtus SS.Petri & Pauli. Idem Summontius [4] exhibet *Summarium inveſtituræ regni Neapolitani factæ a Clemente PP.IV. Carolo Andegavio*, *deromptum ex Bulla aurea, ubi præter cenſum octo millium unciarum auri in feſto BB.Petri & Pauli tribus terminis, & unum palafrenum album pulchrum & bonum*, alia injunguntur; *Quod debeat ſolvere Romanæ Eccleſiæ* 5000. *marchas ſterlingorum*. *Quod in ſubſidium terrarum Romanæ Eccleſiæ ad requiſitionem Pontificis teneatur mittere* 300. *equites bene armatos &c. Quod habeat mille equites ultramontanos paratos pro negocio fidei &c.* Eadem fuſius leges in diplomate Nicolai IV. apud Raynaldum [5].

Epiſtolæ XVI. argumentum ſatis explicat Raynaldus [6] ſcribens; cum præcipua Siculi mali labes ex importunis exactionibus orta eſſet, quas Carolus tuendi juris ſpecie, publicanorum nefaria ſecutus conſilia, ac Friderici II. Imp. & Manfredi tyrannorum exempla, nec eorum triſtes exitus perhorreſcens inſtituerat; medendo huic malo ſerius ſolicitum, regio edicto ſanxiſſe, ad populos, qui nondum defecerant, continendos in obſequio, alioſque ad officium pelliciendos, libertatis leges, quæ viguerant regnante Guillelmo II., ſub quo Sicula res bonorum omnium affluentia ſingulari

1 *Chron. Caſin. lib.* 3. *cap.* 16. *edit. Murator. pag.* 423. *tom.*4. *Script.*
2 *in Chronolog. reg. Sicil. ad an.* 1156. *V. & Innocentii epiſt. Rogerio ap. Summont. lib* 2. *cap.*8.
3 *lib.* 2. *c.*1. *ad an* 1130.
4 *lib.*3. *ad an.*1266.
5 *ad an.*1289. *nu.*3.
6 *ad an.*1283. *n.* 41.

gulari floruerat, reſtitutum iri. Acceptis etiam a parente abeunte in Gallias Siculi regni habenis, Salernitanus Princeps, ad mulcendos populos edixit, ut e ſingulis provinciis ſpectatiſſimi viri ad Martinum IV. legarentur, ut de juſtis conſuetudinibus, quæ Guilſelmi II. temporibus viguerant, quarum jam obſoleverat memoria apud Siculos, videret; plureſque optimas leges condidit, inſeruitque in volumine juris Siculi inſcripto, *Conſtitutiones Regni utriuſque Siciliæ*. Decerpſit ex illa conſtitutione poſtea Honorius IV. præcipuas leges, quæ ad tuendum jus Eccleſiaſticum ſpectabant, eaſque e ſacri Collegii Cardinalium conſilio Apoſtolica auctoritate confirmavit. Hæc Raynaldus. Vere autem dixit, eſſe quaſdam leges a Carolo Principe Salernitano latas, quæ in Conſtitutionibus regni utriuſque Siciliæ leguntur [1], ſcilicet quæ hoc nomine appellantur: nam quæ *Capitula* nominari ſolent, ordiuntur ab illis, quas Jacobus Petri Aragonenſis filius, patre mortuo, & Siciliæ regno potitus, ſcripſit [2]. Quas poſtea Honorius IV. leges dixit, ejuſdem conſtitutione continentur, quam annalibus ſuis inſeruit Raynaldus [3], & nos in codice noſtro habebamus, cui ejuſdem Honorii ſubjiciebantur epiſtolæ duæ, quas edimus XX. & XXI. Harum prima, a legibus quibus vectigalibus gravatos populos ſublevat, reſervat poteſtatem excipiendi eos, qui a Carolo Andegavenſi, ejuſque hæredibus deſciverint: altera & leges illas, & exceptionem hanc ſive reſervationem mittit Gerardo Epiſcopo Sabinenſi Apoſtolicæ Sedis in Sicilia Legato, & Roberto Comiti Atrebatenſi. De Gerardo Blanco, cùm Ughellus in Epiſcopis Sabinenſibus, tùm Ciaconius [4], qui etiam de hac legatione fuſe: Raynaldus quoque, qui pariter ei in gerendo hoc

 mu-

1 *V. edit. an. 1533. pag. 10. Venet. 1590. pag. 332. &c.*
2 *V. edit. Venet. 1573. & edit. Panormit. 1741. recenſ. Franc. Teſta;*
3 *ad an. 1285. n. 29.* 4 *tom. 2. col. 226.*

munere ſocium adjunctum narrat a Martino Robertum Comitem Atrebatenſem, & diploma producit [1] hac inſcriptione; *Martinus ..... Vener. fratri Gerardo Epiſcopo Sabinenſi, Apoſtolicæ Sedis Legato, & dilecto filio nobili viro Roberto Comiti Atrebatenſi Bajulis Regni Siciliæ per Romanam Eccleſiam conſtitutis*; ac de eodem Roberto ſæpius egerat idem Raynaldus hoc, & ſuperioribus annis. De die quo epiſtolæ ſcriptæ ſunt dubitari aliquid poteſt, cum præſertim epiſtolæ xx. dies eum antecedat, quem habent leges latæ. Sed quam facile erratum ſit a librariis in numeris, nemo ignorat; & eodem ego die datas omnes exiſtimo. Ut ad epiſtolam XVI. revertamur, ea Martinus, Neapolitanis aliiſque petentibus, ut revocarentur in uſum leges Guillelmi II. Regis Siciliæ, reſpondet, de illis non conſtare; & ſe regno datis legibus conſulturum promittit. Regis Guillelmi nonnullæ cum aliis Rogerii I. & Guillelmi I. Normannorum Regum, ut in unum codicem colligerentur, adjunctis ſuis, curavit Imperator Fridericus e Suevorum gente; idque negotii dedit Petro de Vineis, ut clauſula earum teſtatur [2], quæ etiam habet adſcriptum A. MCCXXI. *alias* XXII. *menſe Auguſti Indictionis* IV.

Conſequentes epiſtolæ XXIV. & XXV. ſcriptæ ſunt *de certo negotio*; quod quidem epiſtola XXVI. *negotium Aragoniæ* vocat. Erat id nimirum, de quo tunc multis nunciis & contentione maxima actum eſt, & cujus conficiendi cura atque auctoritas eſt Eduardo Angliæ Regi commiſſa; ut Carolus Caroli Andegavenſis filius, qui in Alfonſi poteſtate venerat, dimitteretur, & pax inter ipſos Principes conciliaretur: conciliabatur vero ab Eduardo, iniquioribus ſane in Carolum conditionibus. Rem totam perſpicue ex-

1 *ad an.* 1285. *n.* 6.

2 Accipite gratanter o populi Conſtitutiones iſtas ..... quas per Magiſtrum Petrum de Vineis Capuanum, magnæ Curiæ noſtræ judicem & fidelem noſtrum, mandavimus compilari.

exponunt litteræ Honorii ejuſdem ſcriptæ Carolo apud Raynaldum [1], quæ & his adjungebantur in codice noſtro, & idem cum iſtis adſcriptum tempus habent. Hinc ergo liquet, quale illud ſit *certum negotium*. Addas, negotium de liberando Carolo urgere apud Eduardum & Alfonſum, Bonifacium Ravennatium, & Petrum Montis Regalis Archiepiſcopos, ut Raynaldus tradit [2]; atque his epiſtola harum XXIV. inſcribitur. Negotium tamen nobis aliquod faceſſit tempus datarum epiſtolarum IV. *non. Martii Pontificatus a.* III. Nam Honorium electum IV. Non. April. A. MCCLXXXV. veteres Scriptores tradunt apud Raynaldum [3], iidemque mortuum A. MCCLXXXVII in cœna Domini [4], quam incidiſſe in III. Non. Aprilis Jo. Villanus [5] teſtatur. Quomodo ergo IV. Nonis Martii annum numerabat Pontificatus tertium? Facile fuit in numeros errorem irrepere. Sed conſtantia illa indicandi annum III. (nam hunc habent etiam in codice noſtro litteræ, quas Raynaldus vulgavit) facit, ut ſuſpicer, annos Pontificatus ſui Honorium numeraſſe a calendis Januarii, Romanum Romano more; atque hinc fortaſſe diſcrepare veteres illius Scriptores, atque annos tribuere Honorio nonnullos [6] duos; Franciſcum Pipinum [7], Ricobaldum Ferrarienſem [8], &c. tres.

Epiſtola XXVII. & XXVIII. Gerardo Epiſcopo Sabinenſi, de quo jam diximus, ſcribitur a Nicolao IV. His litteris ei Legati munus confirmatur: & notabilia ſunt verba illa; *Tu ad noſtram præſentiam pro exponendis maxime quibuſdam ejuſdem regni conditionibus, & neceſſitatibus, a nobis petita licet non expreſſa licentia te perſonaliter contuliſti, moram apud Sedem Apoſtolicam aliquamdiu contrahendo. Ne igitur*

1 *ad an. 1287. n. 4.* 2 *ad an. 1288. n. 12.* 3 *ad an. 1285. n. 14.*
4 *ad an. 1287. n. 9.* 5 *lib. 7. cap. 112.* 6 *Bernardus Guidonis to. 3. par. 1. p. 611. Script. Murat.* 7 *Chron. col. 727. to. 9. Script. Murat.*
8 *Compilat. col. 252. ibid. & Hiſtor. Pontif. Rom. col. 182.*

tur propter hoc depoſuiſſe commiſſum tibi hujuſmodi Legationis officium forſitan cenſereris : quod tamen abſque conceſſione ſuperioris non eſt alicui a jure proviſum ; cum etiam Legatus ſe abdicando , imperium non amittat . Pertinet hoc ad id, quod *Tit. de Officio Legati* DD. paſſim ſtatuunt ; Legatum a latere non poſſe propria auctoritate ſe Legatione abdicare . Altera vero epiſtola , nimirum XXVIII. facultatem impertit , poſtquam fines Legationis ſuæ ingreſſus fuerit , ex illis *quoties videbitur* egredi , & ad Sedem etiam Apoſtolicam , ipſius non petita licentia , ſe conferre , ac redire .

Rejecimus in hunc locum , fecimuſque ordine iſto XXXIX. quæ ſedem hanc obtinebat in codice noſtro , adjuncta aliæ epiſtolæ , quam Raynaldus edidit [1] . Sed Raynaldus Nicolao III. tribuit , noſter Nicolao IV. & quamquam non dubitamus Raynaldum recte eam ſtatuiſſe , Noſtri tamen ordinem , ne turbaremus omnia , ſecuti ſumus . Ceterum Raynaldo ſubſcribunt Ciaconius in Vita Simonis de Bria [2] , & Ducangius ad Jonvilleum [3] : quamvis hic non III. ſed IV. appellet , ſed in quarti tempora eumdem conjicit . Nec vero eſt, quod in hanc epiſtolam, quæ eſt *de Torneamentorum exercitio* , *uſque ad Paſſagium generale* , *vitando* , ut habet alia a Raynaldo edita , aliquid addamus iis , quæ uberrime , doctiſſimeque , ideſt more ſuo , diſſeruit de hoc argumento Ducangius [4] .

Poſtrema noſtrarum epiſtolarum ſcripta eſt Petro Gerra Archiepiſcopo Montis Regalis , ut tempore , quo , Siculis excommunicationis ſententia devinctis , commercium omne interdictum erat , nuncios eò ipſe deſtinare ad ſuos poſſet . Litteræ datæ ſunt A. MCCLXXXIX. Et Pontifex tamen eum *nuper* abſolviſſe dicit a vinculo , quo Eccleſiæ Reatinæ Epiſcopus tenebatur . Atqui eum ab Reatina

1 *ad a. 1279. num. 17.* 2 *tom. 2. col. 161.* 3 *diſſert. 6. pag. 271.*
4 *l. all.*

na ad hanc Eccleſiam tranſlatum ab Honorio IV. a. 1286. Ludovicus Lellus & Michael *del Giudice* in Hiſtoria hujus Eccleſiæ definit. Si recte ergo narratio ab his inſtituta ex idoneis monumentis procedit, dicendum eſt, nunc demum, cum poſſidere Archiepiſcopatum poteſt, eum abſolutum a vinculo Reatinæ Eccleſiæ, & in hanc tranſlatum fuiſſe, affirmari.

Atque hæc de rebus, quas epiſtolæ illæ continent; eaſque ideo hoc loco indicare voluimus, ut quem fructum earum lectio habitura ſit, prænoſcere quivis antea poſſet. Nil in vocibus immoramur; licet nonnulla quandoque occurrant, in quibus hærere vel latini ſermonis peritiſſimi conſueverunt; ut cum *ſe*, *ſibi* pro *illum illi* frequentiſſime ponitur. Prætereo *Bajulum*, ideſt *Balivum*, ut aliter dicitur; *Curialiter* pro *comiter*, ſive *civiliter* &c. ſunt enim hujuſmodi innumera, ut ſit iſte horum temporum, ab illo antiquo caſtoque Latii ſermone pene alius; quem tamen monumentorum hujuſmodi lectio, & Gloſſariorum mediæ ætatis, quæ vocant, ſubſidium explanabit. Illud fortaſſe deſiderabis, in quo Gloſſaria muta ſunt, quid ſit *ad Solarium*, quod ſæpius occurit in his litteris? quamquam habebat codex nonnunquam *ad Salarium*, nimirum quod magis Latino vocabulo dicere nunc quoque ſolemus *ad nutum*; cum res ſunt hujuſmodi, ut ad arbitrium nutumque alterius vel dari, vel auferri poſſunt, vocabulo ducto ab inſtrumento, quo horas cognoſcere, & numerare antiqui homines conſueverunt. Significationis hujus exempla alia proferre non poſſumus: vix tamen ut de ea dubitemus, litteræ noſtræ ſinunt, in quibus hæc [1], ut dixi, vox occurrit: niſi vero mavis legere *ad Salarium*, & facultatem dicere factam Martino, Senatorem *cum Salario*, ideſt victu publice præbito, conſtituendi. Salarium enim nihil abjectum aut vile ſonat, neque ut nunc in

[1] *pag.* 22. & 34.

in vulgi ſermone, opificum dumtaxat aut famulorum mercedem; ſed *honoribus etiam, militiæque interponitur*, ut Plinius ajebat [1]; eratque proprie, quod ad eum locum Harduinus adnotavit, Tribunorum militarium, & Ducum annona. Addas, Aureliano *ad inſpicienda, & ordinanda caſtra omnia deſtinato*, a Valeriano, quæ tributa ſunt, *Salaria* a Vopiſco [2] appellari. Sed videndus Gothofredus ad titulum *De præbendo Salario*, qui eſt *Codicis Theodoſiani lib.* XII. 2.

Huc pertinet, ad voces ſcilicet his temporibus uſurpatas, modus, quo dies ſcriptæ vel datæ epiſtolæ indigitatur, ſive dies menſis computandi ratio: de qua quidem ideo dicam hoc loco, quod ad ſcripta ſincera, & ſuppoſita internoſcenda conferre aliquid poſſit, & nihil ferme de ea diplomaticæ aut criticæ artis Magiſtri. Epiſtolæ Romanorum Pontificum noſtræ tempus ſignificant, aut more illo antiquo per *Nonas*, *Idus*, *Calendas*, aut ſolemni memoria *Cœnæ Domini*, *Aſcenſionis*, & ſimilium dierum, vel eorum, qui ad hos referuntur. Poſtremo hoc modo tempus tunc adnotari ſolitum, ex monumentis hujus ætatis conſtat, apud Mabillonium, Dacherium &c. in quibus legas [3], *Actum anno ab Incarnatione Domini* MCCXVIII. *in vigilia Paſchæ*: *Datum Conchis ſabbato ante carniſprivium* A. circ. 1231. [4] *Actum A. D.* MCCXXXIX. *ſabbato poſt Reſurrectionem Domini* [5]; *Actum A. D.* MCCXL. *die lunæ proxima poſt Aſſumptionem B. M. V.* [6]. *Datum in Cypro feria quarta ante Reſurrectionem Domini* [7]. Plura non adtexam, quod paſſim occurrant; & ſatis ſit epiſtolas legere S. Ludovici Galliæ Regis, aut Philippi filii, vel eorum qui in ejus familia erant [8]: ex his epi-

1 *lib.* 31. *cap.* 7. *ſect.* 41. 2 *In Aurelian. cap.* 9. 3 *tom.* 12. *Spicileg. Dacher. veter. edit. pag.* 167. 4 *Ibid to.* 3. *pag.* 176. 5 *App* 2. *ad to.* 1. *Annal. Bened. n.* 28. 6 *To.* 13. *Spicil. p.* 341. 7 *To.* 7. *p.* 224. 8 *tom.* 2. *Spicil. pag.* 549. *Datum in caſtris apud Aquas mortuas in craſtino*

epiſtola Petri de Condeto notam hanc habet, dignam quæ animadvertatur [1]; *Actum in receſſu a portu Tunis die Martis Novembris S. Martini hyemalis*; æſtivus enim erat dies IV. Non. Julii S. Martino ſacer, ideſt ejus Ordinationi, & Tranſlationi, ut habet Uſuardus, atque etiam dedicationi Baſilicæ, quam præterea Ado memorat. Neque ad hos tantum ſanctorum feſtos dies ſpectare ſolent, ſed ad dies Dominicos, & Eccleſiaſtica officia. In diplomate Mariæ Reginæ Aragoniæ, quo Montempeſſulanum dat Petro Aragoniæ Regi [2]; *Datum in Quoquolibeto ſecunda Dominica Septembris A. D.* MCCV. In alio Willelmi Abbatis S. Eparchii [3]; *Actum apud Jarniacum feria* VI. *proxima ante Dominicam, qua cantatur „ Reminiſcere „ vel apud quoſdam „ Domine dilexi „ A. D.* MCCXXXII. In alio Officialis Curiæ Pariſienſis [4]; *Datum A.D.* MCCLXXII. *die Sabbati ante Dominicam, qua cantatur „ Reminiſcere „.* Ex quibus quidem conſtat, in Gallia maxime viguiſſe hunc uſum, atque hoc præcipue ſæculo: etſi idem quandoque proximis ſæculis factum inveniatur; exempla vero apud eoſdem veterum monumentorum collectores proſtant [5]: in quibus quandoque additur

ſtinoo B. Johannis Baptiſtæ. Pag.550. *Datum in caſtris ante dictam civitatem in feſto B. Jacobi Apoſtoli.* Pag. 555. *Actum in caſtris ſubtus Carthaginem die Dominica poſt feſtum S. Jacobi Apoſtoli.* Pag. 556. & 557. *Actum in caſtris juxta Carthaginem die veneris poſt feſtum Nativitatis B. M. V. An. Dom.* 1270. Pag.558. *Datum in caſtris juxta Carthaginem die Sabbati poſt feſtum S. Remigii.* Pag.560. *Actum in caſtris juxta Carthaginem die Jovis ante Nativitatem B. M. V.* Pag. 567. *Actum apud Cuſentiam in Calabria die veneris ante feſtum Purificationis B. M. V.* Pag. 571. *Datum Viterbii die Sabbati poſt feſtum B. Gregorii &c.*

1 *Tom.2. Spicil. pag.564.*

2 *Ibid. tom.8. pag.221.*

3 *Ibid. to.9. p.181.*

4 *Tom.6. pag.482.*

5 *Tom.13. pag.349. Datum apud Longum campum die* XI. *poſt Aſſumptionem B. M. V. A. D.* MCCCIII. Tom.8. pag. 277. *Datum Pariſ. ſub ſigillo noſtro die Veneris poſt feſtum B. Mariæ Magdalenæ A.D.* MCCCXVI. To.9. p.304. *Datum in caſtro noſtro Kopenhaven regni noſtri Daciæ Dominica in ramis Palmarum A. D.* MCCCCLVII. Tom.4. pag. 393. *Datum .... feria* VI. *proxima ante feſtum S. Jacobi A. D.* MCCCCLVI. Ibid. pag.263. *Anno Verbi Incarnati* MCLXX. *die S. Auguſtini.*

ditur hæc notis temporis aliis, quæ ſolæ tempus deſignarent, ut in *Donatione* Raterii cujuſdam [1]; *Quæ ſcriptio facta eſt in conſpectu totius Canonicæ Congregationis menſe Aprilis* VI. *Idus ejuſdem menſis feria* III. *poſt ramos Palmarum*; *regnante Philippo Rege*: erat vero annus MCIV. ut ex ſequenti diplomate liquet. In diplomate Baldrici Dolenſis Archiepiſcopi [2]; *Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini* MCIX. *indictione Romanorum* II., *Cyclo lunari* VIII. *Termino Paſchali* XIV. *Calendas Maji*, *die ipſius Paſchæ* VII. *Calendas Maji*, *luna ipſius diei* XXI. Cumulatius vero ita, ut poſtremum hoc exemplum habet (nam obiter hoc quoque placet animadvertere), ſive ut librariorum oſcitantiæ occurrant, ſive ad pompam quamdam, quæ Chronicorum etiam Scriptoribus, cum annum operis ſui deſignant, uſitata eſt; diem aut annum enuntiare ſolent [3]. Sunt tamen aliquando multæ notæ, ſive ad annum, ſive ad diem deſignandum neceſſariæ; ut in diplomate Guillelmi Caducenſis [4]; *Perſcripta eſt charta hæc in Caturcenſi civitate ..... menſe Julio*, *hebdomada* III. *feria* I. *A. Dom. Incarnat.* MCIII., & in alio Poncii Gabalitenſis; *Acta ſunt autem hæc anno jam pene finito* X. *poſt M..... menſe Februarii feria* 2. *luna* 20. [5] atque earum unam quod forte librarius aliquando omiſerit, incertus eſt dies [6].

Prior ille modus diem per Nonas, Idus, Calendas ſignificandi, & antiquiſſimus eſt in Pontificum Romanorum litteris, ut litteræ Siricii [7], Innocentii I. [8], Zoſimi, Boni-

1 *Tom.8.p.36c.* 2 *Tom.7.p.197.* 3 *Tom.8. Spicileg. pag.* 174. Actum Lauduni IV. Kal. Decemb. A. Dominicæ Incarn. MCXXXI. Indictione X. Epacta I, cuncurrente III. 4 *tom* 8. *pag.*363. 4 *tom* 11. *pag.*294. 5 *tom.*11. *pag.*294. 6 *Ex. cauſa tom.*11. *Spicil. pag.*291.,, Acta ſunt autem hæc A.962. Nativ. Dom. Indict. V. menſe Febr. die ſabbato,,. *To.*13. *pag.* 28 ..,, Data per manus Fawel in menſe Junio ſub die Jovis, regnante feliciter Rodulfo Rege, anno XXX. regni ejus,,. 7 *V. ap. Couſtant ep.*1. *col.*638. *ep.*5. *col.*658. 8 *Ibid. ep.*2. 6. 13. *&c.*

Bonifacii, Cæleſtini, Leonis &c. oſtendunt, & ad noſtram ætatem in eorumdem diplomatibus, in quibus eo ſæpe utuntur, durat. Quin etiam eodem ad tempus deſignandum, Græci ipſi, aliæque gentes uſæ ſunt, aut ſolo, aut proprio ipſarum, interpretamenti cujuſdam loco, adjuncto. Atque ita in S. Athanaſii *Hiſtoria ad Monachos* Epiſtola populi Alexandrini ſcribitur [1] *Mechir* 17. *quæ eſt pridie Idus Februarii*. Tempus hoc pariter modo adnotatur in Actis S Ignatii [2]: *Hæc autem acta ſunt ante diem* XIII. *Calendas Januarias, hoc eſt* Δεκεμβρίῳ εἰκάδι. Addas epiſtolam Eccleſiæ Smyrnenſis de martyrio S. Polycarpi [3], ubi legitur: *Martyrium autem paſſus eſt B. Polycarpus Xantici menſis* δευτέρᾳ ἱσαμένυ, *ante* VII. *Kalendas Majas*: & Acta Bollandiana Martyrii S. Pionii [4]: *Hæc acta ſunt ..... ante* IV. *Idus Martias more Romanorum, Aſiæ autem more ſeptimi menſis undecimo die*. Nec vero triplex hæc veluti diviſio menſis, a Græca, ſive Attica ratione dies adnotandi, multùm adhorrebat, quod Theodorus Gaza admonuit [5]; qua menſe partito trifariam, partem unam ἱςάμενον, ideſt inſtantem ſeu ineuntem vocabant, alteram ἐπὶ δέκα, ideſt ſupra decem, ultimam φθῖνον, ideſt præcipitem vel deſinentem; de qua re multi, præſertim vero Allatius [6].

Græcam hanc rationem, aut illi ſimilem expreſſiſſe videntur Scriptores, & diplomata medii ævi, præſertim poſt annum milleſimum, menſem diſtinguentes *in duas ſectiones*, quarum alteram *menſem intrantem*, alteram *menſem exeuntem* appellabant; *ſumendo primam partem a prima menſis die uſque ad* XV. *alteram a* XVI. *ad finem*; *& primam quidem partem numerantes ordine recto, alteram retrogrado*, ut in re

1 *Tom.* 1. *Oper. edit. Pariſ. pag.* 395. Μεχὶρ ιζ ἥτις ἐςὶ τῶ πρὸ μίας εἰδῶν φευρυαρίων. 2 *Act. ſinc. Ruinart. num.* 6. 3 *num.* 21. *ap. Ruinart.* 4 *ad d.* 1. *Febr.* 5 *lib. de menſib. cap.* 15. *edit. Petav. in Uranol.* 6 *de menſ. temp. cap.* 12.

in re facili explicanda (quam tamen alii involvunt) verbis utar Mabillonii [1]. Exemplum, tempore quod diximus antiquius, ſuppeditat liber Diurnus Romanorum Pontificum, ubi in formula epiſtolæ ad Exarchum *de tranſitu Romani Pontificis* [2] dicitur; *die enim* III. *inſtantis menſis obiit*. Multo vero plura habet ſequior ætas, ut epiſtola Boamundi a Baluzio edita; & in pacto a. 1232. [3]; *Hoc fuit pactum ſecunda die exitus menſis Sept. feria* IV. Eo modo ſæpe etiam Hiſtorici utuntur, & locum ſuperius [4] attulimus ex *Memoriali Poteſtatum Rhegienſium*. In hiſtoria Belli ſacri, quam Mabillonius vulgavit [5], legitur; *Diſceſſimus igitur a caſtro facientes pactum, & pervenimus Tripolim in ſexta feria, quartadecima die intrante Majo*. Alia exempla attulit Du-Cangius idem explicans ex Rollandino. Sed Mabillonius dies hac methodo aliter tamen computatos tradidit [6] ex codice Sancti Emmerani. Colligere autem inde ſibi poſſe videtur Mabillonius, quibuſdam ſaltem in locis menſes non fuiſſe bifariam ita diviſos, ut primi decem dies menſi intranti, menſi vero exeunti reliqui aſſignarentur. Quid tamen rei eſſet, aut quo pacto medii illi dies numerarentur, nec ipſe nec Ducangius reperire potuerunt. Aſſecutus mihi videor ex inſcriptione Hamenſis Monaſterii [7]; novam ſcilicet rationem fuiſſe menſes deſignandi, quæ preſſius etiam Græcæ illi inſiſteret, menſemque divideret in partes tres; & mediam hoc nomine, ſcilicet *mediam* vocaret. Nam ita feciſſe Græcos, apud quos dies XI. non modo πρώτη ἐπὶ δέκα, ſed etiam πρώτη μεσοῦντος vocatur, ex vett. laudatus Allatius, Potterus [8], aliique tradunt. Inſcriptio vero illa Hamenſis altare ait dedicatum *menſe Auguſto medio*. Quin igitur

1 *Diplom. lib. 2. cap. 28. num. 5.* 2 *tit. 2.* 3 *tom. 9. Spicil. Dacher. pag. 283.* 4 *pag.* XXXIII. 5 *num. 98. (tom. 1. Muſ. Ital. pag. 205.)* 6 *Analect. tom. 4. p. 480.* 7 *tom. 1. Annal. Bened. ad A. 677. p. 538. & Append. 2. pag. 697.* 8 *Archaeolog. Graec. lib. 2. cap. 23.*

tur dies ceteros, *medios* omnes dictos exiſtimemus, donec exeuntes intervenirent?

Ut vero Græcos Latini, dividendo menſem in partes plures imitati ſunt, ita & ab iis fortaſſe alterum modum, per decades tres, ſive naturali ordine dies recenſendi, habuerunt. Uſus eſt hoc modo ſæpe S. Gregorius M.; nam in ejus epiſtolis legimus [1] *datum die* XII. *Auguſti Indict.* XIII. [2] *Data die* XII. *menſis Auguſti Indiction.* XIII. [3] *Datum die* XV. *menſis Auguſti Indictione* XIII. [4] *Data die* XV. *menſis Auguſti*. An hanc rationem ante Gregorium in epiſtolis adhibuerint Romani Pontifices, mihi non conſtat. Quamvis enim in Pelagii epiſtola ſimilem notam reperio [5]; aliis tamen de cauſis ſuppoſitam illam epiſtolam vulgo monent: & ſatis mihi perſuadeo, Gregorium, ut alia conſtituit nova, in quibus Eccleſiaſticas res ab Ethnicis, ſive civilibus differre voluit, ita hanc induxiſſe. Quamquam ille & alium modum quoque frequenter adhibuit [6]; atque hic ad civiles uſus adductus eſt. Itaque in legibus Rhotaris [7]: *Quæ autem non ſunt finitæ ad præſentem vigeſimam ſecundam diem menſis hujus Novembris &c.* In diplomate Aiſtulphi [8]: *Data in Palatio Otalii decima die menſis Febr.* Ita in additamento ad leges Ludovici II.[9] &c. Sed in Eccleſiaſticis rebus maxime occurrit; ut in Synodo Romana miſſa S. Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo [10]: *Anno* V. *menſe Octobris die* XXV. *Indictione* XIV. In Sublacenſi inſcriptione apud Mabillonium [11]: *menſe Decembri die* 4. *Indict.* VIII.; ut falſum ſit, quod vir eruditus mihi

1 *lib.* 5. *ep.* 53. 2 *Ibid. ep.* 54. & 55. 3 *ep.* 58. 4 *lib.* 5. *ep.* 57.
5 *tom.* 1. *epiſt. RR. Pont. edit. Rom.* 1591. *pag.* 639. *V. Labbe to.* 5. *p.* 931. *edit. Pariſ.* 6 *lib.* 1. *ep.* 36. Datum ſub die XVII. Calendarum Aprilium. *lib.* 2. *ep.* 36. Data X. Cal. Auguſti. *lib.* 5. *ep.* 16. Data X. Cal. Januarii. *ep.* 18. Data Calendis Januarii &c. 7 *tom.* 1. *part.* 2. *Script. Ital. Murat. p.* 48.
8 *Ibid. pag.* 193. 9 *Ib. pag.* 158. Menſe Februario die ejuſdem quarta.
10 *ep. S. Boniſ. edit. Serarii* 134. & 135. 11 *tom.* 1. *Muſ. Ital. edit. Pariſ.* 1724. *pag.* 126.

mihi olim affirmabat, ante ſeculum XI. nullum hujus computandi moris teſtimonium reperiri. Ceterum ſequioris ætatis multo etiam plura ſuppeditant Chronicon Farfenſe, Caſaurienſe, Vulturnenſe &c. & in diplomate S. Leonis IX. *Scriptum per manus Albini Scriniarii ſacri Palatii anno quinto Domini Leonis IX. Papæ Indict.* VI. *Martio menſe* XX. *die* [1].

Denique Pontificum litteræ menſem aliquando ſignificant, diem menſis tacent. Hoc quoque videre licet in S. Gregorii epiſtolis, ubi paſſim: *menſe Novembri*, *Februario*, *Martio Indictione* IX. [2] *Data menſe Maji*. *Data menſe Julio* [3] *&c.* Frequentiſſime vero hoc in Romanorum Pontificum diplomatibus videmus, ut ſcriptarum litterarum a Notario ſive Scriniario menſis tantum adnotetur; datarum a Bibliothecario ſive Cancellario etiam dies. Ita in diplomate Paſchalis I. in Farfenſi Chronico [4]. In diplomate Leonis III. apud Dandulum [5]. In privilegio Formoſi Monaſterio S. Teuderii [6]. Antiquiora exempla in Romano Bullario congeſta reperies [7]; inferioris vero ætatis innumera. Sed de his Pontificiæ diplomaticæ facultatis Scriptores.

EPI-

1 *Bullar. Vatic. to. 1. pag. 27.* 2 *lib. 1. ep. 9. 21. 33.* 3 *ep. 43. 52. V. lib. 2. ep. 10. 14. 17. &c.* 4 *tom. 2. part. 2. Script. Murat. pag. 372.* 5 *tom. 12. Script. Murat. col. 153.* 6 *tom. 12. Spicil. Dach. pag. 153.* 7 *V. tom. 1. Cocquelines pag. 125. & 160.*

EPISTOLÆ ROMANORUM PONTIFICUM

SÆCULO XIII. SCRIPTÆ.

I.

CLEMENS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Regi Siciliæ Illuſtri &c.

Nuper nobis fili cariſſime intimaſti, quod tu dudum intelligens ex fideli relatu multorum, quod tam noſtri quam tui peſſimi proditores in Thuſciæ partibus ſe receperant, & a multis ibidem recepti tam apertis, quam occultis tractatibus cum malitiæ ſuæ conſciis, & conſortibus exaltationem inimicorum Romanæ Eccleſiæ matris tuæ, necnon & ejuſdem Eccleſiæ ac tuorum fidelium exterminium procurabant, & in eam jam proruperant præſumptionis inſaniam, ut Corradinum nepotem quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris Regem Siciliæ nominare præſumerent, & nominari ab aliis facerent, ac ejuſdem Corradini literas, & privilegia ſub ſigillo, & nomine regiis circumferrent:

Digitized by Google

& venturum ipſum in partes Italiæ publice prædicarent; tu prædictæ Eccleſiæ matris tuæ injuriam tuam omnino reputans, & propriam nihilominus æquanimiter ferre non valens; memor etiam obſequiorum multorum, quæ a Thuſcis noſtris, ac tuis fidelibus, & devotis, quorum ſanguis ab æmulis in prædictis tractatibus quærebatur, te recepiſſe dicebas, ad noſtram præſentiam acceſſurus, tuam in partes Thuſciæ promiſiſti militiam, non ut Imperii partes invaderes, ſed ut tantis malis occurreres, inimicos noſtros, ac tuos contereres, & amicorum paci ac totius Provinciæ provideres: receptus autem primum a civibus Florentinis pacifice, & poſtmodum a Lucanis, Piſtorienſibus, Pratenſibus, ac quibuſdam aliis, & ab eiſdem ad tempus in Poteſtatem aſſumptus, geris in votis te in omnibus noſtro beneplacito coaptare, & ſic loca in prædictis partibus tuo commiſſa, & committenda regimini in omni tranquillitate regere, ut cuique ſua ſervetur juſtitia, cuique ſtatus ſuis debitus meritis conſervetur, purgetur hæretica pravitas, prædonum cohibeatur audacia, eadem Sancta Mater Eccleſia honoretur, & fidelium pia devotio nutriatur. Verum quia hoc ipſum nequit prout æſtimas ſolide fieri, niſi civitates ſaltem, & loca celebria ejuſdem Provinciæ ſtabiliantur in pace, nobis humiliter ſupplicaſti, ut cum ad præſens vacet Imperium, cujus ad nos dum vacat pacifica conſervatio noſcitur pertinere, in quo nihil vendicas

dicas tibi juris, nec quicquam, ut ſupradictum eſt occupare per uſurpationem in eodem intendis, tibi conſervationem pacis in Thuſcia, Eccleſiæ Romanæ terra dumtaxat excepta, concedere dignaremur; ita quod tam eos, qui te receperunt, quam alios poſſis inducere, & acquieſcere nolentes cogere ad pacem ipſius Provinciæ initiandam, & fideliter conſervandam, ac noſtros, & tuos inimicos penitus avertens, ſicque ceſſent violentiæ, ceſſent guerræ, ceſſent aggreſſiones itinerum, ſpoliationes Eccleſiarum, & pauperum, & quilibet ſuo jure contentus, jus ſibi dicere non præſumat, ſed ſi quam ſibi fieri putat injuriam, eam ſub competenti judice proſequatur: poſſis etiam turbatores pacis compeſcere, & pro tali præſumptione punire, a ſuis nihilominus Ordinariis, ſi ad eos recurſus habitus fuerit, prout juſtitia permiſerit puniendos, cum pacis turbatione crimen commiſerint jure vel conſuetudine coercendum: poſſis etiam pariter cum eiſdem pro contemptus qualitate punire illos, qui tam pium præſtare noluerint juramentum, & alia facere, quæ ad dicti ſoliditatem negotii ad honorem Dei, & Romanæ Eccleſiæ atque tuum, necnon, & utilitatem fidelium videris expedire. Nos igitur tam paci prædictæ Provinciæ providere volentes, quam eliſis hoſtium viribus, & eorum machinationibus fraudolentis eluſis, ſtatum tuum, & Thuſcorum fidelium undique roborari; votis tuis benivolum præ-

bentes aſſenſum, pacis, quam in ea parte Thuſciæ, quæ Romano Imperio ſubjacet nunc [1] vacari, jurari volumus, & mandamus; te de Fratrum noſtrorum conſilio conſtituimus, ſervatorem, præcipientes diſtricte omnibus conſtitutis in Thuſciæ partibus, qui jam quartumdecimum exegerunt, quod ad illius ſeu illorum monita vel mandata, quos ad hoc duximus deputandos, jurent pacem ſervare; in contra pacem jurare nolentes vel eandem temere violantes, te & vices tuas gerentes juvare fideliter, nolentes nullum Principem vel Magnatem nulliuſque militiam dum vacabit Imperium recipere, qui noſtrum ac tuum ſtatum pacificum, aut ipſius pacem Provinciæ ſeu cujuſlibet partis ejuſdem velit concutere ſeu turbare. Tibi vero concedimus liberam poteſtatem tam jurare nolentes, quam eandem infringere præſumentes, pro præſumptione hujuſmodi puniendi, quos tamen a ſuis judicibus ordinariis propter hoc eximi volumus, quo minus ab eis puniri valeant, ſi forſitan crimen illud cum pacis fractione concurrit, quod eidem judicibus puniendum, mediante juſtitia videatur. Dictum autem Paciarii ſeu pacis Servatoris officium, & omnia ſupraſcripta cum omnibus, quæ ad hujuſmodi ſolidationem negotii pertinebunt, quæ tibi committimus per te vel alium, aut alios, quos ad hoc deputare volueris exercendi ea tibi lege concedimus, quod ſi for-

[1] vacanti.

ſi forſitan Imperatorem vel Regem Romanum a Sede Apoſtolica approbatum regnare contigerit, tu ex tunc eodem officio non utaris amplius ultra menſem: & ſi contrarium forte feceris, eo ipſo perſonam excommunicationis, terram vero interdicti ſententiis, quas propter hoc ex tunc ferimus, decernimus ſubjacere. Porro per hæc, vel horum aliquid, conventionibus inter nos, & te in conceſſione Regni Siciliæ olim initis, in nullo volumus derogari, ſed illæ nihilominus in ſuo robore perſeverent. Datum Viterbii II. nonas Junii Pontificatus noſtri anno tertio.

II.

IDem univerſis Marchionibus, Comitibus, & aliis Magnatibus necnon Poteſtatibus, Capitaneis, cunctiſque Rectoribus, & Conſiliariis ac Univerſitatibus, Civitatum, Caſtrorum, & aliorum locorum cæteriſque per partes Thuſciæ Romano ſubjectas Imperio conſtitutis.

Qualiter hactenus Provinciam Thuſciæ, immo ſingulas fere partes ipſius ſciderit inveterata diſſenſio, quam graviter lacerarit, quam gravia (proh dolor!) animarum pericula, quas ſtrages corporum, quæ rerum germinarit diſpendia, vos non aliter quam expertos expedit admonere. Scitis etiam quod in quibuſlibet ejuſdem Provinciæ civitatibus, caſtris, & villis, animis per domeſtica, & particularia odia concitatis, & non

ſolum inter ea diſcordiis publicis obfirmatis alterutrum, ſed illiſmet in ſe ipſis diviſis in partes, adeo concitationis, & diſcordiarum hujuſmodi proceſſit iniquitas, quod ad internicionem propriam ſuis eadem viribus Provincia non contenta, nationes ad id etiam barbaras advocavit, tyrannorum interdum ſe jugo ſubiiciens, & cum miniſtris ipſorum in partes eaſdem alternis vicibus, prout exquiſitis inſidiis oportunitas procurata permiſit, tyrannidem frequenter exercens. Hæc, & alia non facile numeranda diſcrimina, quæ in eadem Provincia diuturnitas tam periculoſæ diſſenſionis induxit, & in futurum tantò periculoſius comminatur, quantò radices ex eo videtur firmiores egiſſe, quod, ipſius principalibus ſatoribus & cultoribus extirpatis, nihilominus ipſa non aruit, ſed in pluribus ejuſdem ejuſdem Provinciæ partibus cotidie revireſcit; ordinatum in nobis ad vos paternæ compaſſionis affectum inſtanter movent, & multipliciter excitant, ut & illatis per hoc gravaminibus, quibus poſſumus remediis ſuccurramus accomodis, & in ferendis Divina favente clementia promptis auxiliis occurramus. Ideoque ut tot mala pacis lenitas ſopiat, quæ guerrarum calamitas introducit, ſummopere affectamus, ſic animos veſtros fieri omnino pacificos, quod inter vos ceſſent familiares inſidiæ, cedant domeſticæ ſimultates, nec bella inteſtina ſuperſint. Deſideramus omnimodis ſic veſtris finibus pacem dare, quod non ſit de

de cætero, qui eandem Provinciam velit vel valeat exterrere. Attendentes itaque quod cum ad Prælatos omnes, & Epiſcopos maxime ſpectet in ſuis diœceſibus, exhortationibus prius, & tandem ſua juriſdictione ac poteſtate revocare ad concordiam diſcordantes; multo magis ad nos, qui poteſtatis plenitudine fungimur nobis ex alto conceſſæ, ſingulariter pertinet in univerſali Eccleſia, cunctave congregatione fidelium in omni tempore pacem quærere, ac ipſam facere diligentius obſervari. Nunc autem potiſſime in prædictis Thuſciæ partibus, quæ Imperiali deſtitutæ regimine, noſtræ in his proviſionis remedium ſpecialiter expetunt, & expectant, ut inter vos per concordiam bona creſcant, quæ per diſcordiam ſunt dilapſa, pacis bonum, quod ſic cætera bona complectitur, ſic conſervat, quod turbantur aut pereunt, ejus dulci, & utili conſortio deſtituta, propagari admodum deſiderantes in vobis, de Fratrum noſtrorum conſilio duximus ordinandum, ut incolæ partium dictæ Provinciæ Romano ſubjectæ Imperio pacem jurent ſe inviolabiliter ſervaturos, & eam ſtudeant fideliter obſervare. Non intendentes quod per hoc aliquis ſui juris proſecutionem omittat, ſed ut illud non viribus ſed juribus coram competenti Judice proſequatur: ne ſi quiſquam ſine ſui Magiſtratus Imperio ſibi jus dicere propria temeritate præſumeret, non abſque gravi aliorum diſpendio pacem Provinciæ perturbaret. Pacis au-

tem hujuſmodi cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Siciliæ Regem illuſtrem de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio conſtituimus Servatorem, eidem in prædictis ejuſdem Provinciæ partibus Paciarii ſeu pacis Servatoris officium committentes, per ſe, vel per alios, quos ad id deputaverit, exercendum, puniendi pacem jurare nolentes vel eam juratam temere violantes: inſuper ſibi ſub forma negocio competenti poteſtate conceſſa. Quocirca Univerſitatem veſtram &c. *uſque mandantes*. Quatenus ad ipſum reſpicientes pacis auctorem, & ad ſalutem animarum veſtrarum, ac tranquillitatem veſtram totiuſque dictæ Provinciæ intendentes, nullam omnino difficultatem ingeratis in hujuſmodi pace juranda, ſed ipſam promptis animis ſinceriſque jurantes, ſtudeatis eam fideliter, & inviolabiliter obſervare. De ſe quidem queri poterit, qui pacis commodis, & hujuſmodi noſtris ordinatione, ac mandato contemptis, pro tam gravi contemptu pœnam de meritis ſuis emeritam non indigne ſubibit. Datum *ut in proxima ſuperiori*.

III.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Siciliæ Illuſtri ſalutem.

Ne in poſterum rei geſtæ memoriam diutunitas temporis forſitan obliteret, litterarum noſtra-

ſtrarum præſentium inſinuatione teſtamur, te ligium homagium, & fidelitatis juramentum, ratione regni Siciliæ ac terræ citra Pharum, tibi a Romana Eccleſia conceſſarum nobis feciſſe ac præſtitiſſe, in forma ſubſcripta, ſuper hoc literis tuis formam eandem exprimentibus, bullatis aurea tua bulla conceſſis; quarum tenor talis eſt. IN DEI NOMINE AMEN. Ego Carolus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ &c. Ad honorem Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & beatæ & glorioſæ Virginis Mariæ, Beatorum quoque Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Eccleſiæ Romanæ, ligium homagium facio tibi Domino meo Innocentio PP. Quinto tuiſque Succeſſoribus canonice intrantibus, & ipſi Eccleſiæ pro regno Siciliæ, & tota terra quæ eſt citra Pharum, uſque ad confinia terrarum ejuſdem Eccleſiæ: quæ utique, regnum, & terram, excepta Civitate Beneventana, cum toto territorio, & omnibus diſtrictibus, & pertinentiis ſuis mihi & hæredibus meis prædicta Eccleſia Romana conceſſit.

Ego Carolus Dei gratia Rex Siciliæ plenum, & ligium vaſſallagium faciens Eccleſiæ Romanæ pro regno Siciliæ, & tota terra, quæ eſt citra Pharum uſque ad confinia terrarum ipſius Eccleſiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio, & omnibus diſtrictibus, & pertinentiis ſuis ſecundum antiquos fines territorii pertinentiarum, & di-

& diſtrictûs civitatis ejuſdem, per Romanum Pontificem diſtinctos vel in poſterum diſtinguendos, ab hac hora fidelis, & obediens ero B. Petro, & tibi Domino meo Innocentio PP. Quinto, tuiſque ſucceſſoribus Canonice intrantibus, ſanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ. Non ero in conſilio aut conſenſu vel facto, ut vitam perdatis, aut membrum aut capiamini mala captione. Conſilium quod mihi credituri eſtis, per vos aut per nuncios veſtros, ſive per literas, ad veſtrum damnum me ſciente nemini pandam: & ſi ſcivero, fieri vel procurari ſive tractari aliquid, quod ſit in veſtrum damnum, illud pro poſſe impediam, & ſi impedire non poſſem, illud vobis ſignificare curabo. Papatum Romanum, & Regalia Sancti Petri tam in regno Siciliæ & terra prædictis, quam alibi exiſtentia, adiutor ero vobis ad retinendum, & defendendum ac recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Item juro, me ad hoc ſpecialiter obligans, quod ego ſeu mei in regno & terra prædictis hæredes, nunquam per nos, vel alios, ſeu quocunque modo procurabimus, ut eligamur vel nominemur in Regem vel Imperatorem Romanum, vel Regem Theotoniæ, ſeu Dominum Lombardiæ, vel Thuſciæ, vel majoris partis earundem Lombardiæ vel Thuſciæ: & ſi Electionem vel nominationem ad Imperium, vel ad Regnum Romanum, ſeu ad Regnum Theotoniæ, aut ad Dominium Lombardiæ, vel Thuſciæ,

ſeu

ſeu majoris partis earum de me, vel ipſis hæredibus celebrari contigerit, nullum hujuſmodi electioni, vel nominationi aſſenſum præſtabimus, nec intromittemus nos ullo modo de regimine ipſius Imperii, vel regni Romani, ſeu regni Theotoniæ, aut Lombardiæ, aut Thuſciæ vel majoris partis earum, ad quodcumque horum nominati fuerimus vel electi. Quod ſi ego vel aliqui in Regno hæredum meorum, ſtudentibus, & procurantibus me aut eis, ad Imperium ipſum ſive ad dictum Regnum Romanum ſive Regnum Theotoniæ, aut Dominium Lombardiæ, ſeu Thuſciæ, vel majoris partis earum, electi ſeu nominati fuerimus (ſi hoc verum, & manifeſtum fuerit) aut ſi poſt talem electionem vel nominationem de Imperii vel Regni Romani ſeu Regni Theotoniæ aut Lombardiæ ſeu Thuſciæ vel majoris ipſarum partis regimine, ego vel ipſi nos manifeſte intromiſerimus; eo ipſo a jure prædictorum Regni Siciliæ, & terræ cadamus ex toto, ipſaque prorſus amittamus, & eadem Regnum, & terra ad Romanam Eccleſiam libere devoluantur. Si autem ego vel aliquis ex dictis hæredibus electioni vel nominationi factæ, non procurantibus me vel eis, aut procurantibus conſenſerimus, & huic electioni ſeu nominationi vel juri ego vel ipſi omnino renunciemus, & quod de Imperio ſeu aliquo alio præmiſſorum ad quod electi ſeu nominati ego vel ipſi fuerimus, nos nullatenus intromittamus, moniti, infra quatuor

tuor menſium ſpatium poſt monitionem hujuſmodi tali electioni ſeu nominationi vel juri non renuntiaverimus, vel de ipſo Imperio ſeu aliquo præmiſſorum ad quod electi vel nominati fuerimus nos intromiſerimus quoquomodo; ex hoc ſimus ego & ipſi eiſdem Regno Siciliæ, & terra ac omni prorſus eorum jure privati, &, ut dictum eſt, eadem Regnum, & terra ad Romanam Eccleſiam libere devolvantur. Si vero ad me vel ipſos meos in eodem regno hæredes non poterit commode talis monitio pervenire; (ſuper quo utique impedimento, videlicet quod moneri commode, ego vel ipſi nequeamus, credetur, & ſtabitur aſſertioni veſtræ ſeu ſucceſſorum veſtrorum ſive dicto) ſufficiet pro ea ſuper hoc veſtra ſeu ipſorum Succeſſorum veſtrorum monitio publica, & ſollemnis, ita quod ſi infra ſex menſes poſt illam non renuntiaverimus, aut de Imperio ſeu aliquo alio prædictorum, ad quod ego vel dicti hæredes electi ſeu nominati fuerimus, nos quomodolibet intromiſerimus, cadamus ex hoc ab omni jure Regni, & terræ, & Regnum & terra ipſa ad Romanam Eccleſiam libere devolvantur. Cæterum ſi contigerit, aliquem de dictis meis hæredibus, qui debent in prædictis Regno Siciliæ, & terra ſuccedere, in Regem vel Imperatorem Romanum ſeu Regem Theotoniæ vel Dominum Lombardiæ aut Thuſciæ ſeu majoris partis earum nominari ſeu eligi vel aſſumi, nullatenus poſſeſſionem eorundem

Regni

Regni Siciliæ, & terræ nanciſcatur vel habeat, nec ſe de illorũn cura ſeu dominio, & regimine per ſe vel alios aliquatenus intromittat, niſi prius Imperio vel Regno Romano ſeu Regno Theotoniæ aut dominio Lombardiæ vel Thuſciæ ſeu majoris earum partis ad quodcunque eorum electus nominatus fuerit vel aſſumptus, & omni juri ſibi competenti in illis omnino renuntiet, & illorum regimini nec de jure nec de facto illud gerens vel retinens, omnino dimittat ipſum, nullo unquam tempore reſumpturus: alioquin cadat ab omni ſucceſſione, & jure, quæ in Regno Siciliæ ac terra prædictis ſibi competerent, ipſo facto, ita quod eadem Regnum Siciliæ & terra ad Romanam Eccleſiam ejuſque diſpoſitionem plene ac libere devolvantur. Quod ſi non extantibus maſculis femina in eiſdem regno & terra ſucceſſerit, illa Regi vel Imperatori ſeu in Regem vel Imperatorem Romanum electo, aut Regi vel electo in Regem Theotoniæ ſeu Domino Lombardiæ vel Thuſciæ aut majoris partis earum, ſeu electo ad earum dominium, nunquam matrimonialiter copuletur, & ſi contrarium fecerit eo ipſo cadat a Siciliæ regno, & terra prædictis, maneatque prorſus ipſorum jure privata, ipſis regno, & terra ad eandem Eccleſiam devolutis. Si autem ego vel aliquis dictorum in Regno meorum hæredum contra hoc venerimus, eo ipſo excomunicati prout ſecundum conditiones ſub quibus regnum, & terra

& terra prædicta mihi, & hæredibus meis conceſſa ſunt, per Sedem Apoſtolicam extitit ordinatum, & inſuper labe, & reatu perjurii reſperſi, & notati exiſtamus. In hujuſmodi quoque juramento addo, & per eoſdem in dicto regno hæredes addetur expreſſe; quod nullo unquam tempore regnum, ſeu Imperium Romanum, aut regnum Theotoniæ vel dominium Lombardiæ ſeu Thuſciæ, aut majoris earum partis, aut eaſdem Lombardiam vel Thuſciam vel majorem partem ipſarum, per nos vel per alios ſeu alium occupabimus, capiemus vel adquiremus, aut nobis aliàs quomodolibet vendicabimus: & ſi ſecus fecerimus, ſecundum præſcriptam formam pœnas ſimiles incurramus. Quod autem dicitur de majori parte dominii Lombardiæ vel Thuſciæ, intelligitur ſcienter: ſi vero ignoranter, eam ad mandatum Eccleſiæ dimittere teneamur, & ſi eam Eccleſia mandante dimittamus, non incidamus in pœnam in iſto articulo, & conceſſionibus conſtitutam; ſi vero moniti non dimittamus, remaneat pœna, prout in hoc articulo, & aliis conſimilibus conſtituta. Quod ſi forte impoſterum Regem Siciliæ contigat in Imperatorem eligi, poſtquam fuerit Regni poſſeſſionem adeptus, non tranſeat ad Imperium; alioquin in pœnas incidat in hoc articulo, & aliis conſimilibus conprehenſas. Quod ſi Regni poſſeſſione prædicti nondum agnita ſeu obtenta, in Imperatorem electus tranſire voluerit

rit ad Imperium, in manu prius Romani Pontificis vel *illius*, quem ad hoc idem Pontifex duxerit deſtinandum, filium ſuum ſucceſſurum in regno cujuſcunque fuerit ætatis emancipet, & regno renunciet, nihil juris in eo retinens clam vel palam, nec cujuslibet etiam poteſtatis: nec ipſum filium ad ſervitium vel ſubſidium aliquod faciendum juramento vel voto, ſtipulatione, vel pacto ſibi vel ſucceſſoribus ſuis aſtringat, ſicque factus filius ſui juris ab eodem Romano Pontifice vel ab alio deſtinato ab ipſo protinus inveſtiatur de Regno. Ad cujus Regis ſucceſſionem ſi forte decederet ſine liberis, nullo unquam tempore pater veniat Imperator exiſtens: ſed ſi Imperio, & omnibus, quæ ad Imperium pertinent idem pater renunciare voluerit, & Regno tantum eſſe contentus, poſt renunciationem hujuſmodi ad illius ſucceſſionem libere admittatur, & tunc ab ipſo Romano Pontifice vel ab alio deſtinato ab ipſo inveſtituram recipiat Regni ejus. Quod ſi dictus filius ſic ad Regnum aſſumptus major annis decem & octo fuerit, libere adminiſtret: ſed quandiu minor extiterit, tam ipſe quam regnum ipſius in cuſtodia Romanæ Eccleſiæ maneat, donec Rex ipſe impleverit ſupradictam ætatem, fructibus, & obventionibus regni, ex quibus ſumptus neceſſarii faciendi pro ejuſdem Regni cuſtodia deducantur, Regi conſervandis eidem, & lucro alterius, ratione ipſius cuſtodiæ, non ceſſuris. Quæ vero

vero de filio dicuntur, ut ei videlicet regnum poſſit ſub obſervatione præmiſſa a patre ad Imperium tranſeunte dimitti, de filia etiam eſt conceſſum. Et ſi Rex non habens filios in Imperatorem electus ad Imperium tranſire voluerit, & de perſonis, quæ in conditionibus contentis in inſtrumento ſeu literis, bonæ memoriæ, A.[1] Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbyteri, & Venerab. patrum R.[2] Sancti Angeli, J.[3] Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, & Jacobi S. Mariæ in Coſmedin Diacon. Cardinalium ſuper conceſſione prædictorum regni, & terræ mihi facta, confectis dicuntur, liberis non extantibus in regno poſſe ſuccedere, aliqui ſuperſtites fuerint; quæ de filio, & filia prædicta ſunt, obſerventur in illis, excepto emancipationis articulo, qui in ſolis illis procedere poterit, quæ capaces emancipationis exiſtent ratione patriæ poteſtatis. Quod ſi Regi Siciliæ ſine filio decedenti ſuperſtes ſit filia, vel mulier alia, quæ juxta formam in prædictis conditionibus contentam debeat ad hujuſmodi ſucceſſionem admitti, quæ Imperatori dum ipſe Rex viveret, fuerat deſponſata vel nupta; non ſuccedat in regno, & ſi regno ſibi delato, Imperatori nupſerit, cadat protinus ab eadem, niſi vir ejus Imperio prorſus renuncians, regno ſolummodo ſit contentus. In primo autem caſu, repulſis filia, & alia prædicta, ad perſonas illas ſervatis gradibus regnum perveniat, quas in regno poſ-

1 Anibaldi. 2 Ricardi. 3 Joannis.

poſſe ſuccedere in ipſis conditionibus continetur, ſi Regi præmormo liberi non ſuperſint. In ſecundo autem caſu regnum ipſum ad Romanam Eccleſiam devolvatur. Regnum quoque Siciliæ, & terra prædicta Imperio nullo modo ſubdentur nec ſibi ullo unquam tempore in eadem perſona quomodolibet unientur, & præciſe ſuper hoc articulo tam per pœnas ſpirituales, quam per alias cautiones cavebo juxta Eccleſiæ voluntatem, quandocumque tu, vel dicti ſucceſſores tui hoc duxeritis requirendum: cum prorſus ſit intentionis Romanæ Eccleſiæ, ut regnum, & terra prædicta nullo unquam tempore Imperio uniantur, ut ſcilicet unus Romanus Imperator, & Siciliæ Rex exiſtat. Quod autem circa unionem ipſorum regni, & terræ cum Imperio dictum eſt, hoc ipſum circa unionem eorundem Regni, & terræ cum regno Romano aut regno Theotoniæ, ſeu cum Lombardia vel Thuſcia, ſive cum majori parte ipſarum Lombardiæ vel Thuſciæ volo, & intelligo eſſe dictum. Univerſas, & ſingulas conditiones contentas in prædictis inſtrumento ſeu litteris prædictorum bonæ memoriæ A. Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbyteri, & Venerabilium patrum R. Sancti Angeli. I. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, & Jacobi Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconorum Cardinalium ſuper ipſorum regni, & terræ conceſſione mihi ab eis facta, confectis; & omnia, & ſingula, quæ continentur in eiſdem in monu-

inſtrumento ſeu litteris plenarie adimplebo, & inviolabiliter obſervabo, nec nullo unquam tempore veniam contra illa: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia. In hujus autem rei teſtimonium perpetuamque memoriam præſens ſcriptum exinde confici juſſi, & aurea bulla regiæ Majeſtatis impreſſa typario communiri. Actum in Palatio Lateranenſi An. Dom. MCCLXXVI. menſis Martii ſecundo die IV. Indictionis, regni noſtri Anno XI.

Nos itaque hujuſmodi homagium, & fidelitatis juramentum de Fratrum noſtrum conſilio acceptamus, tibi exinde ad tuam, hæredunque tuorumque cautelam eaſdem noſtras literas concedentes.

De Fratrum noſtrorum conſilio declaramus, quod, pro eo quod per te vel per alios egiſti hactenus, de beneplacito Sedis Apoſtolicæ Dominium, Senatoriam ſeu regimen urbis, ac Vicariam Thuſciæ, non veniſti in aliquo nec feciſti contra conditiones contentas in inſtrumento ſeu litteris confectis de collatione regni Siciliæ, ac totius terræ, quæ eſt citra Pharum, atque ad confinia terrarum Eccleſiæ Romanæ, Civitate Beneventana cum ſuo territorio, diſtrictibus, & pertinentiis excepta, tibi facta Sedis Apoſtolicæ auctoritate per bonæ memoriæ A. Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbyterum, & dilectos filios noſtros R. Sancti Angeli, I. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, & I. Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconos Cardinales,

les, nec pœnas in eiſdem conditionibus expreſſas vel earum aliquam incurriſti, nec juramentum ſuper eiſdem conditionibus plenarie adimplendis, & inviolabiliter obſervandis a te præſtitum aliquatenus violaſti, nec quamdiu deinceps eadem Dominium, Senatoriam ſeu Regimen Urbis toto tempore tibi ad hoc ab eadem Sede conceſſo, aut Vicariam Thuſciæ, de noſtris, vel prædictorum noſtrorum conceſſione ſeu beneplacito geſſeris, contra conditiones eaſdem in aliquo veniens, aut faciens, nec prædictas pœnas aut aliquam ipſarum incurres, nec præfatum juramentum propterea violabis. Actum in Palatio noſtro Lateranenſi IV. nonas Martii Pontificatus noſtri anno primo.

I V.

MArtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Regi Siciliæ Illuſtri, Senatori Urbis &c.

Pater futuri ſeculi, Princeps pacis, qui nos licet, judicio noſtræ humilitatis, indignos, vocari ad ſui Vicariatus officium ſua inſcrutabili dignatione conceſſit, noſtris infudit affectibus, ut ab hujuſmodi vocationis exordio, ponentes quaſi viarum noſtrarum principium bonum pacis, in S. Matris Eccleſiæ filios totis nitibus illius niteremur fluenta diffundere, diffuſaque continuis favoribus irrigando fovere. Hoc nobis circa magnificum, & peculiarem Urbis populum ſpecialis ſuggeſſit affectio, ſpecialiter nobis illius

imminens cura ſuaſit. Id enim exigebat ejuſdem Urbis inteſtina turbatio, animarum pericula ingerens, & rerum vaſtitatem inducens. Ad idem urgebat inſtantius noſtra devotio, interpellans multipliciter, & inſtigans, ut in illius videlicet Apoſtolorum Principis veneranda Baſilica ſucceſſor ipſius munus conſecrationis reverenter acciperet, cujus Divina diſpoſitione onus ſucceſſionis accepit: in ea civitate ſumeret idem ſucceſſor Apoſtolicis honoris inſignia, ex qua titulum ſuæ denominationis aſſumit, Romanus Pontifex ſeu Papa vocatus. Hinc, ut ſaluti tam ſpiritualium filiorum proviſio paterna ſuccurreret, damnis occurreret, & tantæ ipſius noſtræ devotionis inſtantiæ deſiderata ſatisfactio proveniret, noſtræ conſecrationis, & coronationis [1] ſollemnia non ſine multorum perſuaſione contraria, non abſque negotiorum nobis imminentium, & ad retardatæ ipſorum expeditionis accelerationem inſtantium impedimento, diſtulimus ad Urbem eandem venerabili fratri L. [2] Oſtienſi Epiſcopo, & dilecto filio noſtro G. [3] Sancti Georgii ad Velum aureum Diacono Cardinali, velut Angelis pacis, deſtinatis, ut inibi reformando ſtatum pacificum, ſopirent odia, concordarent corda diſcordia, & in unitate caritatis unirent, nobiſque adeundi Urbem eandem ad proſequenda præſertim eadem ſollemnia, opportunitatem Curiæ noſtræ ipſamque ſequentibus ne-

1 deeſt in Martene 2 Latino Malabranca. 3 Gottifredo de Alatro.

neceſſariam præpararent. Quibus diligenter ſollicitudini eis commiſſæ vacantibus, licet in illius executione ipſis non ſolum principalium partium aperta diſcordia, verum etiam diſſenſiones particulares, quæ, inimico homine ſuperſeminante zizania, cotidie multiplicabantur, obſiſterent, tandem tamen faciente, ut credulitas devota ſupponit, pacis actore [1] illa ſola via remedii ad optinendam ipſius urbis tranquillitatem, quam per hoc ſpes veriſimilis promittebat, & eventus exſoluit, huc uſque præter intentionem mittentis occurrit, ut [2] nobis regimen Urbis committeretur ejuſdem. Sed quia occurrentibus demum ad id votis partium, & populi prædictorum, Conſtitutio felicis recordationis Nicolai Papæ Prædeceſſoris noſtri de Imperatoribus, Regibus, Principibus, Marchionibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, vel alicujus notabilis præeminentiæ, potentiæ, poteſtatis, excellentiæ vel dignitatis exiſterent, aut fratribus, filiis, ſeu nepotibus eorundem, quovis modo vel colore tam per ſe quam per aliam perſonam quomodolibet ſubmittendam, in Senatorem, Capitaneum, Patricium, aut Rectorem, vel ad ejuſdem Urbis regimen ſeu officium non nominandis ſub certa forma, & pœnis édita, ne ad id procederetur, putabatur obſtare: nos tantis ejuſdem populi periculis obviare volentes omne impedimentum, ſive obſtaculum, ſi quod circa hoc ex eadem

1 auctore. 2 *vobis* Martene.

dem Conſtitutione quomodolibet occurrebat, ea vice de poteſtatis plenitudine duximus ſubmovendum. Sicque poſtmodum, ſæpefato Urbis populo ad ſonum campanæ voceſque præconum, ut moris eſt, ante palatium Capitolii publice congregato, dilecti filii nobiles viri Petrus de Comite, & Gentilis de filiis Urſi tunc Senatores Urbis, ordinati ab ipſo Romano populo Electores, ex auctoritate, ac poteſtate ſuper hoc eis ab eodem populo Romano conceſſa, invocata Spiritus Sancti gratia, nobis, ut eorum verba ſequamur, non ratione Papatus, vel Pontificalis dignitatis, ſed ratione perſonæ noſtræ, unanimiter, & concorditer tranſtulerunt, & plenarie commiſerunt regimen Senatus Urbis, ejuſque territorii, & diſtrictûs toto tempore vitæ noſtræ, ac dederunt nobis plenam, & liberam poteſtatem regendi toto tempore vitæ noſtræ Urbem ejuſque territorium, & diſtrictum per nos, vel per alium, ſeu alios, & eligendi, inſtituendi, ſeu ponendi Senatorem vel Senatores unum, vel plures ad tempus ſeu tempora, & ad ſolarium, ſecundum formam, & modum prout nobis placeret: necnon dederunt, tranſtulerunt, & plenarie commiſerunt nobis plenam, & liberam poteſtatem diſponendi, & ordinandi per nos, vel per alium, ſeu alios de regimine prædictorum Urbis, territorii, & diſtrictus prout hoc, & alia in nos ab eodem populo Romano tranſlata nobiſque commiſſa, & data in inſtumento publico ſuper hoc per manus Stephani Jo-

Joannis Guidonis Eccleſiæ Romanæ Judicis, & Scriniarii, Senatuſque ſcribæ confecto, ſigillo ipſius Urbis ſigillato, plenius continetur, cujus tenorem fecimus ad perpetuam rei memoriam præſentibus annotari, de eadem poteſtatis plenitudine decernentes, tenorem ipſum, etiamſi prædictum originale inſtrumentum contingeret deperire, per omnia eandem vim, & poteſtatem habere: necnon, & eandem probationem facere quam prædictum originale haberet, & faceret, ſi non corruptum, non cancellatum, non abolitum, nec in aliqua ſui parte viciatum, ſed totaliter integrum, & ſollemne in propria ſui facie appareret. Tenor autem *ejuſdem* inſtrumenti talis eſt.

IN NOMINE Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Anno MCCLXXXI., tempore Domini Martini Papæ Quarti, die Lunæ, x. Martii, nonæ Indictionis. In præſentia mei Stephani Scribæ Senatus, & horum teſtium ad hoc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum congregato magnifico populo Romano ante palatium Capitolii publice ad ſonum campanæ, & voces præconum, ut moris eſt, de mandato nobilium virorum Dominorum Petri de Comite, & Gentilis de Filiis Urſi, Almæ Urbis Illuſtrium Senatorum, iidem nobiles viri Domini Gentilis de Filiis Urſi, & Petrus de Comite Senatores, Electores ordinati a magnifico populo Romano, ex auctoritate, & poteſtate eis ſuper hoc a præfato populo Romano conceſſa.

ceſſa, attendentes ſanctitatem, prudentiam, & bonitatem ſanctiſſimi Patris noſtri Dñi Martini Papæ Quarti, & dilectionem, quam idem Dominus Papa habet ad Romanam Urbem, & Romanum populum, & ſperantes, quod per ipſius ſapientiam, & probitatem expertam, bono ſtatui Urbis, & populi Romani ſalubriter poterit Divina favente gratia provideri, invocata Spiritus Sancti gratia, præfato D. Martino Papæ Quarto, non ratione Papatus, vel Pontificalis dignitatis, ſed ratione ſuæ perſonæ, quæ de nobili proſapia traxit originem, unanimiter, & concorditer tranſtulerunt, & plenarie commiſerunt regimen Senatus Urbis, ejuſque territorii, & diſtrictus, toto tempore vitæ ſuæ, & dederunt ſibi plenam, & liberam poteſtatem regendi toto tempore vitæ ſuæ Urbem, ejuſque territorium, & diſtrictum per ſe, vel per alium ſeu alios, & eligendi, inſtituendi, ſeu ponendi Senatorem, vel Senatores, unum, vel plures ad tempus ſeu tempora, & ad ſolarium, ſecundum formam, & modum, prout ſibi placebit: necnon dederunt, tranſtulerunt, & plenarie commiſerunt dicto Domino Papæ Martino plenam, & liberam poteſtatem diſponendi, & ordinandi per ſe, vel per alium, ſeu alios de regimine prædictorum Urbis, & territorii, & diſtrictus, & inſuper diſponendi ſeu ordinandi de proventibus, fructibus, ſeu ſpectantibus ad Urbem eandem, ſeu ad commune populi Romani, prout de ipſius Domini Papæ proceſſerit voluntate; mutandi etiam Senato-

natores in Urbe, & alios ſubſtituendi, ſeu ſubrogandi quandocumque voluerit, & limitandi modum regiminis ipſorum, ac inſuper convertendi præfatos fructus ſeu obventiones in utilitatem,& meliorationem ipſius Urbis, & tam Senatori vel Senatoribus, qui erunt pro tempore, quam aliis Urbis officialibus ſeu miniſtris,de prædictis fructibus, ac proventibus, prout ſibi placuerit providendi, faciendi quoque in præmiſſis omnibus, & ſingulis, & circa præmiſſa pertinentia ad prædicta,quicquid de ipſiusDñi Martini Papæ proceſſerit voluntate, toto tempore vitæ ſuæ; & contradictores, & rebelles ſeu non parentes pœnis, modis, mulctis, & viis per ſe, vel per alium quibus ſibi placuerit puniendi. Voluerunt quoque prædicti Electores quod per prædicta, vel aliquid prædictorum in nullo dimminuatur, ſeu creſcat jus populi Romani, ſeu Eccleſiæ Romanæ in electione Senatus Urbis, tranſacto tempore vitæ ipſius D. Papæ Martini, ſed jus ſuum permaneat ex tunc integrum cuilibet, & illæſum. Quibus concorditer, & unanimiter celebratis per Electores jam dictos, ipſi Electores prædicta omnia, & ipſam electionem, & omnia, & ſingula ſupradicta recitaverunt ipſi populo, & ſolemniter publicaverunt, & idem populus omnia & ſingula ſupradicta acceptavit, & confirmavit expreſſe. Actum, & prædicatum in prædicto populo præſentibus Dño Angelo Malabranca, D. Petro Bulgamino, D. Paulo Bartholomæi, D.Thomaſio olim de Ocra, & nunc cive Ro-

Romano, D. Angelo Dompnico, D. Petro Paparonis, D. Jacobo Ilpetino, D. Fr. Joanne Odonis Maynardi Judice, D. Petro Rodulphi, & Joanne Dompzellocti Notario, teſtibus ad hoc vocatis, & rogatis. Ego Stephanus Joannis Guidonis S. R. Eccleſiæ Judex, & Scriniarius, & nunc Scriba Senatus prædictis omnibus interſui, ſcripſi, & publicavi rogatus, de mandato, & auctoritate dictorum Dominorum, & populi ſupradicti in anno, indictione, menſe, & die prædictis.

Sane hujuſmodi electione, tranſlatione, commiſſione, poteſtatis datione nobis per ſollemnes Ambaſsatores, & legitimos Syndicos in Conſiſtorio præſentata publico;circa præſtandum vel non præſtandum illis aſſenſum, deliberationis noſtræ judicium diverſæ circumſtantiæ alternabant. Hinc etenim occurrebat,per hoc non eſſe adjiciendum innumeris, & immenſis oneribus, quæ officii ſollicitudo Paſtoralis indicit. Allegabat illinc paternus affectus, tam cariſſimos filios in adeo gravibus periculis animarum, & corporum a ſpirituale patre non ſic deſerendos atrociter, ſed ab illis pie potius eruendos: cum etiam cenſura legalis id habeat, ut poteſtas patria in pietate non in atrocitate conſiſtat. Vicit itaque in ſcrutinio deliberationis hujuſmodi, eorundem prædilectorum caritas filiorum, noſque noſtris adjicientes laboribus, ut eorum diſcrimina vitarentur, electioni, tranſlationi, commiſſioni, & poteſtatis dationi prædictis conſenſum præſtitimus

timus cum multa inſtantia poſtulatum. Ut igitur quod Divinæ retributionis obtentu, & ipſius intuitu populi tantummodo cœpimus, ad ejuſdem utilitatem evidentius proſequamur, quamquam ad eandem Urbem dilectum filium nobilem virum Philippum de Lavena, ne interim Rectoris cura careret, ad Senatoris officium exercendum ad tempus duxerimus deſtinandum; deliberavimus tamen illum eidem urbi Senatorem concedere, qui ejuſdem nobis cariſſimi populi opportunitatibus, & præcipue circa tranquillitatem, quam non eſt dubium in quietem totius adjacentis patriæ redundare; necnon & circa ubertatem neceſſariorum, ob cujus defectum eundem populum querulum frequenter audivimus, ſufficeret, providere. Proinde ad perſonam tuam fili cariſſime, quam novimus ex Chriſtianiſſimo genere proceſſiſſe, Domino, & Eccleſiæ Romanæ devotam, ipſius zelare ſtatum proſperum & honorem, dictæque Urbi fuiſſe, ac fore perutilem, quamque non ſolum fama, ſed & recentis facti evidentia perhibet eundem populum diutius tam in præmiſſis rexiſſe feliciter, quam in aliis etiam proſpere gubernaſſe, præmiſſæ deliberationis exitum dirigentes, ex poteſtate nobis ab eodem populo tradita, te Urbis ipſius elegimus, inſtituimus, & poſuimus Senatorem, committentes tibi regimen Senatus Urbis ejuſdem, totiuſque ſui territorii, & diſtrictus, & cætera omnia, quæ in nos ab eodem populo tranſlata, nobiſque com-

miſſa, conceſſa, ſeu data inſtrumenti prædicti ſerie continentur: teque inſuper ſubſtituentes in illis omnibus loco noſtri, electionem, inſtitutionem; poſitionem, commiſſionem, & ſubſtitutionem hujuſmodi, prædicta noſtra conſtitutione nequaquam obſtante, durare toto tempore vitæ noſtræ niſi ea expreſſe per literas facientes de prędictis omnibus, & ſingulis plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum ſingulariter mentionem duxerimus revocandam. Ut autem per omnia circa præmiſſa plenius ſit proviſum, volumus, & Apoſtolica nihilominus auctoritate decernimus, ut pro eo quod per te, vel per alios geras Senatoriam, ſeu regimen ſupradictum, nequaquam contra conditiones contentas in inſtrumento, ſeu literis confectis de collatione Regni Siciliæ, ac totius terræ, quæ eſt citra Pharum uſque ad confinia terrarum Eccleſiæ Romanæ, Civitate Beneventana cum ſuo territorio, diſtrictibus, & pertinentiis excepta, tibi facta Sedis Apoſtolicæ auctoritate per eundem Prædeceſſorem noſtrum, tituli S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconum, & bonæ memoriæ, A. Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbyterum, R. Sancti Angeli Diaconum, & dilectum filium noſtrum I. Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconum Cardinalem veniſſe in aliquo cenſearis aut pœnas in eiſdem conditionibus expreſſas vel earum aliquam incurriſſe, nec juramentum ſuper eisdem conditionibus plenarie adimplendis, & inviolabili-

biliter obſervandis a te præſtitum aliquatenus violaſſe; nec quandiu deinceps eandem Senatoriam, ſeu regimen urbis geres, toto tempore ad hoc, ut præmittitur, tibi conceſſo, contra conditiones eaſdem quoquomodo venire aut præfatum juramentum, vel illud quod ſuper eiſdem conditionibus obſervandis, & inviolabiliter adimplendis, & nobis ſecundum conditiones eaſdem in proximo es nobis præſtaturus, propterea violare, nec ipſum juramentum a te præſtitum vel præſtandum aliquod impedimentum afferre, quo minus toto præmiſſo tempore Senatoriam ſeu regimen Urbis a nobis tibi commiſſum libere per te, vel per alium valeas exercere. Nulli ergo electionis, inſtitutionis, poſitionis, commiſſionis, ſubſtitutionis, & conſtitutionis &c. Datum &c.

V.

IDem univerſo urbis populo &c.

Pater futuri ſeculi &c. *uſque* prout hoc & alia in nos a vobis translata, nobiſque commiſſa, & data in inſtrumento publico ſuper hoc per manus Stephani Joannis Guidonis Eccleſiæ Romanæ auctoritate Judicis, & Scriniarii, Senatuſque Scribæ confecto, ſigillo ipſius urbis ſigillato plenius continentur. Sane hujuſmodi electione, translatione, commiſſione, poteſtatis datione nobis per ſollemnes veſtros Ambaſsatores, & legitimos Syndi-

cos

cos præſentata &c. *uſque* libere per ſe vel per alium valeat exercere : *verbis competenter mutatis*, ſicut hæc omnia ſeries literarum ſuper illis Regi conceſſarum eidem, plenius, & aptius manifeſtat. Ideoque Univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur, intente per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus conſiderato prudentius quanta ex præfati Regis regimine vobis accreſcat utilitas, quantuſque in diverſis mundi partibus favor accedat, ipſum devote recipientes ac honorificentiam tanto Priucipi congruentem exhibentes, eidem ſibi tanquam Senatori veſtro, cui regimen Senatus, ut præmittitur, eſt commiſſum, in omnibus pareatis humiliter, & plenariæ intendatis, ut exinde Romanæ Reipublicæ tranquillitatis optatæ ſerenitas, prout deſideramus, arrideat, & totius contratæ, ſecuritas ſperata reſultet.

VI.

HOnorius electus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis populo Romano.

Levantes in circuitu conſiderationis noſtræ oculos Almam Urbem orbis caput inter cuncta Mundi climata præfulgentem lætis intuemur obtutibus: & dum conſideramus illam divinitus nobis datam in filiam, quæ dulce natale præbuit, lactavit, & nutrivit ut filium, ſpecialitate quadam inter Ro-

Romanos etiam nos, & progenitores noſtros favorabilibus amplexibus confovendo, filialis affectio quam in nobis ad ipſam natalis ſoli dulcedo creaverat, creſcit proculdubio in paternam, quam nullus profecto ſuperat, nullus, ſicut habet legalis aſſertio, vincit affectus. Dum inſuper nos electum ipſius urbis populum, quos nobis olim non ſolùm concives cariſſimos, ſed quaſi fratres effecerat loci natali idemptitas, lætanter advertimus, nobis tamquam ſpirituali patri conceſſos in filios, & curæ noſtre commiſſos; profunde nimirum ad vos, & ipſam urbem afficimur, & ad veſtra commoda, ſpecialiter ad tranquillum veſtrum ſtatum, & proſperum intentis deſideriis ſuſpiramus, quibus grandia quidem præbet veſtræ filialis gratitudinis grata meditatio, incentiva. Quis enim non delectabiliter meditetur, non gratanter acceptet, quod vos evidentiâ operum exhibentes conceptam de noſtra promotione lætitiam, adeo gratam, & acceptam vobis, ſpiritualem poteſtatem humilitati noſtræ in vos traditam oſtendiſtis, quod nos ad vitam in Senatorem Urbis concorditer eligentes, poteſtatem eandem ad temporalis etiam veſtri curam regiminis, quantum in vobis extitit, ampliaſtis, nobis electionem hujuſmodi per veſtros Ambaſsatores, & nuntios, quos lætanter, & benigne facie ſerena recepimus, præſentando. Nos itaque licèt ex impoſito nobis onere Apoſtolicæ ſervitutis, negotiorum con-

concurrentium undique varietate premimur, ut tamen circa tranquillitatem veſtram, & pacem aliorumque veſtrorum commodorum augmentum veſtris deſideriis efficacius ſatisfiat, electionem præmiſſam, necnon & ipſum temporale urbis ejuſdem, ac veſtrum regimen duximus acceptanda. Et ut in proſperitatis abundantia, ubertate fertilitatis, & pacis vos præſentialiter efficacius confovere poſſimus, ecce quaſi e veſtigio ad urbem ipſam dante Domino venire proponimus, inibi conſecrationis, & benedictionis munus, ac juxta morem prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, diadema ſummi Pontificii recepturi, & illis diligentius celeſti nobis aſſiſtente clementia vacaturi, quæ ad laudem divini nominis, & proſperitatem veſtram viderimus pertinenere. Nec miremini quod Bulla non exprimens nomen noſtrum eſt appenſa præſentibus, quæ ante ſollennia memorata præcedunt; quia hi, qui fuerunt hactenus in Romanos electi Pontifices, conſueverunt in bullandis literis ante ſuæ conſecrationis, & benedictionis munus, modum hujuſmodi obſervare. Datum Peruſii Nonis Aprilis ſuſcepti a nobis Apoſtolatus officii anno primo.

VII.

MArtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Priori Prædicatorum & Guardiano Fratrum Minorum Ordinum de Urbe ſalutem, & Apo-

& Apoſtolicam benedictionem. Expoſita coram nobis dilectorum filiorum Franciſci Nicolai Creſcentii, & Magdalenæ natæ Nicolai Joannis de *Inſula* civium Romanorum petitio conſiſtebat: quod ipſi ad ſedandas inimicitias capitales, quas inter dictum Franciſcum, & memoratum Nicolaum patrem dictæ Magdalenæ inimicus homo hactenus excitavit; per verba de præſenti matrimonium, quod adhuc conſumatum non extitit, contraxerunt eadem Magdalena per ipſum Franciſcum ſubarrata per annulum, ut eſt moris. Quia vero poſtmodum ad eorum pervenit notitiam, quod iidem Franciſcus, & Magdalena quarto ſcilicet conſanguinitatis gradu conjuncti; nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum ex diſſolutione prædicti matrimonii eædem inimicitiæ facile poſſent in grave incidere recidivum, quod impedimento hujuſmodi non obſtante dictum matrimonium conſumare ac in ipſo conſumato licite remanere valeant, diſpenſare miſericorditer dignaremur; dilecto filio nobili viro Anibaldo de Anibaldis ſuper hoc pro eis apud nos humilis ſupplicationis inſtantia inſiſtente. Nos itaque animarum periculis, quæ inducere inimicitiæ ſolent hujuſmodi, occurrere cupientes, præfati nobilis ſupplicationibus inclinati Devotioni tuæ committimus, quatenus a memoratis Franciſco, & Magdalena juramento recepto, quod dicta ſponſalia contraxerint ignorantes conſanguinitatis vinculum, quo junguntur cum ipſis, ſi quod

ſi, quod de prædictis inimicitiis præmittitur, veritate fulcitur, quod impedimento non obſtante prædicto, matrimonium libere conſumare ac in eo conſumato licite remanere valeant, auctoritate Apoſtolica, quam vobis in hac parte committimus, diſpenſetis.

VIII.

MArtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio nobili viro Carolo Illuſtri Siciliæ Regis Primogenito Principi Salernitano &c.

Die Dominico XI. menſis præſentis Oct. Nobilitatis tuæ recepimus litteras inter cætera continentes, quod cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Siciliæ Rex Illuſtris genitor tuus, a dicratia [1], qua quibuſdam diebus gravatus fuerat, erat per Dei gratiam plenarie liberatus. Super quo gratias bonorum omnium largitori: & ſollicitudinem tuam, denunciatis nobis his, & aliis rumoribus, commendantes in Domino, & condignis laudibus proſequentes, paterno rogamus affectu, quatenus ſtatum, & proceſſum ipſius Regis, & tuos totiuſque tui exercitus, quos ſemper proſperos faciat virtus Altiſſimi, frequenter nobis ſtudeas intimare. Datum apud Montem-Flaſconem.

IX.

1 *f.* dyſcraſia.

IX.

MArtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio noſtro P. Regi Aragonum Illuſtri &c.

Dilectus filius nobilis vir Guillielmus Vicecomes de Caſtro-novo Serenitatis Regiæ Nuncius, quem contemplatione mittentis, & ſuæ nobilitatis obtentu, facie ſerena recepimus, benigne audivimus, & intelleximus diligenter; nobis Magnificentiæ tuæ, quæ fidem ei adhiberi petebat, literis præſentatis, ex parte ſua quaſdam petitiones verbo prius expoſuit, & poſtmodum in ſcriptis obtulit noſtræ ac noſtrorum fratrum conſiderationi, admirationis materiam ſecum pariter offerentes. Petiit ſiquidem, tibi venerabilem fratrem noſtrum Valentinum Epiſcopum deputari Legatum,qui perſonaliter ad tuam præſentiam,crucem nihilominus in favorem negotii per te de novo contra Saracenos aſſumpti, per ſe ac alios, quos ad hoc duxerit deputandos, prædicaturus accedat, & idem negotium proſequentibus, de peccatis, prout nobis videretur, veniam indulgeri: tuam, & omnium tuorum, ut verbis utamur ipſius Nuncii, valetorum, & ſpecialiter cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Portugalliæ ac Majoricarum Regum Illuſtrium, & nobilis viri Santii nati cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Caſtellæ, ac Legionis illuſtris, fratrumque ſuorum perſonas, & terras

ſub Sedis Apoſtolicæ protectione recipi; & in omnes, te vel ipſos, tua vel ipſorum litora impetentes, quamdiu tu & ipſi ad expugnationem dictorum infidelium operam dederitis efficacem, & parati fueritis in noſtro examine ſtare juri, ſeu ad cognitionem communium amicorum quibuſcunque de vobis querelantibus reſpondere, excommunicationis ſententiam promulgari: ac inſuper decimam in Tarraconenſi Provincia jam collectam tibi pro hujuſmodi negotii executione concedi. Sane quamquam in his, ex eo, quod idem Nuncius nullum exhibuit, prout res exigere videbatur, ſpeciale ad tam ſingularia petenda mandatum, ſed ejus in genere ſolummodo quamdam ex prædictis literis conjecturam, & ex illorum, quæ petitiones eædem continent qualitate, cauſam habuerit admiratio noſtra multiplicem; illud tamen nos, & fratres eoſdem propter ſinceræ charitatis affectum, quem ad te gerimus non ſine anxietate ſollicitat, quo videlicet ductus conſilio, quo fretus auxilio Africam diffuſo quidem vaſtam ambitu, refertam incolis non prorſus inbellibus, diviciis opulentam, munitionibus, ut fertur, & crebis non vacuam, aſſumpſeris invadendam: præſertim Romana Eccleſia matre tua, quam in his maxime, quæ Fidem reſpiciunt, viarum tuarum ejus aſſumendarum arbitrio, habere te decuiſſet aurigam, penitus inconſulta, nec nobis ante negotii ejuſdem initium publice divulgatum, tuo circa illud pro-

propoſito quomodolibet relato : quamquam id a tuæ Celſitudinis Nuncio per nos fuerit cum inſtantia etiam ſecrete petitum. Licèt enim ſit regalis magnanimitas hujuſmodi aſſumptione ſuperior, ejus tamen quamtacumque potentia, viribus impar, & ſumptuum ad id neceſſaria erogatione videtur. Cum igitur hoc, & alii facti circumſtantiæ varie noſtrum, & eorundem fratrum circa finalem reſponſionem ad petita judicium, quouſque ſuper illis obveniat inſtructio plenior, ſuaſerit nec immerito ſuſpendendum; venerabilem fratrem noſtrum B.[1] Groſſetanum Epiſcopum, virum utique nobis, & eiſdem fratribus merito ſuæ probritatis acceptum, & in ſibi commiſſis experientia longa probatum, deliberavimus, ob obtinendam inſtructionem hujuſmodi, ad Regalem Excellentiam deſtinandum, rogantes & obſecrantes in D. J. Chriſto. quatenus ipſum, ob reverentiam ejuſdem Sedis & noſtram benigne recipiens, & tractans honore condigno, illi plene in præmiſſis animum tuum aperias, & eum in his, & aliis quæ circa eadem a te duxerit ſciſcitanda ſic ad plenum inſtruas, ſic ſufficienter informes, quod in ejus reditu nos ex ſufficientia ſuæ relationis inſtructi circa prædicta, poſſimus, quæ Deo ſunt placita, Chriſtianitati utilia, & quibus tu, quem corde ſincero diligimus, cujuſque profectum in Domino plenis deſideriis affectamus, contentus eſſe debeas, ordinare.

 IX.

1 Bartholomæum.

X.

MArtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, nobili viro Philippo de Lavena Regio in Urbe Vicario.

Fide digna relatione ad aures noſtras noveris perveniſſe, per aliquorum inſidias procurari, quod Civitas vetus per gentem Regis Aragonum jam ad id ſollicitati, ut dicitur, occupetur. Quia vero id in grave totius contratæ diſpendium redundaret, Devotionem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus omnem quam poteris, ad præſervandam dictam civitatem a tanto periculo, diligentiam adhibens, ſufficientem, fidelem, & ſedulam eidem civitati cuſtodiam ſtudeas deputare, aliàs circa eandem cuſtodiam omnibus viis, & modis, quos cum fidelibus, & diſcretis excogitare poteris, celeriter, & ſollicite proviſurus; ita quod tua poſſit exinde ſolertia non immerito commendari. Datum apud Montem Flaſconem Kal. Decembris Pontificatus noſtri anno II.

X I.

MArtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

Deteſtabiles exceſſus, & culpas enormes Petri quondam Regis Aragonum, perſecutoris, Dei, & Ec-

& Eccleſiæ manifeſti, contra nos, eandem Eccleſiam, ac cariſſimum in Chriſto filium noſtrum, Carolum Siciliæ Regem Illuſtrem, Regnum Siciliæ ab Eccleſia ipſa tenentem, ejuſque vaſſallum, præſumptione temeraria, immo potius inſania execranda in prædicto Regno commiſſos, non putavimus diffuſa, & oneroſa repetitione ſingulariter recenſendos, ſed tamquam notorios, & jam pluries maxime his diebus publice recenſitos, ſic ſub quadam generali commemoratione tranſire; quod ſententiam latam propterea contra eum, & proceſſus aliquos contra rebelles Siculos habitos, explicite repetamus: & quod propter dictos ipſius Petri exceſſus, & culpas, injuſticias, injurias, contumelias, doloſque diverſos, præter ipſius contumaciam manifeſtam, contra eum cogente conſcientia, & exigente juſticia, de Fratrum noſtrorum conſilio procedentes, & Regnum Aragoniæ cæteraſque terras ipſius exponentes modo ſubſcripto, ipſam ſententialiter eiſdem regno, & terris, omnique regio honore privavimus, & privantes, regnum, & terras eaſdem expoſuimus occupanda Catholicis, de quibus, & prout Sedes Apoſtolica duceret, providendum, in regno, & terris eiſdem præfatæ Eccleſiæ jure ſalvo: vaſſallos quoque ipſius, quos ut præmiſſorum proceſſuum continentia ſerioſa declarat, a juramento fidelitatis, ſi quo tenebantur, eidem jam duximus abſolvendos, denunciantes penitus abſolutos, & denuo ab eodem, & quolibet

fidelitatis vinculo, & homagii expreſſius abſolventes: ac eundem Petrum, Siculos complices, & fautores, omneſque alios ſingulares, qui noſtras monitiones, inhibitiones, & comminationes damnabiliter contempſerunt, excommunicationis, Univerſitates vero, civitates, caſtra, & loca cætera denunciavimus interdicti ſententiis ſubjacere, ipſos, & ipſa ex cauſis eiſdem, & propter continuatam, auctamque eorum contumaciam ſimilibus ſententiis ſupponentes. Univerſis præterea Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, præeminentiæ, ſive ſtatus, etiamſi dignitate Pontificali, ſeu Regia forſitan decorentur, & ſpecialiter Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque inferioris gradus Prælatis, & perſonis eccleſiaſticis, religioſis, cujuſcumque Religionis, aut Ordinis, & ſecularibus ipſique Petro, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, Univerſitatibus civitatum, caſtrorum, aliorumque locorum, ac univerſis incolis, & habitatoribus eorundem regni, ac terrarum, quibus denique P. tunc Aragonum Regem privavimus, duximus inhibendum, ne ipſe Petrus de dictis regno, & terris, ex tunc ſe aliquatenus intromitteret; neve cæteri ſupradicti eidem Petro, vel aliis, quibuſcumque, contra prædictas privationem, & expoſitionem, aut proſequentes eaſdem, per quos dicta regnum, & terras occupandas Sedes eadem provideret, temptantibus, ſe oppoſitione quoquomodo aſſiſterent, vel qualitercumque faverent, ſeu

præ-

præſtarent in hoc conſilium, auxilium, vel favorem publicum, vel occultum, quacumque occaſione quæſita, vel prætextu alicujus homagii, vel cujuſcumque colligationis, confœderationis, ſocietatis, ſeu cujuſvis conventionis, aut jure contracta antea, ſive inpoſterum contrahenda, etiamſi colligatus, confœderationes, ſocietates, & conventiones hujuſmodi, & alia ſupradicta, pœnarum adjectionis, litterarum, vel juramenti, ſeu cujuſlibet alterius eſſent vinculo firmitatis innexa. Nos igitur colligationes, confœderationes, ſocietates, conventiones, cæteraque hujuſmodi præmiſſa, quo ad hæc, de plenitudine diſſolvimus poteſtatis: juramenta ſuper illis præſtita pœnaſque propterea præmiſſas pœnitus relaxantes; & univerſos, & ſingulos, qui eas contraxerant, ſe ad obſervationem eorundem, quantumcumque ſollemniter abſtringendo, ab ipſarum in præmiſſis obſervatione penitus abſolventes. Specialiter autem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris perſonis eccleſiaſticis, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, incolis, & habitatoribus ſupradictis eorundem regni Aragoniæ, ac terrarum, expreſſe prohibere curavimus, ne dictum Petrum olim Regem Aragonum, pro Rege, vel Domino reciperent, vel haberent, neve ſibi obedirent, vel intenderent, aut ipſi, vel alii pro eo de redditibus, vel obventionibus, ſive juribus regalibus, ſeu ratione Dominii, debitis reſponderent, vel aliquam ſatisfactio-

ctionem impendere ſub quocumque velamine acceptarent. Alioquin memoratum Petrum quondam Regem, & omnes ſingulares perſonas cujuſcumque forent præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, eccleſiaſtici, aut mundani, etiamſi regalis dignitatis honore fulgerent, excommunicationis, civitates vero, caſtra, & loca cætera, necnon, & univerſitates ipſorum, quæ prædictas inhibitiones, vel earum aliquam præterire propria temeritate præſumerent, interdicti ſententiis, quas ex nunc protulimus, decrevimus ſubjacere. Non obſtantibus quibuſlibet privilegiis, vel indulgentiis, quibuſcumque Imperatoribus, Regibus, Principibus, Archiepiſcopis, ſeu quibuſlibet Prælatis aliis, Ciſtercienſibus, Prædicatoribus, Minoribus, Hoſpitalariis, Templariis, ſeu Religioſis aliis, aut ſecularibus perſonis, etiam in dignitate qualibet conſtitutis, civitatibus, caſtris, locis, communitatibus, collegiis, vel quibuſvis univerſitatibus, ſub quacumque verborum forma, vel expreſſione ab eadem Sede conceſſis, & quibuſlibet aliis indulgentiis ejuſdem Sedis, per quas noſtri proceſſûs effectus impediri poſſet quomodolibet, vel differri. Quæ quidem omnia privilegia, & indulgentias, quoad hoc omnino duximus juribus vacuanda, aptius nihilominus prædicentes, quod contra hujuſmodi præſumptores, & ſpecialiter contra dictos Prælatos, Religioſos, Comites, Vicecomites, Barones, incolas, habitatores, civitates, ca-

ſtra,

ſtra, villas, & alia loca, & univerſitates ipſorum ad privandum eos, & ea quibuſlibet privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, ſive gratiis ipſis ab eadem Sede conceſſis, necnon terris, feudis, & juribus, quæ a præfata Romana, vel aliis quibuſcumque tenent Eccleſiis, ſeu perſonis eccleſiaſticis, ac aliàs gravius ſpiritualiter, & temporaliter quando, & qualiter, ſicut facti qualitas ſuaderet, ac putaremus expediens, procedere prævia Divina gratia curaremus: ſicuti hæc omnia in ſerie dictæ contra eum latæ ſententiæ plenius continentur. Cum autem dictus Petrus, nec per hoc a cœpta malitia reprimatur, ſed contumaciter eam ſemper continuando multiplicet, & multiplicando continuare non ceſſet, eam nunc dolis, & inſidiis nunc inſultibus, & conatibus aliis proſequendo; nos ipſum ex cauſis variis vinculo excommunicationis aſtrictum, de novo ex cauſis eiſdem, & propter ſuæ iniquæ contumaciæ, ac iniquitatis contumacis augmentum ſimili vinculo innodantes, omnes proceſſus contra eum habitos, & ſpecialiter præmiſſam latam contra ipſum expoſitionis, & privationis ſententiam de ipſorum fratrum conſilio ratificantes expreſſe, ratoſque manere decernentes, ac firmos, & auctoritate apoſtolicâ nihilominus approbantes præmiſſas omnes; & ſingulas inhibitiones, & necnon homagii præſtiti, ſive facti, colligationum, confœderationum, & conventionum quarumlibet, diſſolutiones, & relaxatio-

tionem juramenti, ac pœnarum adjectarum in ipſis ſub eiſdem pœnis, & ſententiis innovamus; contra univerſos, & ſingulos dictis inhibitionibus non parentes, prout exceſſuum circumſtantiæ ſuadebunt, pœnis ſpiritualibus, & temporalibus, quando, & prout utile fore viderimus, auctore Dño proceſſuri. Ut autem hujuſmodi noſter proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas ſive membranas proceſſum continentes eundem, in præſentis Eccleſiæ Majoris Urbevetanæ appendi, vel affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt: ita quod idem Petrus, & alii, quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſtea poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos talis proceſſus non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem: cum non ſit veriſimile, remanere, quo ad ipſos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum apud Urbemveterem in platea majoris Eccleſiæ Urbevetanæ, in die Cœnæ Domini Pontificatus noſtri anno III.

XII.

MArtinus Epiſc. ſervus ſervor. Dei, ad certitudinem præſentium,& memoriam futurorum. Propter notorios exceſſus deteſtabiles, & culpas horrendas Petri quondam Regis Aragonum, Dei, & Eccleſiæ perſecutoris infeſti contra

tra nos, eandem Eccleſiam, & cariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Carolum Siciliæ Regem Illuſtrem, Regnum Siciliæ ab Eccleſia ipſa tenentem, ejuſque de illo vaſſallum, damnabili præſumptione in prædicto Regno commiſſos contra dictum Petrum, poſt ipſius contumaciam manifeſtam cogente conſcientia, & vigente juſtitia de Fratrum noſtrorum conſilio procedentes, & Regnum Aragoniæ cæteraſque terras ipſius exponentes modo ſubſcripto, ipſum ſententialiter eiſdem Regno, & terris, omnique Regio honore privavimus, & privantes, Regnum, & terras eaſdem expoſuimus occupanda Catholicis, de quibus, & prout Sedes Apoſtolica duceret providendum, in Regno, & terris eiſdem præfatæ Eccleſiæ jure ſalvo: vaſſallos quoque ipſius, quos, ut præmiſſorum proceſſuum continentia ſerioſa declarat a juramento fidelitatis, ſi quo tenebantur, eiſdem jam duximus abſolvendos, denunciantes penitus abſolutos, & denuo ab eodem, & quolibet fidelitatis vinculo, & homagio expreſſius abſolventes, ac eundem Petrum, Siculos complices, & fautores, omneſque alios ſingulares, qui noſtras monitiones, inhibitiones, & comminationes damnabiliter contempſerunt, excomunicationis; univerſitates vero, civitates, & loca cætera denunciavimus interdicti ſententiis ſubjacere, ipſos, & ipſa ex cauſis eiſdem, & propter continuatam, auctamque eorum contumaciam ſimilibus ſententiis ſup-

ſupponentes. Univerſis præterea Chriſtifidelibus cujuſcunque conditionis, præeminentiæ, ſive ſtatus, etiamſi dignitate Pontificali, ſeu Regia forſitan decorentur, & ſpecialiter Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque inferioris gradus Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis, religioſis cujuſcumque Religionis aut Ordinis, & ſecularibus, ipſique Petro, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, univerſitatibus civitatum, caſtrorum, aliorumque locorum ac univerſis incolis, & habitatoribus eorundem Regni ac terrarum, quibus denique Petrum tunc Aragonum Regem privavimus, duximus inhibendum, ne ipſe Petrus de dictis Regno, & terris ex tunc ſe aliquatenus intromitteret; neve cæteri ſupradicti eidem Petro, vel aliis quibuſcunque contra prædictas privationem, & expoſitionem, aut proſequentes eaſdem, per quod dicta Regnum, & terras occupandas Sedes eadem, provideret, temtantibus ſe opponere, quoquomodo aſſiſterent, vel qualitercunque faverent, ſeu præſtarent in hoc conſilium, auxilium, vel favorem publicum, vel occultum, quacunque occaſione quæſita, vel prætextu alicujus homagii, vel cujuſcumque colligationis, confœderationis, ſocietatis, ſeu cujusvis conventionis, aut jure contractæ antea, ſive in poſterum contrahendæ, etiamſi colligatus, confœderationes, ſocietates & conventiones hujuſmodi, & alia ſupradicta pœnarum adiectionis, literarum, vel juramenti, ſeu cujuslibet alterius

terius eſſent vinculo firmatis, innexa. Nos igitur colligationes, confœderationes, ſocietates, conventiones, cæteraque hujuſmodi præmiſſa, quoad hæc, de plenitudine diſſoluimus poteſtatis, juramenta ſuper illis præſtita, pœnaſque propterea præmiſſas pœnitus relaxantes. Et univerſos, & ſingulos, qui eas contraxerunt, ſe ad obſervationem eorundem qnantumcumque ſollemniter abſtringendo, ab ipſarum in præmiſſis obſervatione penitus abſolventes, Specialiter autem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris perſonis Eccleſiaſticis, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, incolis, & habitatoribus ſupradictis eorundem Regni Aragoniæ, ac terrarum expreſſe prohibere curavimus, ne denique dictum Petrum olim Regem Aragonum, pro Rege vel Domino reciperent, vel haberent, neve ſibi obedirent, vel intenderent, aut ipſi, vel alii, pro eo de redditibus, vel obventionibus, ſive juribus regalibus, ſeu ratione Dominii debitis reſponderent, vel aliquam ſatisfactionem impendere ſub quocunque velamine acceptarent. Alioquin memoratum Petrum quondam Regem, & omnes ſingulares perſonas cujuſcunque forent præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus Eccleſiaſtici, aut mundani, etiamſi regalis honore fulgerent, excommunicationis, civitates vero caſtra, & loca cetera, necnon, & univerſitates ipſorum, quæ prædictas inhibitiones, vel earum aliquam præterire propria temeritate præſumerent, interdicti ſen-

ten-

tentiis, quas ex nunc protulimus, decrevimus ſubjacere. Non obſtantibus quibuslibet privilegiis, vel indulgentiis quibuſcunque Imperatoribus, Regibus, Principibus, Archiepiſcopis, ſeu quibuſlibet Prælatis aliis, Ciſtercienſibus, Prædicatoribus, Minoribus, Hoſpitalariis, Templariis, ſeu religioſis aliis, aut ſecularibus perſonis, etiam in dignitate qualibet conſtitutis, civitatibus, caſtris, locis, communitatibus, collegiis, vel quibuſvis univerſitatibus, ſub quacunque verborum forma, vel expreſſione ab eadem Sede conceſſis, & quibuslibet aliis indulgentiis ejuſdem Sedis, per quas noſtri proceſſus effectus impediri poſſet quomodolibet, vel differri. Quæ quidem omnia privilegia, & indulgentias, quo ad hoc, omnino duximus juribus vacuanda, aptius nihilominus prædicentes, quod contra hujuſmodi præſumptores & ſpecialiter contra dictos Prælatos, Religioſos, Comites, Vicecomites, Barones, incolas, habitatores, civitates, caſtra, villas, & alia loca, & univerſitates ipſorum, ad privandum eos, & ea quibusliter privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, ſive gratiis ipſis ab eadem Sede conceſſis, necnon terris, feudis, & juribus, quæ a præfata Romani, vel aliis quibuſcunque tenent Eccleſiis, ſeu perſonis Eccleſiaſticis ac aliàs gravius ſpiritualiter, & temporaliter, quando, & qualiter, ſicut facti qualitas ſuaderet, ac putaremus expediens, procedere prævia Divina gratia curaremus, ſicuti hæc omnia

omnia in ſerie dictæ contra eum latæ ſententiæ plenius continentur. Cumque idem Petrus nec per hæc a prætactis ſuis reprimeretur exceſſibus, nec a ſua iniquitate cœpta deſiſteret, ſed ei contumaci animo ſemper inſiſteret, ipſam non ſolum dolis, & ſolitis inſidiis perſequens, ſed & aliis conatibus diverſis augmentans: nos in die Cœnæ Domini tranſacto noviſſime, præſente tunc multitudine copioſa fidelium, ipſum ex cauſis variis vinculo excommunicationis adſtrictum de novo ex cauſis eiſdem, & propter ſuæ iniquæ contumaciæ ac iniquitatis contumacis augmentum ſimili vinculo innodantes, omnes proceſſus contra eum habitos, & ſpecialiter præmiſſam latam expoſitionis, & privationis ſententiam de ipſorum fratrum conſilio ratificantes expreſſe, ratoſque manere decernentes, ac firmos auctoritate Apoſtolica nihilominus approbantes, præmiſſas omnes, & ſingulas inhibitiones, nec non homagii præſtiti ſive facti colligationum, confœderationum, & conventionum quarumlibet diſſolutiones, & relaxationem juramenti ac pœnarum adiectarum in ipſis, ſub eiſdem pœnis & ſententiis duximus innovandas. Et nihilominus manifeſte prædiximus, nos contra univerſos, & ſingulos dictis inhibitionibus non parentes, prout cicumſtantiæ ſuaderent exceſſuum, pœnis ſpiritualibus, & temporalibus, quando, & prout fore videremus expediens, proceſſuros. Cum autem memoratus Petrus nec tantis, & talibus

remediis ab aſſumpta nequitia compeſcatur, ſed eam contumacius proſequens, & de ſui perverſi obſtinatione propoſiti, tam in adductione uxoris, & filiorum ſuorum in Inſula Siciliæ, ſicut fertur, quam alia plura, & manifeſtiora ſolitis exhibens argumenta, monitionibus, prohibitionibus, præceptis, & etiam ſententiis Apoſtolicis, non abſque gravi contemptu clavium vilipenſis, cotidie in continuatione ſuæ contumaciæ intumeſcat: nos omnes proceſſus contra rebelles Siculos, qui eidem Petro qualitercumque in pertinacia ſuæ iniquitatis adhærent, & contra ipſum Petrum, necnon & contra quoslibet alios, ſeu quoad quoslibet alios occaſione ipſorum Petri, & Siculorum habitos, de Fratrum eorundem conſilio denunciantes, ac nihilominus decernentes, & ſtatuentes plenum robur firmitatis habere, ipſum Petrum, licet alias ſuis exigentibus demeritis diverſis excommunicationum ſententiis innodatum, tamquam prædictarum monitionum inhibitionum ac cæterorum proceſſuum, & ſpecialirer ratione regni Aragoniæ aliarumque terrarum, quibus idem Petrus privatus extitit, habitorum, notorium contemptorem, necnon & alios, qui eadem contempſerunt, denunciantes, latas, ut præmittitur, contra contemptores inhibitionum, & proceſſuum eorundem ſententias incurriſſe, ac nihilominus eundem Petrum de novo ex cauſis præmiſſis, & præcipue propter contumaciæ tam gravis augmentum ſimili ſententia innodamus,

con-

contra eum, & quoslibet alios cujuſcumque ſint dignitatis, præeminentiæ, conditionis aut ſtatus Eccleſiaſtici, vel mundani, qui præmiſſas monitiones, prohibitiones, ſive præcepta noſtra quomodolibet præterire præſumpſerint, quando, & prout circumſtantiæ facti ſuaſerint ac expedire viderimus, gravius ſpiritualiter, & temporaliter actore Domino proceſſuri. Ut auten hujuſmodi noſter proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas ſive membranas proceſſum continentes eundem, in præſentis Eccleſiæ Majoris Urbevetanæ appendi, vel affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt; ita quod idem Petrus, & alii, quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſtea poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos talis proceſſus non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem; cum non ſit veriſimile, remanere quo ad ipſos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Urbem-veterem in platea Majoris Eccleſiæ Urbevetanæ in feſto Aſcenſ. Dñi P. noſtri anno III.

XIII.

MArtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerab. fratri noſtro Epiſcopo Caſtellan.

Refert temporis exacti memoria, quod nobilis Venetiarum civitas, & inſignis Univerſitas Venetorum

rum ea erga Deum, & Romanam Eccleſiam devotionis hactenus integritate reſplenduit, ut eidem Eccleſiæ aſſiſtens in proſperis, nec deficiens etiam in adverſis, illius indevotos horruerit perſecutores, quaſi proprios hoſtes habuerit, & humiliter ipſius Eccleſiæ parendo mandatis & monitis, non ſolum illis favere ſed,& communionem eorum quamlibet, prout decet Catholicos, evitarit. In his olim in laudabili Univerſitate prædicta nulla ſolebat apparere diverſitas, nullum diſſonantiæ murmur obrepere, nulla diſſidentia reſonare. Propter quod ſi conſonent facta relatibus, admirationis, immo & turbationis occaſio ex eo non levis occurrit, quod licet contra Petrum, quondam regem Aragonum, Inſulæ Siciliæ invaſorem, rebelleſque Siculos, variis per nos proceſſibus habitis, inter multa quæ in proceſſibus continentur eiſdem, expreſſe ac diſtricte duxerimus inhibendum ipſi Petro, & Rebellibus quocumque dolo, arte, vel machinatione procurari auxilium, conſilium ſeu favorem, publicum, vel occultum, ipſiuſue Petri litteras, vel nuncios recipi, aut deſtinari eidem, in noſtrum ipſius Eccleſiæ, ſeu cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Siciliæ Regis illuſtris,quem notorium eſt regnum Siciliæ ab ipſa Eccleſia tenere, præjudicium, & gravamen, contra id præſumentes diverſis excommunicationum ſententiis promulgatis. Nonnulli tamen de Univerſitate prædicta damnabiliter a laudabilibus prædeceſſorum ſuorum ſemitis, ſicut in-

intelleximus, deviantes, in eam proruperunt temeritatis audaciam, quod non ſolum memorati Petri contra prædictam prohibitionem nuncios, vel literas recipere, ipſique mittere non verentur, verum etiam alios, ne contra Petrum, & rebelles eoſdem, nobis, Eccleſiæ, ac Regi præfatis aſſiſtant, in noſtrumve procedant auxilium contra illos maliſioſe impedire præſumunt. Per quod non eſt dubium, ipſos ſæpefatis Petro, & rebellibus, dum ipſius Petri propalari maliciam, dictoſque rebelles a præſumpta rebellione revocari præpediunt, & favorem manifeſtum impendere, & ut in ſua nequitia perſiſtere valeant, auxilium impertiri, eoſque per conſequens dictarum ſententiarum laqueos nullatenus evitare. Licèt autem dictos proceſſus præmiſſas prohibitiones, ſententias, & alia continentes frequenter præſente multitudine copioſa fidelium duxerimus publicandos, ita quod nulla poteſt in hujuſmodi ignorantia excuſabilis alligari; ut tamen excuſationis hujuſmodi allegatio evidentius adimatur, proceſſus eoſdem ſub Bulla noſtra tibi per latorem præſemtium deſtinantes, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtrictæ præcipiendo mandamus, quatenus perſonaliter, abſque moræ diſpendio, ad prædictam civitatem accedens, in Eccleſia Sancti Marci, vel platea ipſius, ſeu alio loco civitatis ejuſdem, ubi commodius fore putaveris, clero & populo convocatis, proceſſus eoſdem ſeriatim legi

faciens, & per te, vel per alium exponens apertius in vulgari, omnes cujuſcunque ſint dignitatis, præeminentiæ, conditionis aut ſtatus, qui contra præmiſſas prohibitiones noſtras memorati Petri nuncios, vel literas receperunt, aut ſuas miſerunt eidem, ſibive ac præfatis rebellibus prætactum præſtiterunt auxilium, conſilium, ſeu favorem, generaliter denuncies præmiſſis innodatos. Et nihilominus ipſis ac univerſis, & ſingulis de Univerſitate prædicta, ut a ſimilibus prorſus abſtineant, ſub ſententia ſimili auctoritate Apoſtolica diſtricte inhibere procures, nobis quidquid ſuper his actum fuerit per tuas patentes litteras harum ſeriem continentes plenius reſponſurus.

Datum apud Urbeveterem VI. idus Junii Pontificatus noſtri anno tertio.

XIV.

MArtinus Epiſcopus ſervus Servorum Dei. Poteſtati Conſilio, communi Anconitan.

In Apoſtolicæ Sedis conſpectu de vobis frequens eſt, & grata memoria, non abſque concurſu notiori veritatis affirmans, vos erga Romanam Eccleſiam veſtram matrem, & Dominam ſic ſemper illibatum fidelitatis debitum obſervaſſe, quod in ipſius perſecutoribus, deficientibus aliis, veſtræ juventutis conſtantia non defecit, ſed contra perſecutores ipſius eidem adhæſiſtis intrepidi, calcatiſq; periculis, ac rerum, & perſonarum diſpendiis non

vi-

vitatis, in ipſius devotione invariabiliter perſtitiſtis. Hoc ſicut per nuncios cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Siciliæ Regis illuſtris audivimus; in imminentis turbine tempeſtatis, quam in regno Siciliæ, terra peculiari ejuſdem Eccleſiæ, Siculorum præſumptuoſa rebellio excitavit, & Petrus quondam Rex Aragonum illius, ut manifeſta perhibent argumenta, fraudulentius, & occultius intentor, ſed notorius proſecutor, pro viribus exequi non veretur; veſtra devotio laudabili continuatione proſequitur, dum ſicut habet eorundem nunciorum aſſertio, vos ex parte Regis ejuſdem, & dilecti filii nobilis viri Caroli primogeniti Regis ipſius, Salernitani Principis requiſiti, ut contra Petrum, & Siculos memoratos Galeas veſtras armatas decenter hominibus, ab ipſis Rege ſeu Principe competentia ſtipendia recepturis, in dictorum Regis, & Principis auxilium mitteretis, devote ac curialiter reſpondiſtis eiſdem; quod cum Anconitana civitas ſit ipſius Eccleſiæ ſpecialis, ſi de noſtra in hoc vobis voluntate conſtaret, libenter eiſdem Regi, & Principi tamquam ſpecialibus ipſius Eccleſiæ filiis ſerviretis. Quod profecto tanto nobis venit acceptius, tantòque, proinde veſtram ſinceritatem amplius commendamus, quantò in conſuetæ devotionis ſpiritu præveniendo noſtræ petitionis inſtantiam, vos noſtris in his beneplacitis obſequia benignius obtuliſtis. Cum itaque hujuſmodi negocium ſpecialiter Eccleſiam ipſam reſpiciat, ipſum-

que noſtrum, prout eſt, ac ipſius Eccleſiæ proprium reputemus; Univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur, ac quæſumus, ob reverentiam ejuſdem Sedis & noſtram, præfatis Regi, & Principi, cum potius nobis, & eidem Eccleſiæ, in prædicto negotio modis quibus poteritis efficaciter aſſiſtentes, eiſdem Regi, & Principi petitum Galearum auxilium exhibere in omni qua poteritis promptitudine feſtinetis, diligentius attendentes, quod exinde uberius ipſius Sedis, & noſtram merebimini gratiam, dictoſque Regem, & Principem experiemini non immerito in veſtris oportunitatibus gratioſos.

Datum apud Urbeveterem VI. idus Junii Pontificatus noſtri anno tertio.

X V.

MArtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Regi Siciæ Illuſtri.

Per tuos nobis nuncios, & litteras ſupplicaſti, ut cum cenſum octo millium unciarum auri ad pondus Regni Siciliæ, ad quem ſolvendum in inſtanti feſto Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, nobis, & Eccleſiæ Romanæ teneris, in eodem feſto ſolvere commode nequeas, variis negotiis, & expenſarum oneribus imminentibus impeditus, terminum ſolutionis dicti cenſus faciendæ in feſto prædicto, uſque ad feſtum Nativitatis Domini primo

mo venturum prorogare de ſpeciali gratia curaremus. Nos itaque impedimentorum tuorum conſcii, & onerum non ignari, ſuper illis paterno tibi compatientes affectu, terminum ejuſdem ſolutionis dicti cenſus octo millium unciarum in præfato Apoſtolorum feſto, ut prædicitur, faciendæ utque ad idem feſtum Nativitatis Dominicæ proximum venturum, ad tuæ petitionis inſtantiam, ſub illis eiſdem pœnis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, & obligationibus, quæ ſunt pro ſolutione ipſius cenſus in eodem feſto Apoſtolorum facienda ſtatutæ, ſeu contra ordinatæ, de fratrum noſtrorum conſilio prorogamus: ita tamen quod per prorogationem hujuſmodi, ejuſdem ſolutionis faciendæ in dicto feſto Apoſtolorum terminus impoſterum nullatenus immutetur, ſed in eodem Apoſtolorum feſto annis ſingulis ſolutionem ipſam facere tenearis, ſub pœnis ſtatutis, & ordinatis; ſicut in conditionibus inter eandem Eccleſiam, & te habitis in conceſſione prædicti Regni ab ipſa Eccleſia tibi facta plenius continetur. Et ſi forte deficeres in ſolutione prædicti cenſus in eodem feſto Nativitatis Domini facienda, proinde pœnas incurras eaſdem, ac ſi non facta hujuſmodi prorogationis gratia, dictum cenſum tempore ſecundum eaſdem conventiones debito, te non ſolvere contigiſſet: ita etiam quod per petitionem, & conceſſionem prorogationis hujuſmodi, dictæ conditiones, & conventiones nullam prorſus

ſus innovationis varietatem ſentiant nec immutationis diſpendium patiantur, ſed in ſua omnino permaneant firmitate; nec tu, aut tui ſucceſſores in regno prædicto, quo ad ſolutionem dicti cenſus de cætero in ſæpeſato Apoſtolorum feſto annis ſingulis faciendam, aliter quomodolibet teneamini, quam tenebamini hactenus, priuſquam prorogationis ejuſdem petitio, & prorogatio proceſſiſſent, ſed ſic in omnibus, & per omnia teneamini, prout inter Romanum Pontificem, & Romanam Eccleſiam ex parte una, & te ex altera ordinatum extitit, & conventum. Cæterum volumus, ut ſi hujuſmodi ſupplicationem tuam, & prorogationem noſtram ratas habueris, ſuper hoc patentes literas tuas harum ſeriem continentes, aurea bulla tua ſignatas in forma, quam dilectus filius B. Camerarius noſter tibi ſub ſuo ſigillo tranſmittit, nobis infra dictum feſtum Nativitatis, ceſſante qualibet occaſione, tranſmittas: alioquin prorogatio hujuſmodi nullius penitus ſit momenti.

Datum apud Urbeveterem VI. Kal. Julii Pontificatus noſtri anno tertio.

XVI.

MArtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Univerſitatibus Neapolitanæ, Capuanæ, Averſanæ, ac aliarum civitatum, caſtrorum, cæterorumque locorum juſtitiariatus Terræ Laboris, & Comitatus Moliſii

Quan-

Quantæ compaſſionis, quam ſingulari dilectionis affectu ſemper viſcera piæ Matris Eccleſiæ ad Regnum Siciliæ ſibi cariſſimum, tamquam ad eam pertinens pleno jure, ferverint, quam ferventer Eccleſia eadem ad proſperitatem illius intenderit, quam ſollicite laborarit; evidentia operum perhibet, quæ non ſolum antiqua monimenta commemorant, ſed & notiſſima modernorum temporum geſta teſtantur. Quis enim enumerare ſufficeret innumera ſumptuum onera, labores immenſos, multiplicia ſollicitudinum ſtudia, quæ diverſis temporibus Eccleſia ipſa pertuliſſe dignoſcitur, ut a manibus diripientium illud eriperet, de jugo ſervitutis in libertatem erigeret, ab occupatorum, & opprimentium duricia liberaret? Profecto hæc non facile narratio quamvis diffuſa repeteret, non facile repetitio quantumcumque ſerioſa narraret. Quanto itaque ad ejuſdem Regni ſtatum proſperum per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & nos ipſos, qui dum nos minor ſtatus haberet, legationem laborioſam, & propter viarum diſcrimina tunc præcipue imminentia, evidenti periculorum ſuſpitione non vacuam, pro ipſius liberatione ſubivimus, diutius, & deſiderantius novimus laboratum; tanto magis afficimur, tanto deſideramus ardentius, ut tam pium tam utile tam ſalubre deſiderium celeriter, & efficaciter impleatur, ut de Regno ipſo, indebitarum exactionum moleſtiis expiatis, illarum abo-

aboleatur, immunitatis lenitate reſtituta, memoria, & vos, qui nobis, eidem Eccleſiæ, nec non cariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Regi Siciliæ Illuſtri fidelitatis, debitum obſervaſtis, illud continuatione laudabili de bono in melius proſequentes, quiete potiamini debita, in requie opulenta, & in tabernaculis fiduciæ habitantes. Ad quod Regis ipſius, & dilecti filii Nobilis viri Caroli ejus primogeniti, Principis Salernitani vota concurrere, ſtatuta ipſorum, ob veſtra gravamina relevanda, noviter edita ſatis indicant evidenter. Sed quia ſuper quodam illorum, videlicet de reducendo prædicto Regno in ſubventionibus, & collectis ad eum ſtatum, qui tempore claræ memoriæ Guillielmi II. Regis Siciliæ dicitur extitiſſe, dubia incidêre, quis ſeu qualis fuerit ſtatus ille; Princeps ipſe id noſtræ declarationi ſervavit. Et tam idem Princeps quam vos, & nonnulli alii de Regno prædicto, ad declarationem hujuſmodi audiendam, nuncios de mandato ejuſdem Principis ad noſtram præſentiam deſtinaſtis, quos facie ſerena recepimus, benigne audivimus, & intelleximus diligenter. Licèt autem iidem nuncii ad optinendam editionem celerem declarationis ipſius prudenter inſtiterint, & eorum inſtantiæ noſtra concordaret intentio, id tamen facti qualitas, & dicti ſtatus, cujus declaratio petitur, ignorantia non permittit. Nec enim cum memorati Regis Guillielmi tempo-

poribus ætas noſtra concurrit, nec in ſæpefacto Regno, aut vicinis partibus tamdiu converſati fuimus, quod de ſtatu illo, qui etiam apud Regni ejuſdem incolas incertus dicitur, nos certificare converſatio diuturna potuerit vel quomodolibet informare: nec nos decet, nec noſtra coſcientia pateretur, in incerto præcipitare ſententiam, præſertim in eo, quod reſpicit perpetuum præfati Regni ſtatum, & veſtrum. In quo ſic mature, ſic ſolide, ſic diligentia expedit exacta procedere, quod proceſſus noſtri ſoliditas nec revocationis patiatur injuriam, nec immutationis diſpendium vereatur. Ideoque dictis nunciis, qui expectare indaginem, quam exigit negotii natura, non poterant, licentiam ad præſens redeundi ad propria duximus concedendam: ad obtinendam certitudinem dicti ſtatus taliter, quatenus circumſtantiæ penſandæ permiſerint, actore Domino, vacaturi, quod circa veſtrum deſiderium a noſtro, circa quietem, & tranquillitatem debitam ejuſdem Regni non diſcrepans in ullo, Domino favente, ſermoni petita declaratio ſequi poſſit. Quod ſi hujuſmodi certitudinem inveniri temporis forſan longævitas, ſeu cauſa quælibet alia non permittat, non propter hoc in cordibus noſtris cogitationes alicujus dubitationis aſcendant, aut diffidentiæ cujuſque ſcrupulus oriatur. Cum enim idem Rex Carolus per ſuas patentes literas, quas ſicuti noſſe vos credimus, in Regno ipſo fecimus pu-

publicari ſuper directione, ordinatione, vel reformatione, ſeu quacunque alia diſpoſitione collectarum, talliarum, exactionum, matrimoniorum, aut aliorum quorumcumque gravamina dicerentur, vel dici poſſent tam circa Eccleſias, communitates, & univerſitates civitatum, caſtrorum, & aliorum locorum, & etiam circa ſingulares perſonas totius regni prædicti, & cujuslibet partis ipſius, ſe tam pro præſenti tunc, quam pro futuro tempore nobis perſonaliter noſtræque directioni, reformationi, diſpoſitioni, ac ordinationi, plene, libere, alte, baſſe ſubmiſerit, volens conſentiens & concedens expreſſe quod in prædictis omnibus, & ſingulis habeamus plenam, & liberam poteſtatem ordinandi, conſtituendi, diſponendi, reformandi, dirigendi, & etiam faciendi, prout nobis placuerit, & viderimus expedire, ſi probatio temporis, ſeu ſtatus illius forte deficerent pro conceſſione hujuſmodi; poſſumus, volumus, & incunctanter intendimus eidem regno, & vobis, taliter Divina prævia gratia providere, quod ab illicitarum oppreſſionum oneribus liberati, earum immunitate gaudere perpetuo valeatis.

Datum apud Urbeveterem Kal. Julii Pontificatus noſtri anno tertio,

Univerſitatibus Juſticiariatus terræ Bari. Quantæ compaſſionis &c. *ut in proxima ſuperiori*.

In E. M. Univerſitatibus Juſticiariatus Aprutii.

In

In E. *M.* Univerſitatibus Juſticiariatus Capitinatæ.
In E. *M.* Univerſitatibus Juſticiariatus Baſilicatæ.
In E.*M.* Univerſitatibus Juſticiariatus terræ Idronti.
In E. *M.* Univerſitatibus Salernitanæ, Amalphitanæ, ac aliarum civitatum, caſtrorum, cæterorumque locorum Juſticiariatus Principatus.

XVII.

MArtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

Petri quondam Regis Aragonum, & perfidorum Siculorum deteſtabiles, exceſſus, & culpas contra Deum, nos, Romanam Eccleſiam, & cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Siciliæ Regem Illuſtrem, regnum Siciliæ ab Eccleſia ipſa tenentem, ejuſque de illo vaſſallum, infanda in regno eodem temeritate commiſſos, ſic facti evidentia notos reddit, ſic illos quaſi aſſidue ipſorum continuatio diuturna, & obſtinata commemorat, ſic inſuper proceſſus propterea contra eoſdem Petrum, & Siculos per nos, de fratrum noſtrorum conſilio, rite habitos, frequens repetitio publicavit, ut non ſit opus hæc omnia ſingulari commemoratione repetere, ſed ex his ea ſolum ſuccinctæ narrationis compendio recenſere, quæ ad uberiores proceſſus non tantum viam aperiunt, ſed nos quaſi quadam juſtitiæ neceſſitate compellunt. Et quidem propter dictos ipſius Petri exceſſus, & culpas,

pas, injuſtitias, & injurias, contumelias doloſque diverſos contra eum, præter ipſius cotumaciam manifeſtam, cogente conſcientia, exigente juſtitia de fratrum ipſorum conſilio procedentes, regnum Aragoniæ cæteraſque terras ipſius exponentes modo ſubſcripto, ipſum ſententialiter eiſdem regno, & terris, regioque honore privavimus, & privantes, regnum, & terras eaſdem expoſuimus occupandas Catholicis, de quibus, & prout Sedes Apoſtolica duceret providendum, in regno, & terris eiſdem, præfatæ Romanæ Eccleſiæ jure ſalvo, vaſſallos ipſius, quos, ut dictorum proceſſuum continentia ſerioſa declarat, a juramento fidelitatis, ſiquo tenebantur eidem, abſolvendas antea duxeramus, denunciantes penitus abſolutos, & denuo ab eodem, & quolibet fidelitatis vinculo, & homagio abſolventes, eundem quoque Petrum, Siculos, complices, & fautores eorum, omneſque alios ſingulares, qui noſtras monitiones, inhibitiones, & comminationes ſuper his, & circa hoc habitas damnabiliter contempſerunt, excommunicationis, univerſitates, vero civitates, caſtra, & loca cætera denunciavimus, interdicti ſententiis ſubjacere ipſos, & ipſa, ex cauſis eiſdem, & propter continuatam auctamque contumaciam eorundem, ſimilibus ſententiis ſupponentes. Univerſis propterea Chriſtifidelibus cujuſcumque ordinis, præeminentiæ, ſive ſtatus, etiamſi decorarentur Pontificali, ſeu regia dignitate, & ſpecialiter Archie-

chiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis inferioris gradus Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis, religioſis cujuſcunque religionis, aut ordinis, & ſecularibus, ipſique Petro, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, Univerſitatibus civitatum, caſtrorum cæterorumque locorum, ac univerſis incolis, & habitatoribus eorundem regni, & terrarum, quibus denique Petrum tunc Aragonum regem privavimus, duximus inhibendum, ne ipſe Petrus de dictis regno, & terris ex tunc ſe aliquatenus intromitteret, neve cæteri ſupradicti eidem Petro, vel aliis quibuſcunque, contra prædictas privationes, & expoſitionem, aut proſequentes eaſdem, per quod dicta regnum, & terras occupandas Sedes eadem provideret, temptantibus ſe opponere quoquomodo aſſiſterent, vel qualitercumque faverent, ſeu præſtarent in hoc conſilium, auxilium, vel favorem publicum, vel occultum, quacumque occaſione quæſita, vel prætextu alicujus homagii, vel cujuſcumque colligationis, confœderationis, ſocietatis, ſeu cujuſvis conventionis, aut jure contractæ antea, ſive impoſterum contrahendæ, etiamſi colligatus, confœderationes, ſocietates, & conventiones hujuſmodi, & alia ſupradicta, pœnarum adjectionis, literarum, vel juramenti, ſeu cujuslibet alterius eſſent vinculo firmitatis innexa. Nos igitur colligationes, confederationes, ſocietates, conventiones, cæteraque hujuſmodi præmiſſa, quo ad hoc de plenitudine diſ-

diſſolvimus poteſtatis, juramenta ſuper illis præſtita, pœnaſquæ propterea præmiſſas penitus relaxantes; & univerſos, & ſingulos, qui eas contraxerant, ſe ad obſervationem eorundem quantumcumque ſollemniter aſtringendo, ab ipſarum in præmiſſis obſervatione penitus abſolventes: ſpecialiter autem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris perſonis Eccleſiaſticis, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, incolis, & habitatoribus ſupradictis eorundem regni Aragoniæ ac terrarum expreſſe prohibere curavimus, ne denique Petrum olim regem Aragonum pro rege, vel domino reciperent, vel haberent, neve ſibi obedirent, vel intenderent, aut ipſi, vel alii pro eo de redditibus, vel obventionibus ſive juribus, regalibus, ſeu ratione dominii debitis reſponderent, vel aliquam ſatisfactionem impendere ſub quocumque velamine acceptarent. Alioquin memoratum Petrum quondam regem, & omnes ſingulares perſonas cujuſcumque forent præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, Eccleſiaſtici, aut mundani, etiamſi regalis dignitatis honore fulgerent, excommunicationis, civitates vero, caſtra, & loca cætera, necnon & univerſitates ipſorum, quæ prædictas inhibitiones, vel earum aliquam præterire propria temeritate præſumerent, interdicti ſententiis, quas ex nunc protulimus, decrevimus ſubjacere. Non obſtantibus quibuslibet privilegiis, vel indulgentiis, quibuſcumque Imperatoribus, Regibus, Principibus,
Ar-

Archiepiſcopis, ſeu quibuslibet Prælatis aliis, Ciſtercienſibus, Prædicatoribus, Minoribus, Hoſpitalariis, Templariis, ſeu religioſis aliis, aut ſecularibus perſonis, etiam in dignitate qualibet conſtitutis, civitatibus, caſtris, locis, communitatibus, collegiis, vel quibuſvis univerſitatibus ſub quacumque verborum forma, vel expreſſione ab eadem Sede conceſſis, & quibuslibet aliis indulgentiis ejuſdem Sedis, per quas noſtri proceſſus effectus impediri poſſet quomodolibet, vel differri. Quæ quidem omnia privilegia, & indulgentias, quo ad hoc omnino duximus juribus vacuanda, aptius nihilominus prævidentes, quod contra hujuſmodi præſumptores, & ſpecialiter contra dictos Prælatos, Religioſos, Comites, Vicecomites, Barones, incolas, habitatores, civitates, caſtra, villas, & alia loca, & univerſitates ipſorum ad privandum eos, & ea quibuslibet privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, ſive gratiis ipſis ab eadem Sede conceſſis, necnon terris, feudis, & juribus, quæ a præfata Romana Eccleſia, vel aliis quibuſcunque tenent, Eccleſiis, ſeu perſonis Eccleſiaſticis, ac alias gravius ſpiritualiter, & temporaliter, quando, & qualiter, ſicut facti qualitas ſuaderet ac putaremus expediens, procedere, prævia Divina gratia, curaremus, ſicuti hæc omnia in ſerie dictæ contra eum latæ ſententiæ plenius continentur. Cumque idem Petrus nec per hæc a prætactis ſuis reprimeretur exceſſibus, nec a ſua ini-

iniquitate cœpta deſiſteret, ſed ei contumaci animo ſemper inſiſteret, ipſam non ſolum dolis, & ſolitis inſidiis perſequens, ſed & aliis conatibus diverſis augmentans; nos in die Cœnæ Domini tranſacto noviſſime, præſente tunc multitudine copioſa fidelium, ipſum Petrum ex cauſis variis vinculo excommunicationis aſtrictum, de novo ex cauſis eiſdem, & propter ſuæ iniquæ contumaciæ ac iniquitatis contumacis augmentum, ſimili vinculo innodantes, omnes proceſſus contra eum habitos, & ſpecialiter præmiſſam latam expoſitionis, & privationis ſententiam, de ipſorum fratrum conſilio ratificantes expreſſe, ratoſque manere decernentes firmos ac auctoritate Apoſtolica nihilominus approbantes, præmiſſas omnes, & ſingulas inhibitiones, necnon homagii præſtiti ſive facti colligationum, confœderationum, & conventionum quarumlibet diſſolutionem, & relaxationem juramenti, ac pœnarum adjectarum in ipſis, ſub eiſdem pœnis, & ſententiis duximus innovandas. Et nihilominus manifeſte prædiximus, nos contra univerſos, & ſingulos dictis inhibitionibus non parentes, prout circumſtantiæ ſuaderent exceſſuum, pœnis ſpiritualibus, & temporalibus, quando, & prout fore videremus expediens, proceſſuros. Cum autem memoratus Petrus nec tantis, & talibus remediis ab aſſumpta nequitia compeſcatur, ſed eam contumacius, & de ſui perverſi obſtinatione propoſiti, tam in abductione uxoris, & filiorum

rum in Inſulam Siciliæ, quam alia plura, & manifeſtiora exhibeat ſolitis argumenta; monitionibus, prohibitionibus, præceptis, & etiam ſententiis Apoſtolicis, non abſque gravi contemptu Clavium, vilipenſis, cotidie in continuatione ſuæ contumaciæ intumeſcens; nos in præterito feſto Aſcenſionis Domini omnes proceſſus contra rebelles Siculos, qui eidem Petro qualitercumque in pertinacia ſuæ iniquitatis adhærent, & contra ipſum Petrum, necnon & contra quoslibet alios, occaſione ipſorum Petri, & Siculorum habitos, de fratrum eorumdem conſilio denunciantes, ac nihilominus decernentes, & ſtatuentes plenum robur firmitatis habere, ipſum Petrum licèt alias ſuis exigentibus demeritis, diverſis excommunicationis ſententiis innodatum, tamquam prædictarum monitionum, inhibitionum, ac cæterorum noſtrorum proceſſuum, & ſpecialiter ratione regni Aragoniæ, aliarumque terrarum, quibus idem Petrus privatus extitit, habitorum, notorium contemptorem, necnon & alios, qui eadem contempſerunt, denunciavimus latas, ut præmittitur, contra contemptores inhibitionum, & proceſſuum eorundem ſententias incurriſſe. Ac nihilominus eundem Petrum de novo ex cauſis præmiſſis, & præcipue propter contumaciæ tam gravis augmentum, ſimili ſententia duximus innodandum; manifeſtius prædicentes, quod contra eum, & quoslibet alios cujuſcumque forent dignitatis, præeminentiæ, conditionis, aut

ſtatus, Eccleſiaſtici, vel mundani prædictas monitiones, prohibitiones, ſive præcepta noſtra quomodolibet præterire præſumerent, quando, & prout facti circumſtantiæ ſuaderent, & videremus expediens, gravius ſpiritualiter, & temporaliter procedere curaremus. Cum autem ſæpefatus Petrus, licet ab Inſulæ Siciliæ abſens corpore, præſens tamen in ea, per ſuos ſatellites & miniſtros, ſolitæ nequitiæ proſecutor, monita, præcepta, inhibitiones, comminationes factas, pœnas indictas, & ſententias propter ſuas contumacias & exceſſus commiſſos, in eadem Inſula, cæteriſque præfati regni Siciliæ partibus, necnon, & ratione dicti regni Aragoniæ aliarumque terrarum, quibus eum privavimus, latas a nobis, non ſolum non audiens, ſed etiam non abſque gravi, & notabili contemptu Clavium vilipendens, ad noſtra, & Eccleſiæ mandata ſuper hoc ſpecialiter monitus, & peremptorie citatus, jam diutius contumacia obſtinata redire contempſerit, & contemnat, dictique Siculi rei contumaciæ ſimilis, non ſolum in cœpta pertinacia, & obſtinatione perſiſtant, ſed quaſi continue perverſitatibus ſuis adjiciant, cæteras ejuſdem Siciliæ Regni partes clandeſtinis inſidiis, & manifeſtis moleſtiis impetere præſumentes; nos omnes, & ſingulos proceſſus prædictos, tamquam ſingulariter repetitos ratificantes, & approbantes expreſſe, ac manere decernentes, de ipſorum fratrum conſilio, in pleno robore firmitatis, omnes ſin-

ſingulares perſonas, & ſpecialiter dictos Petrum, & Siculos, qui parere contumaciter eiſdem proceſſibus contempſerunt, excommunicationis, civitates vero, caſtra, & loca cætera, necnon & univerſitates ipſorum denunciamus interdicti latis ſuper hoc ſententiis ſubjacere. Ac nihilominus ex cauſis eiſdem, & ſpecialiter propter hujuſmodi contumaciam, & contemptum, in ipſos, & ipſa, de novo ſimiles ſententias promulgamus. Adverſus Siculorum quoque perfidiam, quam hucuſque lenioribus remediis mollire nequivimus, paulo acerbioribus deliberavimus inſiſtendum, ut ſic ſaltem a ſuæ rebellionis, & proditionis invio, per quod infideliter gradiuntur, ad fidelitatis debitæ ſuæque ſalutis ſemitas, & ſinum matris Eccleſiæ revertantur. Licet itaque cum excommunicatis communicare non liceat, ſed id generaliter omnibus juris auctoritas interdicat, quia tamen plus timeri ſolet, quod ſpiritualius inhibetur; nos cum eiſdem Siculis tot excommunicationum ſententiis innodatis, univerſis, & ſingulis Chriſtifidelibus, & ſpecialiter Duci Venetorum, & Venetis, Poteſtatibus, Capitaneis, Conſiliariis Januenſium, Piſanorum, Anconitanorum, omniumque maritimarum civitatum, caſtrorum, & locorum, necnon & univerſitatibus eorundem, & ſingulis de ipſis univerſitatibus interdicimus commercium omne ſpontaneum; ita quod ipſis, nec ab eiſdem Siculis emere, aut ipſis aliquid vendere liceat, vel aliquem

cum eis contractum, ſeu quamcumque obligationem inire, nec ipſos ſcienter in ſuis terris ſeu locis recipere, vel ad dictam Inſulam ſponte accedere ſub quocumque colore, ſeu vaſa, vel arma, ſive quæcumque alia illis neceſſaria, ſeu utilia mittere vel deferre. Prædictis inſuper Duci, Poteſtatibus, Capitaneis diſtricte præcipimus, ut præmiſſa omnia, & ſingula generali edicto cunctis eorum ditioni ſubjectis arctius inhibere procurent, ſub certis pœnis, per eos ab illis, qui contrarium fecerint, exigendis; nos enim univerſos, & ſingulos cujuſcumque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, qui contra hujuſmodi noſtrum interdictum cum Siculis memoratis qualecumque habere commercium, quive prædictum mandatum noſtrum contumaciter præterire præſumpſerint, excommunicationis ſententiam, quam ex nunc ferimus, incurrere volumus ipſo facto, præmiſſis non obſtantibus, vel aliquo præmiſſorum; contra civitates vero, caſtra, locave cætera, & univerſitates eorum, quæ ſecus fecerint, ad interdicti ſententiam, & contra quoslibet hujuſmodi præſumptores gravius ſpiritualiter, & temporaliter, quando, & pro ut expedire viderimus, auctore Domino procedemus. Omnes autem qui contra præmiſſa interdictum & mandatum ita fecerint, quod ex eorum facto in victualibus, vel aliis opportunis ſubventio proveniat Chriſtifidelibus, qui partes incolunt tranſmarinas, quas ad recupera-
tio-

tionem Terræ Sanctæ contra perſecutores nominis Criſtiani plurimum expedit conſervare, a præfata interdictione commercii, ſententia, & comminationibus adiectis in ea, quod ad illa, quæ taliter egerint, & ipſos prædictarum partium incolas ſimiliter, propter varias neceſſitates partium earundem, prorſus excipimus, & eſſe decernimus prorſus exemptos. Cæterum quia, ſicut intelleximus, ſæpefati Petrus quondam Rex Aragonum, Archiepiſcopi, & cæteræ perſonæ Eccleſiaſticæ, Comites, Vicecomites, Barones, incolæ, & habitatores eorundem Regni Aragoniæ ac terrarum, quibus idem Petrus, ut præmittitur, eſt privatus, necnon & civitates, caſtra, villæ, locave cætera, & univerſitates ipſorum, licet præmiſſas monitiones noſtras ſpecialiter, ut ſupra exprimitur, eis factas propria temeritate contempſerint, propter quod non eſt dubium ſingulas perſonas excommunicationis; civitates vero, caſtra, & loca eadem, necnon & univerſitates ipſorum interdicti latas propter hoc ſententias, ſi conſonent facta relatibus, incurriſſe; interdictum tamen hujuſmodi non obſervant, non verentes nervum diſrumpere, quantum in eis eſt, Eccleſiaſticæ diſciplinæ: nos contra eos, & ſpecialiter contra memoratos Prælatos, & alias perſonas Eccleſiaſticas, taliter Divina favente gratia providere proponimus, quod hujuſmodi eorum temeritas, poſtquam manifeſtius de ipſa conſtiterit, nequaquam impunita remaneat,

ſed

ſed ita debitæ ſubjaceat ultioni, quod ipſius vindicta, cæteris ſimilia præſumendi audaciam interdicat. Ut autem hujuſmodi noſter proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas ſive membranas proceſſum continentes eundem, in præſentis Eccleſiæ Majoris Urbevetanæ appendi, vel affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt; itaquod idem Petrus, & alii quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſtea poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos talis proceſſus non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem: cum non ſit veriſimile remanere quo ad ipſos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Urbemveterem in feſto Dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Pontificatus noſtri anno tertio.

XVIII.

MArtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

Excitatæ in Inſula Siciliæ turbationis audacia, cui Panormitanorum effrenata temeritas, quin potius effera crudelitas, patens, & horrendum dedit initium, quamquam reliquorum Siculorum generalis rebellio, quaſi e veſtigio revelata, una cum illis proſecuta eſt hactenus, & adhuc pertinacia ob-

obſtinata proſequitur, in Apoſtolicæ Sedis deducta noticiam; Nos ad obſtandum multiplicium malorum initiis, quæ non abſque gravibus periculis animarum & corporum, turbatio eadem in ſui exordio minabatur, & (proh dolor!) in continuatione perſiſtit, more pii patris, non ſolum monitionibus, mandatis, præceptis, & inhibitionibus ipſis rebellibus, & aliis eorum occaſione factis, ſententiis variis contra non parentes eiſdem de fratrum noſtrum conſilio promulgatis, necnon & diverſis pœnis comminatis inſtitimus, ſed & Venerabilem fratrem noſtrum [1] G. Sabinenſem Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Legatum duximus deſtinandum, ut monitionum, inhibitionum, mandatorum, præceptorum prædictorum, ac comminationum ipſius Legati miniſterio, rebelles eoſdem a tam grandis ruinæ diſcrimine, cui ſe temere ſubjecerunt, manſuetudo paternæ pietatis eriperet, & ad fidelitatis ſemitas, a quibus eos nimis proculdubio devius error abduxerat, revocaret. Sed Petri quondam Regis Aragonum, quem turbationis ejuſdem machinatorem ſubdolum, & actorem præcipuum communis clamat opinio, & incentorem, fautorem, ac proſecutorem infeſtum facti evidentia manifeſtat, dolis, & inſidiis revelatis, eoque hoſtiliter eandem Inſulam contra nos, Romanam Eccleſiam, & cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Regem Siciliæ Illuſtrem, abſque diffida-

1 Gerardum.

fidationis præmiſſione cujuslibet, & proinde non ſine nota proditionis, ingreſſo, ſeque pro Siciliæ Rege gerente, ac alias multiplicante cotidie adverſus nos, Eccleſiam, & Regem eoſdem injuſticias, injurias, contumelias, doloſque diverſos; nos tàm quo ad eum gerentem ſuam, dictoſque rebelles, quàm etiam quo ad alios univerſos cujuſcumque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, monitiones, inhibitiones, mandata, præcepta, comminationes, & ſententias varias juxta facti exigentiam multiplicare curavimus, ipſoſque ac ſpecialiter dictum Petrum tunc Regem Aragonum ſub certa forma expreſſe monuimus, ut infra certa tempora, quæ ipſis pro peremptoriis terminis aſſignanda duximus, a prætactis ſuis exceſſibus deſiſtentes, omnino ad noſtra, & Eccleſiæ mandata redirent. Et quia ipſum Petrum non ſolum præmiſſorum omnium contumacem invenimus contemptorem, verum etiam deteſtabiliorum exceſſuum, & offenſarum multiplicatorem aſſiduum; nos contra eum, & uſque ad dictum terminum, & poſt, clementer aliquandiu expectatum, cogente conſcientia, & exigente juſtitia, de ipſorum fratrum conſilio procedentes, & Regnum Aragoniæ cæteraſque tunc ejus terras, juxta præmiſſam ſuper hoc ſpecialiter denunciationem, & comminationem, exponentes modo ſubſcripto, ipſum ſententialiter eiſdem Regno, & terris regioque honore privavimus, & privantes, Regnum, & terras eaſdem ex-

expoſuimus occupandas Catholicis, de quibus, & prout ipſa Sedes Apoſtolica duceret providendum, in Regno & terris eiſdem præfatæ Romanæ Eccleſiæ jure ſalvo, vaſſallos, ipſius, quos ut proceſſuum noſtrorum [1] conniventia ſerioſa declarat, a juramento fidelitatis, ſi quo tenebantur eidem, abſolvendos antea duxeramus, denunciantes penitus abſolutos, & denuo ab eodem quolibet fidelitatis vinculo, & homagio abſolventes; eoſdem quoque Petrum, Siculos, complices, & fautores eorum, omneſque alios ſingulares, qui noſtras monitiones, inhibitiones, & comminationes ſuper his, & circa hæc habitas, damnabililiter contempſerunt, excommunicationis, univerſitates vero, civitates, caſtra, & loca cætera denunciavimus interdicti ſententiis ſubjacere ipſos, & ipſa, ex cauſis eiſdem, & propter continuatam, auctamque contumaciam eorundem, ſimilibus ſententiis ſupponentes. Univerſis præterea Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, præeminentiæ, ſive ſtatus, etiamſi decorarentur Pontificali, ſeu Regia dignitate, & ſpecialiter Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis inferioris gradus Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis, religioſis cujuſcumque religionis, aut ordinis, & ſecularibus, ipſique Petro, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, Univerſitatibus civitatum, caſtrorum, cæterorumque locorum, ac univerſis incolis, & habitatoribus eorundem Regni ac terrarum, quibus dictum Petrum tunc Arago-

1 continentia.

ragonum Regem privavimus,duximus inhibendum, ne ipſe Petrus de dictis Regno, & terris ſe aliquatenus intromittat, neve cæteri ſupradicti eidem Petro, vel aliis quibuſcumque, contra prædictas privationem, & expoſitionem, aut proſequentes eaſdem, per quos dicta regnum & terras occupandas, Sedes eadem provideret,temptantibus ſe opponere quoquomodo aſſiſterent, vel qualitercumque faverent, ſive præſtarent in hoc conſilium, auxilium, vel favorem publicum vel occultum, quacumque occaſione quæſita, vel prætextu alicujus homagii, vel cujuſcumque colligationis, confœderationis, ſocietatis, ſeu cujuſvis conventionis aut jure contractæ antea, ſive in poſterum contrahendæ, etiamſi colligationes, confœderationes, ſocietates, & conventiones hujuſmodi, ac alia ſupradicta, pœnarum adjectionis, vel juramenti, ſeu cujuſvis alterius eſſent vinculo firmitatis innexa. Nos enim ex tunc colligationes, confœderationes, cæteraque hujuſmodi præmiſſa quo ad hoc de plenitudine diſſolvimus poteſtatis, juramenta ſuper illis præſtita, pœnaſque propterea præmiſſas penitus relaxantes, ut univerſos, & ſingulos, qui eas contraxerant, ſe ad obſervationem earumdem quantumcumque ſolemniter adſtringendo, ab ipſarum in præmiſſis obſervatione penitus abſolventes: ſpecialiter autem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris perſonis Eccleſiaſticis, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, incolis, & habitatoribus ſupradictis eorundem regni Aragoniæ

niæ ac terrarum expreſſe prohibere curavimus, ne dictum Petrum olim regem Aragonum, pro rege, vel Domino haberent, neve ſibi obedirent, vel intenderent, aut ipſi, vel alii pro eo de redditibus, vel obventionibus, ſive juribus, regalibus, ſeu ratione Dominii debitis reſponderent, vel aliquam ſatisfactionem impendere ſub quocumque velamine attentarent. Alioquin memoratum Petrum, & omnes ſingulares perſonas cujuſcumque forent præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus Eccleſiaſtici, vel mundani, etiamſi regalis dignitatis honore fulgerent, excommunicationis; civitates vero, caſtra, villas, & loca cætera, necnon & univerſitates ipſorum, quæ prædictas inhibitiones, vel earum aliquam præterire propria temeritate præſumerent, interdicti ſententiis, quas ex tunc protulimus, decrevimus ſubjacere: non obſtantibus quibuslibet privilegiis, vel indulgentiis quibuſcunque, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Archiepiſcopis, ſeu quibuslibet Prælatis aliis, Ciſtercienſibus, Prædicatoribus, Minoribus, Hoſpitalariis, Templariis, ſeu religioſis aliis, aut ſecularibus perſonis, etiam in dignitate qualibet conſtitutis, civitatibus, caſtris, locis, communitatibus, collegiis, vel quibuſvis univerſitatibus, ſub quacumque verborum forma, vel expreſſione ab eadem Sede conceſſis, & quibuslibet aliis indulgentiis ejuſdem Sedis, per quas noſtri proceſſus effectus impediri poſſet quomodolibet, vel differri. Quæ quidem omnia pri-

vi-

vilegia, vel indulgentias, quo ad hoc, omnino duximus juribus vacuanda: apertius nihilominus prædicentes, quod contra hujuſmodi præſumptores, & ſpecialiter contra dictos Prælatos, Religioſos, Comites, Vicecomites, Barones, incolas, habitatores, civitates, caſtra, villas, aliave loca, & univerſitates ipſorum, ad privandum eos, & ea quibuslibet privilegiis, indulgentiis, immunitatibus ſive gratiis, ipſis ab eadem Sede conceſſis: nec non terris, feudis, & juribus, quæ a præfata Romana, vel aliis quibuſcumque tenerent Eccleſiis, & aliàs gravius ſpiritualiter, & temporaliter, quando, & ſicut facti qualitas ſuaderet, ac putaremus expediens, procedere prævia Divina gratia curaremus; ſicut hæc omnia, & alia, quæ ipſius Petri nequitiam, injuſtitiam, injurias, contumelias, exceſſus, & dolos apertius detegunt, in ſerie dictæ contra eum latæ ſententiæ plenius continentur. Cumque idem Petrus nec per hoc a prætactis ſuis reprimeretur exceſſibus, nec a ſua iniquitate cœpta deſiſteret, ſed ei contumaci animo ſemper inſiſteret, ipſam non ſolum dolis, & ſolitis inſidiis proſequens, ſed & aliis conatibus diverſis augmentans: nos in die Cœnæ Domini, Pontificatus noſtri anno III., præſente multitudine copioſa fidelium, ipſum Petrum ex cauſis variis vinculo excommunicationis aſtrictum, de novo propter ſuæ iniquæ contumaciæ ac iniquitatis contumacis augmentum ſimili vinculo innodantes, omnes proceſ-

ceſſus contra eum habitos, & ſpecialiter præmiſſam latam expoſitionis, & privationis ſententiam de ipſorum fratrum conſilio ratificantes expreſſe, ratoſque manere decernentes ac firmos, & auctoritate Apoſtolica nihilominus approbantes, præmiſſas omnes, & ſingulas inhibitiones, necnon & homagii præſtiti ſive facti, colligationum, confœderationum, & conventionum quarumlibet diſſolutiones, & relaxationem juramenti, ac pœnarum adjectarum in ipſis, ſub eiſdem pœnis, & ſententiis duximus innovandos: & nihilominus manifeſte prædiximus, nos contra univerſos, & ſingulos dictis inhibitionibus non parentes, prout circumſtantiæ ſuaderent exceſſuum, pœnis ſpiritualibus, & temporalibus, quando, & prout fore videremus expediens, proceſſuros. Et quia memoratus Petrus nec tantis, & talibus remediis ab aſſumpta compeſcebatur nequitia, ſed eam contumacius proſequens, & de ſui perverſi obſtinatione propoſiti tam in adductione uxoris, & filiorum ſuorum in Inſulam Siciliæ, quam alia plura, & manifeſtiora exhibebat ſolitis argumenta, monitionibus, prohibitionibus, præceptis, & etiam ſententiis apertius, non abſque gravi contemptu Clavium, vilipenſis, cotidie in continuatione ſuæ contumaciæ intumeſcens; nos in feſto Aſcenſionis Domini omnes proceſſus contra rebelles Siculos eidem Petro qualitercumque in ſuæ iniquitatis contumacia adhærentes, & contra ipſum Petrum, necnon & con-

contra quoslibet alios, occaſione ipſorum Petri, & Siculorum habitos, de fratrum eorundem conſilio denunciantes, ac nihilominus decernentes, & ſtatuentes plenum robur firmitatis habere, ipſum Petrum, licet alias ſuis exigentibus demeritis diverſis excommunicationum ſententiis innodatum, tamquam prædictarum monitionum, inhibitionum, ac cæterorum noſtrorum proceſſuum, & ſpecialiter ratione regni Aragoniæ aliarumque terrarum, quibus idem Petrus privatus extitit, habitorum, notorium contemptorem, necnon & alios, qui eadem contempſerunt, denunciavimus latas, ut præmittitur, contra contemptores inhibitionum, & exceſſuum eorundem ſententias incurriſſe. Ac nihilominus eundem Petrum de novo, præcipue propter contumaciæ tam gravis augmentum, ſimili ſententia duximus innodandum; manifeſtius prædicentes, quod contra eum, & quoslibet alios cujuſcumque forent præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, Eccleſiaſtici, vel mundani, qui prædictas monitiones, prohibitiones, ſive præcepta noſtra quomodolibet præterire præſumerent, quando, & prout facti circumſtantiæ ſuaderent, & videremus expediens, gravius ſpiritualiter, & temporaliter procedere curaremus. Cumque ſæpefatus Petrus, licet ab Inſula Siciliæ abiens corpore, præſens tamen in ea per ſuos ſatellites, & miniſtros, ſolitæ nequitiæ proſequutor, monita, præcepta, inhibitiones, comminationes factas, pœnas

nas indictas, & ſententias propter ſuas contumacias, & exceſſus commiſſos in eadem Inſula, cæteriſque præfati regni Siciliæ partibus, necnon & ratione dicti regni Aragoniæ, aliarumque terrarum, quibus eum privavimus, latas a nobis, non ſolum obaudiens, ſed etiam non abſque gravi, & notabili contemptu Clavium vilipendens, ad noſtra, & Eccleſiæ mandata ſuper hoc ſpecialiter monitus, & peremptorie citatus, jam diutius contumacia obſtinata redire contemneret, prout etiam nunc contemnit, dictique Siculi rei contumaciæ ſimilis, non ſolum in cœpta pertinacia, & obſtinatione perſiſterent, ſed quaſi continue perverſitatibus ſuis adjicerent, cæteras ejuſdem Siciliæ regni partes clandeſtinis inſidiis, & manifeſtis moleſtiis impetere præſumentes: nos in feſto Dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum tranſacto noviſſime, fidelium multitudine numeroſa præſente, ipſos, & ſingulos proceſſus prædictos, tamquam ſingulariter repetitos ratificantes, & approbantes expreſſe, ac manere decernentes de fratrum eorundem conſilio in pleno robore firmitatis, omnes ſingulares perſonas, ſpecialiter dictum Petrum, & Siculos, qui parere contumaciter eiſdem proceſſibus contempſerunt, excommunicationis, civitates vero, caſtra, & loca cætera, necnon & univerſitates ipſorum denunciavimus interdictis, latis ſuper hoc ſimiliter ſubjacere. Ac nihilominus propter hujuſmodi contumaciam, & contemptum in ipſos, & ipſa, de no-

novo ſimiles ſententias duximus promulgandas; adverſus Siculorum quoque perfidiam, quam lenioribus remediis mollire nequivimus, paullo acerbioribus, ad revocandum eos a ſuis perverſitatibus, inſiſtentes, licet cum excommunicatis participare non liceat, ſed id generaliter omnibus juris auctoritas interdicat; quia tamen plus timeri ſolet, quod ſpiritualius inhibetur, ex tunc cum eiſdem Siculis tot excommunicationum ſententiis innodatis, univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, & ſpecialiter Duci Venetorum, & Venetis, Poteſtatibus, Capitaneis, Conſiliariis Januenſium, Piſanorum, Anconitanorum, omniumque maritimarum civitatum, caſtrorum, & locorum, necnon & univerſitatibus eorundem, & ſingulis de ipſis univerſitatibus interdiximus commercium omne ſpontaneum, ita quod ipſis, nec ab eiſdem Siculis emere, aut eis aliquid vendere liceat, vel aliquem cum illis contractum, ſeu quamcumque obligationem inire, nec ſcienter ipſos in ſuis terris, ſeu locis recipere, vel ad dictam Inſulam ſponte accedere ſub quocumque colore, ſeu vaſa, vel arma, ſive quæcumque alia illis neceſſaria, ſeu utilia mittere, vel deferre: prædictis inſuper Duci, Poteſtatibus, Capitaneis, & Conſiliariis diſtricte præcepimus, ut præmiſſa omnia, & ſingula, generali edicto cunctis eorum ditioni ſubjectis arctius inhibere curarent, ſub certis pœnis per eos ab his, qui commercium facerent, exigendis: & nihi-

nihilominus univerſos, & ſingulos cujuſcumque forent præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, qui contra hujuſmodi noſtrum interdictum cum Siculis memoratis qualecumque habere commercium, quique prædictum mandatum noſtrum contumaciter præterire præſumerent, excommunicationis ſententiam, quam ex tunc tulimus, incurrere voluimus ipſo facto, præmiſſis non obſtantibus, vel aliquo præmiſſorum, contra civitates, caſtra, locave cætera, & univerſitates eorum, quæ ſecus facerent ad interdicti ſententiam; & contra quoslibet hujuſmodi præſumptores, prædicentes nos gravius ſpiritualiter, & temporaliter, quando, & prout videremus expediens, proceſſuros. Omnes autem, qui contra præmiſſa interdictum, & mandatum ita facerent, quod ex eorum facto in victualibus, & aliis opportunis ſubventio proveniret Chriſti fidelibus, qui partes incolunt tranſmarinas, quas ad recuperationem Terræ Sanctæ contra perſecutores nominis Chriſtiani plurimum expedit conſervare, a præfata interdictione commercii, ſententia, & comminationibus adjectis in ea, quo ad illa, quæ taliter agerent, & ipſos prædictarum partium incolas, ſimiliter propter varias neceſſitates partium earundem prorſus excepimus, & eſſe decrevimus prorſus exceptos. Quamquam igitur præmiſſi noſtri proceſſus omnes, & ſinguli, ex ſui qualitate, firmitate ſolida innitantur, nihilominus tamen, ut evidentius cunctis eorum robur appareat, ip-

ſos, de fratrum eorundem conſilio, de novo approbamus, ratificamus, ratos, & firmos manere decernimus, & obtinere perpetui roboris firmitatem, contra contemptores ipſorum, & ſpecialiter contra dictos Petrum, & Siculos, propter eorum contumaciam, & aliàs, & continuatione prolixioris temporis augmentatam, de novo ſimiles ſententias promulgantes. Manifeſte præterea monemus eoſdem, & ſpecialiter memoratos Petrum, & Siculos, alioſque in eadem Inſula exiſtentes, ut infra feſtum Aſſumptionis B. Virginis primo venturum, quod ipſis pro peremptorio termino aſſignamus, ab hujuſmodi contumacia, & cæteris prætactis ſuis exceſſibus ac perverſitatibus deſiſtentes omnino, ad noſtra, & Eccleſiæ mandata humiliter redeant, nobis, eidem Eccleſiæ, ac memorato Regi Siciliæ, de damnis, & injuriis, omnique intereſſe ſatisfactionem, prout nobis videbitur, impenſuri plenariam, & noſtris præciſe beneplacitis parituri. Alioquin ipſos ſimilibus ſententiis, quas ex nunc propterea in eos ferimus, ex tunc eſſe decernimus innodatos; contra eos gravius ſpiritualiter, & temporaliter proceſſuri, prout expedire videbimus, & facti qualitas ſuadebit; & nihilominus interim, ad compeſcendas perverſitates ipſorum, & eos ad ſinum Matris Eccleſiæ reducendos, viis, & modis, atque remediis, quæ Dominus miniſtraverit, per nos, & alios inſiſtemus, in prædicto Dedicationis feſto noviſſimo, quia, ſicut intellexeramus, ſæpefati Petrus quondam Rex Aragonum,

gonum, Archiepiſcopi, & cæteræ perſonæ Eccleſiaſticæ, Comites, Vicecomites, Barones, incolæ, & habitatores eorundem Regni Aragoniæ, ac terrarum, quibus idem Petrus, ut præmittitur, eſt privatus, necnon & civitates, caſtra, villæ, locave cætera, & univerſitates ipſorum, licet præmiſſas monitiones noſtras ſpecialiter, ut ſupra exprimitur, eis factas propria temeritate contempſerint; propter quod non eſt dubium ſingulares perſonas excommunicationis, civitates vero, caſtra, & loca eadem, necnon & univerſitates ipſorum interdicti latas propter hoc ſententias, ſi conſonent facta relatibus, incurriſſe; interdictum tamen hujuſmodi non ſervabant, & adhuc, ut dicitur, non obſervant, non verentes nervum diſrumpere, quantum in eis eſt, Eccleſiaſticæ diſciplinæ; aperte prædiximus, quod contra eos, & ſpecialiter contra memoratos Prælatos, & alias perſonas Eccleſiaſticas taliter proponebamus, divina favente gratia, providere, quod hujuſmodi eorum temeritas, poſtquam manifeſtius de ipſa conſtaret, non remaneret aliquatenus impunita, ſed ita ultioni debitæ ſubjaceret, quod propter ipſius vindictam cæteris interdiceretur audacia, ſimilia præſumendi. Sed quia licet in indaganda circa id plenius veritate, non fuerimus otioſi, nondum tamen ad nos ſuper hoc plena certitudo pervenit, proceſſum habendum propterea ſuſtinemus ad præſens, tanto gravius, & durius, prout veritas revelata ſuaſerit, & expe-

dire viderimus, actore Domino proceſſuri, quanto nunc benignius circa id a proceſſu quolibet abſtinemus, quantoque interdictum idem non ſervantium culpa diuturnior, & proinde gravior apparebit. Ut autem hujuſmodi noſter proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas ſive membranas proceſſum continentes eundem in præſentis Eccleſiæ Majoris Urbevetanæ appendi, vel affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt; ita quod idem Petrus, & alii, quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſtea poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos talis proceſſus non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem: cum non ſit veriſimile, remanere quo ad ipſos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Urbemveterem in Majori Eccleſia Urbevetana in die Cœnæ Dñi, Pontificatus noſtri an. IV.

XIX.

MArtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

Infandis crudelitatis horrendæ principiis, in quæ Panormitanæ præſumptionis eruptio factioſa prorupit, & quæ innumeris onuſta periculis, non abſque factionis inique concinnatæ nequitia, cæterorum Siculorum confeſtim ſubſecuta rebellio, & Pe-

& Petri quondam Regis Aragonum quominus revelata inſidioſa temeritas, olim, ut fertur, concinnatrix occulta, nunc notorie manifeſta proſecutrix, oſtendunt, dudum obviare volentes, paterna præmiſimus monita, inhibitiones, mandata, & præcepta ſubjecimus, diverſiſque aliis proceſſibus additis, & contra temere contemnentes eoſdem, ſingulares quidem perſonas excommunicationis, univerſitates vero interdicti ſententiis promulgatis, & comminatoriis pœnarum edictis adjectis, Venerabilem fratrem noſtrum Gerardum Epiſcopum Sabinenſem cum plenæ legationis officio ad partes illas duximus deſtinandum, ut non ſolum præmiſſorum commonitorio ſuffragio, ſed & ipſius Cardinalis miniſterio ſedulo dicti Panormitani, & rebelles cæteri a perverſitate averterentur incœpta, & tam ipſi, quam alii, quos eorundem proceſſuum ſeries contingebat, prædictarum ſententiarum laqueos, & pœnarum diſcrimina conſultius evitarent. Deinde vero memorati Petri malitia, per notabilem ingreſſum ipſius in Inſulam Siciliæ, alioſque ſuos, & ſuorum inibi deteſtabiles multiplicatos exceſſus, in publicum prodeunte; monitiones, inhibitiones, mandata, præcepta, comminationes generales, & ſpeciales, & ſententias ſimiles, varioſque proceſſus alios, tam quo ad dictos rebelles, Petrum, & ſuos, quam ipſorum occaſione quo ad alios univerſos, & ſingulos, cujuſcumque forent præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus,

tus, Eccleſiaſtici, vel mundani multiplicare curavimus, prout facti qualitas exigebat. Et demum quia ipſum Petrum contumacem contemptorem horum omnium, & inchoatæ iniquitatis proſecutorem invenimus pertinacem; ad exponendum certo modo Regnum Aragoniæ, ac alias eo tempore terras ipſius, ipſumque ſententialiter tam illis quam Regio etiam honore privandum, juxta præmiſſam ſuper hoc ſpecialiter comminationem, de fratrum noſtrorum conſilio, ejus contumacia, & juſtitia exigente, proceſſimus, prout hæc omnia lata ſuper his contra ipſum ſententia ſerioſe declarat. Et quia nec ſic ſuus dictorumque rebellium furor averſus, aut iniquitas eſt repreſſa, quin ſemper ad graviora procederent, & idem Petrus pejora prioribus, tam in regno prædicto, quam extra, contra nos, & Romanam Eccleſiam, in totius Chiſtianitatis præjudicium, & non leve diſpendium, inſidiis, doliſque clandeſtinis, & apertis conatibus moliretur; contra eos itidem proceſſus iteravimus varios, monita, præcepta, & ſententias excommunicationis, & interdicti edicta comminatoria, interdictaque ſimilia, & alia continentes, prout iidem proceſſus, poſt dictam contra eum latam ſententiam ſubſecuti, plenius continent, apertiuſque teſtantur. Quia vero ſic induratum eſt inſipiens cor eorum, præcipue dicti Petri, ut nec monitionibus pareant, nec comminationibus cedant, nec ſententiarum aculeos ſentiant, nec juſſibus ac-

acquieſcant, ſed tam ipſe, quam dicti rebelles in ſua obſtinata contumacia perſiſtentes in deteriora cotidie contumaciter dilabantur, nos dictos proceſſus, ac omnia, & ſingula contenta in eis, tamquam nominatim expreſſa, & ſingulariter repetita, de fratrum ipſorum conſilio, ratificantes, & approbantes expreſſe, ipſaque rata, & firma manere per omnia, & in omnibus decernentes; præfatos Petrum, & rebelles, ac univerſos, & ſingulos alios dictorum proceſſuum contemptores denunciamus, ſententias prædictas, & pœnas, prout uniuſcujuſque promeruit exceſſus, & qualitas, ipſorumque proceſſuum ſeries indicat, incurriſſe. Ac nihilominus propter prætactam eorum contumaciam tanti continuatione temporis augmentatam, de novo in eos ſimiles excommunicationis, & interdicti ſententias promulgamus, ipſoſque monentes aperte, ut in proximum feſtum Sancti Michaelis, quod eis pro peremptorio aſſignamus termino, ad noſtra, & ipſius Eccleſiæ mandata humiliter redeant, ſatisfacturi noſtro arbitrio de memoratis eorum exceſſibus, & noſtris præciſe beneplacitis parituri. Alioquin contra eos univerſos, & ſingulos, cujuſcumque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, Eccleſiaſtici, vel mundani fuerint, procedemus gravius ſpiritualiter, & temporaliter, prout eorum exceſſus exegerint, & nobis videbitur expedire. Et nihilominus interim ad compeſcendas perverſitates ipſorum, & eos ad ſinum

Ma-

Matris Eccleſiæ reducendos, viis, & modis, atque remediis, quæ Dominus miniſtraverit, per nos, & alios inſiſtemus. Ut autem hujuſmodi noſter proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas, ſive membranas proceſſum continentes eundem, in præſentis Eccleſiæ Majoris Urbevetanæ appendi, vel affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt; ita quod idem Petrus, & alii, quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſtea poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos talis proceſſus non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem: cum non ſit veriſimile remanere, quo ad ipſos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Urbemveterem in Platea Majoris Eccleſiæ Urbevetanæ in feſto Aſcenſionis Domini, Pontificatus noſtri anno IV.

XX.

HOnorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ad tollendam de Siciliæ Regno gravamina, quæ inibi quondam Fredericus olim Romanorum Imperator tunc Siciliæ Rex indùxit, & contagioſa ejus iniquitatis in poſteros ſuos derivata contagio uſque ad hæc tempora prorogavit, de fratrum noſtrorum conſilio proviſionem generalem edentes nul-

nullum incolam regni prædicti a ſui participio excludentem, Nobis reſervavimus expreſſe liberam poteſtatem, univerſitates, & ſingulares perſonas regni ejuſdem, & ſpecialiter Inſulæ Siciliæ, cujuſcumque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, quæ a fidelitate claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ, vel hæredum ſuorum, non ſine gravi contemptu, & offenſa Eccleſiæ receſſerunt, niſi celeriter ad noſtra, & Eccleſiæ mandata redierint, reddendi, quando, & prout nobis expedire videbitur, ab ejuſdem proviſionis beneficio penitus alienas. Et tam contra eas, quam contra quoſcumque alios, qui deinceps ab eorundem hæredum recedere fidelitate præſumpſerint, non ſolum ad hoc, ſed & aliàs gravius ſpiritualiter & temporaliter, procedendi. Ut autem de reſervatione hujuſmodi per præſentes liquido conſtet in poſterum, eas fieri juſſimus in teſtimonium veritatis.

Datum Tybure xviii. Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno I.

XXI.

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabili fratri noſtro G. Epiſcopo Sabinenſi Apoſtolicæ Sedis Legato, & una cum dilecto filio nobili viro R. comite Atrebatenſe Bajulo Regni Siciliæ per Romanam Eccleſiam conſtituto, &c.

Quam

Quam gravis, quam diſpendioſa, & amara Siciliæ Regni conditio uſque nunc, a diebus olim Frederici quondam Romanorum Imperatoris extiterit; quanta etiam, & quam dira, quinimmo pene inaudita gravamina; quot afflictionum, & perſecutionum anguſtias, per ipſius Frederici, poſtremorumque ſuorum inducta tyrannidem uſque ad tempora moderna pertulerit; quot propterea tempeſtatum fluctibus regnum ipſum, & regnantes in eo patuerint; tibi verborum oraculis exprimi, ac miniſterio repeti ſcripturarum, ſupervacuum fore putavimus, cum ſic ea didiceris, ſic quaſi palpaveris digito, & fide cognoveris oculata; quod de illis inſtructus, plenius ad reformationem ſtatus regni ejuſdem, felicis recordationis Martinum Papam prædeceſſorem noſtrum, & nos etiam, quamvis ab olim illa communis notitia publicaſſet, per tuas literas plenius, & arioſius informaſti. Nos itaque per hæc, & alia informati, magno deſiderio cupientes, excitatis in regno eodem obviandi periculis, ſic inibi thronum regium perpetuis ſtabilire temporibus, & ſolida ſtabilitate firmare, quod & claræ memoriæ Caroli Siciliæ Regis hæredes in perpetuum, & regnum idem ſtatu pacifico, & tranquillo, ſummi regis favente clementia, jocundetur; de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, circa præmiſſa proviſionem, ſeu ordinationem edidimus generalem, prout in noſtris literis ſuper hoc confectis, quas tibi per di-
le-

lectum filium Magiſtrum Berengarium Fredoli Cappellanum noſtrum, ſuccentorem Biterrenſem, latorem præſentium mittimus, videbis plenius contineri. Licet autem nullum incolam dicti regni ab illius participio ſeries præfatæ proviſionis excludat; nos tam in ipſius editione liberam nobis reſervavimus poteſtatem, univerſitates, & ſingulares perſonas jam dicti regni, & ſpecialiter Inſulæ Siciliæ, cujuſcumque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, quæ a fidelitate regis, & hæredum ipſorum, non ſine gravi contemptu, & offenſa Eccleſiæ receſſerunt, niſi celeriter ad noſtra, & ipſius Eccleſiæ mandata redierint, reddendi, quando, & prout expedire viderimus, a beneficio proviſionis ejuſdem penitus alienas, & tam contra illos, quam contra quoſcumque alios, qui ex tunc ab eorundem hæredum recedere fidelitate præſumerent, non ſolum ad hoc, ſed & aliàs gravius ſpiritualiter, & temporaliter procedendi, prout hæc in ſpecialibus noſtris confectis exinde literis, quas per latorem ipſum, una cum prædictis literis aliis tibi direximus deſtinandas, plenius exprimuntur. Quia vero parum eſſet proviſionem ſive ordinationem hujuſmodi edidiſſe, niſi eam obſervatio tueatur; volumus, & fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus præfatam proviſionem, ſeu ordinationem noſtram, necnon & prædictas alias literas ſuper reſervatione præfata conceptas, in Neapolitana, & ali-

aliis ſolemnibus civitatibus, & locis dicti regni, & ſpecialiter in terris finitimis dictæ Inſulæ Siciliæ convicinis, prout commodius fieri poterit, per te, vel per alium, ſeu alios ſolemniter publicans, eam diligenter obſerves, & ab aliis, & præcipue officialibus in quibuſvis ejuſdem regni partibus deputatis obſervari facias, ut, actore illo, cujus in pace factus eſt locus, quique in pacis abundantia delectatur, juſtitia & pax in eodem regno ſolido convenientes amplexu excludant inde gravamina, injurias relegent, & quibuslibet eliminatis adducant quietem inibi, tranquillitatemque conſervent.

Datum Tybure x. Kal. Octobris Pontificatus noſtri anno I.

XXII.

HOnorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

Graves, & deteſtandos exceſſus quondam Petri, olim regis Aragonum, contra Romanam Eccleſiam, & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ, regnum Siciliæ ab ipſa Eccleſia tunc tenentem, in eodem regno, tempore felicis recordationis Martini Papæ IIII. prædeceſſoris noſtri damnabili præſumptione commiſſos, ſic facti evidentia, diverſorumque proceſſuum, per dictum prædeceſſorem habitorum, eorumque de fratrum ſuorum conſilio contra eum frequens publicatio divulgavit; ut non

ſit

ſit opus, illos ſingulariter diffuſa, & oneroſa commemoratione repetere, ſed quadam illorum generali, & ſuccincta epilogatione præmiſſa, ſufficiat aliqua explicite recenſere, per quæ juſtitia, & manſuetudo præſentis noſtri proceſſus evidentius clareat, & cunctis clarius innoteſcat. Sane dictus Prædeceſſor, propter ipſius Petri prætactos exceſſus, injuſtitias, injurias, contumelias, doloſque diverſos, præter manifeſtam ejus contumaciam pertinacem, de dictorum Fratrum conſilio, juſtitia exigente procedens, & Regnum Aragoniæ ac terras alias eo tempore dicti Petri, certo modo exponens, ipſum ſententialiter eiſdem Regno, & terris, regioque honore privavit, & privans, Regnum Aragoniæ, terraſque prædictas expoſuit occupandas fidelibus, de quibus, & prout Sedes Apoſtolica duceret, providendum. Vaſſallis præterea ipſius Petri a juramento fidelitatis, & homagio, ſi quo tenebantur eidem, penitus abſolutis, univerſis Chriſtifidelibus, cujuſcumque conditionis, præeminentiæ, ſive ſtatus, etiamſi decorarentur regia dignitate, dictoque Petro ſpecialiter inhibuit, ne ipſe Petrus de Regno Aragoniæ, terriſve prædictis ſe aliquatenus intromittere attemptaret, neve ceteri dicto Petro, vel aliis quibuſcumque, contra hujuſmodi privationem, & expoſitionem, aut proſequentes eaſdem, per quos dicta Regnum Aragoniæ ac terras occupandas Sedes eadem provideret, temptamtibus ſe opponere, quoquomodo aſſiſterent, vel

qualitercumque faverent, ſive præſtarent in hoc conſilium, auxilium, ſeu favorem publicum, vel occultum, prout in ſententia lata, & præfatis aliis proceſſibus,contra eundem Petrum habitis præmiſſa, & alia ſerioſius, & plenius continentur. Verum Alphonſus memorati Petri filius hoc non attendens, ut debuit, ſed inconſulte contemnens, cariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Regi Aragonum illuſtri, nato claræ memoriæ Philippi Regis Franciæ, juxta præmiſſam reſervationem proviſione Sedis ejuſdem ad proſequendum expoſitionem, & occupationem hujuſmodi deputato, & dicto genitori ejus, ceteriſque proſequentibus expoſitionem, & occupationem eaſdem ſe opponentibus patenter, ſicut publica fama clamat, modis, quibus potuit, aſtitit, ſeque dicto Carolo Regi Aragonum oppoſuit, & opponit, poſſeſſioni eorundem Regni Aragoniæ ac terrarum in ipſius præjudicium, de facto contumaciter, & temere incumbendo. Licet itaque ſuper dictis proceſſibus, & ejuſdem Alphonſi exceſſibus, cum fratribus noſtris propenſa deliberatione præhabita, de ipſorum conſilio contra ipſum Alphonſum deliberaviſſemus procedere, prout proceſſuum, & exceſſuum eorumdem qualitas exigebat, & nos expediens putabamus, quia tamen idem A. per ſuas litteras tam nobis, quam eorundem Fratrum noſtrorum Collegio, aſſignatas, de non miſſis ad nos poſt obitum dicti Patris ſui Nunciis, cauſis prætenſis variis ſe excuſans,

ſans, & ſupplicans excuſatus haberi, aſſerit ſe in præſentiarum Nuncios ad noſtram præſentiam deſtinare; nos, etſi videretur aliquibus, nequaquam propter hoc ab habendis adverſus ipſum proceſſibus abſtinendum, nec deeſſet qui de ipſius intentione certiora expectanda ſuggereret argumenta; volentes tamen ſolitam maturitatem Sedis Apoſtolicæ obſervare, de ipſius Sedis manſuetudine conſueta, contra eundem A. omnem proceſſum uſque feſtum Aſcenſionis Dominicæ primo venturum duximus ſuſtinendum, tanto contra ipſum ex tunc, ſi apparuerit per eum nobis illuſum, gravius ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire viderimus, proceſſuri, quanto amplius ipſe ſuam contumaciam per illuſionem hujuſmodi aggravaret. Ut autem hujuſmodi noſter proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas ſive membranas proceſſum continentes eundem in præſentis Eccleſiæ S. Sabinæ appendi, vel affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt; ita quod idem Alphonſus nullam poſtea poſſit excuſationem prætendere, quod ad eum talis proceſſus non pervenerit, vel quod ignorarit eundem: cum non ſit veriſimile, quoad ipſum remanere incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum in Urbe ante prædictam Eccleſiam S. Sabinæ in die Cœnæ Domini Pontificatus noſtri Anno primo.

XXIII.

HOnorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

Dudum felicis recordations Martinus PP. IV. Prædeceſſor noſter, crudelitatis horrendæ clamoribus in Siciliæ inſula, per ſævam immo ſæviſſimam habitantium in illa rabiem, nefandis auſibus perpetratæ, fuſique inibi ſanguinis innocentis, mœſtis vocibus intellectis, obviationis opportunæ remedia tantis tamque ſceleſtis initiis cupiens adhibere, paterna præmiſit monita, inhibitiones, mandata, & præcepta ſubjecit, diverſiſque proceſſibus aliis additis, & contra temere contemnentes eoſdem, ſingulares quidem perſonas excommunicationis, univerſitates vero interdicti ſententiis promulgatis, & comminationis pœnarum edictis adjectis, venerabilem Fratrem noſtrum Gerardum Epiſcopum Sabinenſem ad partes illas cum plenæ legationis officio deſtinavit, ut non ſolum proceſſuum commonitorio ſuffragio, ſed & ipſius legati miniſterio ſedulo rebelles Siculi a perverſitate averterentur incepta, & tam ipſi quam alii, quos eorundem proceſſuum ſeries contingebat, prædictarum ſententiarum laqueos, & pœnarum diſcrimina conſultius evitarent; cumque poſtmodum, quaſi e veſtigio, quondam Petri olim Regis Aragonum deteſtanda malitia, per notabilem in prædictam inſulam ingreſſum ipſius, alioſque

que ſuos, & ſuorum ibidem multiplicatos exceſſus in publicum produxiſſent; præfatus Prædeceſſor monitiones, inhibitiones, mandata, & præcepta, comminationes generales, & ſpeciales, & ſententias ſimiles, varioſque proceſſus alios, tam quo ad eoſdem rebelles Petrum, & ſuos, quam occaſione ipſorum, quo ad alios univerſos, & ſingulos, cujuſcumque forent præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, Eccleſiaſtici, vel mundani, multiplicans, prout facti qualitas exigebat, inter cætera ipſum Petrum tunc Regem Aragonum, ac exteros univerſos, & ſingulos, qui cum eo, ſive aliàs, in auxilium adhuc inſtantis perturbationis, ſeu rebellionis, dictam inſulam intraverant, vel inibi exiſtentes eidem turbationi, ſeu rebellioni quomodocumque faverunt, attente monuit, eiſque diſtricte præcepit, ut ab hujuſmodi ſuis exceſſibus deſiſtentes inſulam ipſam prorſus exirent, nunquam illuc in Eccleſiæ Romanæ, vel claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ præjudicium redituri: adjiciens, ne quis ad eandem poſtea intrare, vel aliquam ejuſdem Siciliæ Regni partem publice, vel occulte impetere, vel turbare aliquatenus præſumeret, ſeu contra moleſtare, univerſiſque civibus, incolis, habitatoribus, & univerſitatibus civitatum, & aliorum locorum ipſius inſulæ cum ſimilibus monitorie ac diſtrictè præcipiens, ut Petrum, & exteros memoratos de ipſa inſula penitus expellentes, nunquam eos, vel alios ad præmiſſa, vel ſimilia inibi recipere attempta-

ptarent,in contrarium præſumentes excomunicationis, & interdicti promulgatis ſententiis, comminationibus etiam gravioribus, & pœnis adjectis. Et quia jam dicti Siculi contra monitionem, & præceptum hujuſmodi Prædeceſſoris ejuſdem non ſolum memoratos non expulerunt exteros, immo etiam Conſtantiam Manfredi olim Principis Tarentini filiam, dudum dicti Petri uxorem, & Jacobum natum ipſorum, in præfatæ turbationis, ſeu rebellionis fomentum, & auxilium receperunt, ac eos ſibi velut in idola erigentes, illis in hoc obediunt, & intendunt; quia etiam Conſtantia, & Jacobus ſupradicti ad hoc intrare prætactam inſulam præſumentes, dictas turbationem, & rebellionem fovent, & nutriunt, eaſque pro viribus, memorato vivente, perſecuti ſunt hactenus, & adhuc etiam perſecuntur, ac per ſe, gentemque ſuam, etiam partes alias dicti Regni Siciliæ multipliciter impetunt, & moleſtant; tam Siculos, quam Conſtantiam, & Jacobum ſæpefatos, eaſdem dicti Prædeceſſoris ſententias, propter præmiſſas cauſas & alias, non eſt dubium incurriſſe. Porro quia decet, & conſuevit Romana Eccleſia tamquam pia mater, etiam circa filios delinquentes ſe benivolam exhibere; nos de Siculorum ipſorum ſalute ſolliciti, cupientes eos ab erroris invio ad rectitudinis ſemitam ſaltem Apoſtolicis gratiis, & beneficiis revocare, ipſos a beneficio conſtitutionis, nuper a nobis ſuper reformatione ſtatus ipſius Regni Siciliæ de Fratrum noſtro-

noſtrorum conſilio editæ, duximus excludendos. Monuimus tamen eoſdem, ut ſibi celeriter, & ſalubriter conſulentes, ne dicti beneficii commodo privarentur, ad noſtra, & ejuſdem Eccleſiæ mandata humiliter redire curarent, prout in quibuſdam noſtris literis ſuper hoc confectis plenius continetur. Quia igitur Conſtantia, & Jacobus ſæpedicti turbationem, & rebellionem præfatas fovere, nutrire, ac etiam pro viribus augmentare non ceſſant, propter quod prædictas excommunicationis ipſius prædeceſſoris ſententias, ſicut præmittitur, incurriſſe noſcuntur; quia etiam iidem Conſtantia, & Jacobus, quibus nihil omnino juris competit in dictis regno Siciliæ, vel inſula, ſeu aliqua parte ipſorum, prout prætacti ejuſdem Prædeceſſoris proceſſus manifeſtè declarant, & nos nihilominus decernimus, & etiam declaramus; & inſulæ præfatæ incumbunt, & alias ejus partes per gentem ſuam turbant, impetunt, & moleſtant; nos eoſdem Conſtantiam, & Jacobum ac Siculos, præſente hic multitudine copioſa fidelium, denunciamus &c.

XXIV.

HOnorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabilibus Fratribus B. [1] Ravennat. & P. [2] Montiſregalis Archiepiſcopis.

Licet vos ad præſentiam chariſſimi in Chriſto filii no-

1 Bonifacio. 2 Petro.

noſtri E. Regis Angliæ illuſtris, commiſſa nobis ſuper certo negocio ſollicitudine ſpeciali duxerimus deſtinandos; volumus tamen, & præſentium vobis auctoritate committimus, & mandamus, quatenus in tractatu concordiæ mundo utilis, & ſpecialiter quieto ejus ſtatui opportune inter quoſdam Principes reformandæ, quem idem Rex, ſicut dicitur, proponit aſſumere, vel jam forſan aſſumpſit, conſilio, & auxilio aſſiſtatis eidem, cum ad hoc vos duxerit requirendos. Datum Romæ apud S. Sabinam IV. non. Martii, Pontif. noſtri anno III.

XXV.

HOnorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Regi Angliæ illuſtri.

Licet Venerabiles Fratres noſtros B. Ravennat., & P. Montiſregalis Archiepiſcopos, commiſſa eis ſuper certo negocio ſollicitudine ſpeciali, ad tuam præſentiam duxerimus deſtinandos; ſcire tamen Regalem Excellentiam volumus, quod ad petitionem nuntiorum, quos nuper ad Sedem Apoſtolicam deſtinaſti, dictis Archiepiſcopis per alias ſub certa forma literas noſtras committimus & mandamus, ut in tractatu concordiæ mundo utilis, & ſpecialiter quieto ejus ſtatui opportune inter quoſdam Principes reformandæ, quem Regalis Excellentia, ſicut dicitur, proponit aſſumere, vel jam forſan aſſumpſit, conſilio & auxilio aſſiſtant eidem

eidem, cum ad hoc ipſos duxerit requirendos. Datum Romæ apud S. Sabinam iv. non. Martii, Pontificatus noſtri anno iiI.

XXVI.

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Regi Angliæ illuſtri.

Exigit Regalis ad Deum immenſis laudibus attollenda devotio, ut ei pro te, fili chariſſime, frequenter labiorum vitulum exolvamus, qui ſic animum Regium gratia divina prævenit, quod ad ejus proſequenda ſervitia diſponit vota tua, & ut promoveantur utilius,ac promptius executionis votivæ conſequantur effectum, ad Chriſtianitatis ſtatum pacificum, non vitatis laboribus, ſed & contemptis oneribus, anxius, & operoſus intendis; ſicut ex his, quæ per dilectum filium Nobilem virum Odonem de Granchiſono Celſitudinis tuæ familiarem, & nuncium circa negocium Aragoniæ ſub literarum tuarum,fidem ipſi nobili adhiberi petentium, teſtimonio exponere curaviſti, aliiſque laudabilibus, & Deo acceptis Serenitatis tuæ partibus ſatis apertè convincitur, quin potius convincitur evidenter. Perſta in his, Princeps inclyte, perſta quæſumus, & quæ Creatori tuo grata cognoveris, attente proſequere, proinde non tantum laudis humanæ præconium,ſed & inextimabile retributionis æternæ præmium uberius recepturus. Cæterum ſuper dicto negocio nobili memorato plene reſpondimus,

dimus, & clarè noſtram tibi,quæ facti congruit qualitati, expreſſimus voluntatem, Regali Excellentiæ ipſius miniſterio, quo & tu ad nos uſus fueras nuncio, cum literis exprimendam. Datum Romæ apud S. Sabinam IV. non. Martii, Pontific. noſtri an. III.

XXVII.

NIcolaus Epiſcopus ſervus &c. Venerabili Fratri noſtro Gerardo Epiſcopo Sabinenſi Apoſtolicæ Sedis Legato, & una cum dilecto filio Nob. viro R. Comiti Atrebatenſi Bajulo Regni Siciliæ per Romanam Eccleſiam conſtituto.

Felicis recordationis Martinus Papa IIII. Prædeceſſor noſter, ad eum rumore perlato, quod Regnum Siciliæ turbatione non modica fluctuabat, volens obviare periculis, quæ turbatio eadem minabatur, & in primis Regni ſtatui ſalubriter providere, te ad prædictum Regnum, commiſſo in eo tibi plenæ legationis officio, deſtinavit. Et tam ipſe, quam piæ memoriæ Honorius Papa IV. Prædeceſſor noſter poſtmodum quamplura tibi ad pleniorem, & efficaciorem ipſius executionem, & ampliationem officii, reformationem ejuſdem Regni, reprehenſionem, reductionem, & pœnam rebellium, proviſionem fidelium & devotorum, tuique favoris augmentum, & eorum etiam commodum, qui tunc inſiſtebant obſequiis, & inſiſterent in futurum, nec non & ſuper aliis multis articulis, plenariam poteſtatem per ſuas diverſas lit-

litteras conceſſerunt. Nobis autem Divinæ diſpoſitionis arbitrio ad apicem Apoſtolicæ dignitatis aſſumptis, tu ad noſtram præſentiam pro exponendis maxime quibuſdam ejuſdem Regni conditionibus, & neceſſitatibus, a nobis petita, licet non expreſſa licentia, te perſonaliter contuliſti, moram apud Sedem Apoſtolicam aliquandiu contrahendo. Ne igitur propter hoc depoſuiſſe commiſſum tibi hujuſmodi legationis officium forſitan cenſereris, quod tamen abſque conceſſione ſuperioris non eſt alicui a jure proviſum, cum etiam legatus ſe abdicando, imperium non amittat; nos attendentes, quod præſentia tua in eodem Regno, ſtatu, & conditione ipſius, ac etiam Regiorum hæredum, nec non & aliis, quæ conſiderationi ſe offerunt, ſolicita meditatione diſcuſſis, adhuc fore dignoſcitur quam plurimum opportuna; penſantes etiam, quod ſic prudenter, & provide in ipſius re geſſiſti legationis officium, & curaſti gratioſum, favorabile, & benignum illarum partium incolis, prout conditio requirebat eorum, & temporis ſuadebat qualitas, exhibere, ita quod devotionem, & dilectionem ipſorum tibi non ſine laudis præconio vendicaſti; ſperantes quoque, quod ſi te laudabiliter in eodem officio habuiſti hactenus, illud laudabiliori ac etiam utiliori ſtudio proſequereris; de plenitudine poteſtatis, præſentium auctoritate decernimus, tam ipſum plenæ legationis officium, quam omnia, & ſingula per eoſdem Præceſ-

deceſſores ac nos conceſſa tibi hactenus, ſeu commiſſa, omnino integra, & illibata, nec non in eo ſtatu, vigore, ac robore omnimodis permanere, in quibus erant tempore, quo ad præſentiam noſtram accedens, egredi ſæpefatæ legationis terminos incepiſti. Nulli ergo omnino &c. Dat. Reate Non. Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

XXVIII.

Eidem. Cum te ad Regnum Siciliæ ad proſequendum feliciter Dño auſpice tibi commiſſum plenæ legationis officium remittamus, volentes ut illud ea efficacia exequaris, quo majori ad id fueris libertate munitus, Fraternitati tuæ præſentium tenore concedimus, ut poſtquam fueris ejuſdem Regni partes ingreſſus, liceat tibi, eas, quotiens tibi videbitur, egredi, & ad Sedem etiam Apoſtolicam, ipſius non petita licentia, te conferre ac redire, prout expedire videris, ad eaſdem; necnon & præfatum officium libere in omnibus exercere, ac ſi eas minime fuiſſes egreſſus. Nulli ergo &c. Datum *ut in proxima*.

XXIX.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio S. [1] tituli S. Cæciliæ Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato.

Quam attente libravimus, quam moleſte tulerimus

[1] Simoni.

rimus exceſſus illorum, qui ſe Torneamentis in Regno Franciæ immiſcere, lata in tales excommunicationis contempta ſententia præſumpſerunt, ſatis per alias tibi ſuper hoc directas litteras declaratur. Ex quibus potes aperte colligere, quod non abſque admiratione recepimus perſuaſionem & petitionem tuas de dicta ſententia revocanda, nec eis acquieſcendum putavimus, variis ad hoc in prædictis literis rationibus allegatis. Licet autem quo ad omnes, qui dictam ſententiam incurrerunt, per eaſdem literas duximus generaliter providendum; quia tamen in his conſideratio Cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Francorum illuſtris, qui ſecundum ea, quæ in quodam Torneamento, cui perſonaliter interfuit, feciſſe deſcribitur, niſi ſpeciali, quod nos ignoramus, privilegio excuſetur, videri poteſt prædicta ſententia involutus, eò nos ſingulárius afficit, quò ſingulariorem ad ipſum affectum gerimus, & de ipſius ſtatu ſpiritualiter, & temporaliter proſpero attentius nec immerito cogitamus, ei deſiderantes ſpiritualiter provideri, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, his quæ prædictæ noſtræ litteræ continent, aliiſque circumſtantiis, quas tibi revelaſſe credimus pleniorem facti notitiam, prudenter inſpectis, eundem Regem ſecreto conveniens, ſibique plenius qualitatem hujuſmodi ſuæ tranſgreſſionis aperiens, ſi eum inveneris dicta excommunicatione ligatum, ipſum paterne moneas, & inducas, ut humi-

humiliter ab illa publice poſtulet ſe abſolvi, tuque ſibi taliter poſtulanti, abſolutionis beneficium liberaliter ſecundum formam Eccleſiæ largiaris, injuncturus eidem, quod de cætero contra eandem ſententiam aliquid non attemptet; & quicquid ſuper his actum fuerit reſcripturus.

Datum Romæ apud S.Petrum x.Kal.Maii, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

XXX.

NIcolaus Epiſcopus &c. Venerabili fratri noſtro P. Archiepiſcopo Montis-Regalis.

Nuper te a vinculo quo tenebaris Eccleſiæ Reatinæ, cui præeras, abſolventes, ad Montis-Regalis Eccleſiam tunc vacantem de Fratrum noſtrorum conſilio duximus transferendum, præficientes te ipſi Montis-Regalis Eccleſiæ in Archiepiſcopum, & Paſtorem, tibi dantes licentiam ad eandem Montis-Regalis Eccleſiam libere tranſeundi. Verum quia Siciliæ Inſula, Eccleſiæ Romanæ ac hæredibus claræ memoriæ Caroli Siciliæ Regis jamdudum rebellis extitit, & adhuc in rebellione perſiſtit, propter quod univerſis Chriſti fidelibus eſt per Sedem Apoſtolicam cum Siculis, variis excommunicationum ſententiis innodatis, ſub certa forma commercium ſpecialiter interdictum, excommunicationis ſententia per Sedem ipſam in omnes cujuſcumque ſint præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, præſumentes contrarium, promulgata; tu dubitans

bitans ad dictam Montis-Regalis Eccleſiam in eadem Inſula conſtitutam nuncium deſtinare, præſertim cum ad Inſulam ipſam nuncios dirigentes, aut litteras, a dictis hæredibus facile poſſent de infidelitate notari; tu quoque apud ipſos, quos ſincero affectu proſequeris, quorumque promovendis utilitatibus multotiens vacaviſti, & libenter,ſicut aſſeris, conceſſa opportunitate vacares,omnem vitare deſideres ſuſpicionis etiam cujuslibet conjecturam; unde cum ad mittendum ad præfatam Eccleſiam commiſſæ tibi curæ ipſius neceſſitas urgeat, præmiſſa vero ſuadeant a nuntiorum, & literarum miſſione ceſſandum, petiiſti ſuper his de Sedis ejuſdem conſueta clementia provideri. Nos itaque in hujuſmodi pro licitatis articulo tuæ conſcientiæ puritati conſulere cupientes, fraternitati tuæ, ut præmiſſis non obſtantibus, tibi ad eandem Montis-Regalis Eccleſiam pro tuis, & ipſius negotiis proſequendis nuncios, & litteras deſtinare, ipſiſque nuntiis, illuc, dummodo ſe ad alia, quæ ſint eidem Eccleſiæ Romanæ, vel dictis hæredibus quoquomodo contraria, non convertant, accedere liceat, itaquod nec tu, nec ipſi propter hoc dictam ſententiam, vel infidelitatis cujuſcumque notam aliquam incurratis, liberam tenore præſentium concedimus facultatem.

Datum Tiburi III. Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

M. ANT.

AONII PALEARII

EPISTOLÆ XXV.

Digitized by Google

IN EPISTOLAS AONII PALEARII.

NIHIL cauſæ erat, cur ego tantum negotii ſuſciperem, quantum eſt res geſtas ſcribere hominum magna quidem doctrina, ſed in fortuna ſæpe miſera atque afflicta tenuiſſimorum; niſi in iis quæ ſunt ab aliis de ipſis narrata miram temporum perturbationem viderem; qualem in Aonii Palearii vita me arbitror deprehendiſſe; in ea quoque quam recenſitis viri docti operibus præmittendam duxit Frider. Andr. Hallbaverus [1]. Quamquam de illo ut aliquid dicerem (non enim juſtam vitam texere aut vacat, aut lubet) alia me cauſa, eaque, ut puto, graviſſima juſtiſſimaque non impulit modo, ſed prope coegit: quod ejus ſcilicet mors ſanctiſſimi Pontificis inclementiæ, atque aſperitati (ut mollius, quam ipſi faciunt, ego dicam) vulgo tribuitur. Quæ calumnia ab Heterodoxis hominibus, in quibus nihil habet admirationis tale aliquid de Romanis Pontificibus inveniri, neſcio quomodo, in noſtrorum, ideſt Catholicorum ſcripta pervaſit. Actus veluti quinque diſtinguere poſſumus Palearii vitæ; nimirum præter primam poſtremamque partem, pro locis in quibus ætatem egit, Senenſem, Lucenſem, Mediolanenſem commorationem.

§. I.

1. PAlearii prima tempora obſcuriſſima ſunt, atque ignorata penitus eſſent, niſi dictis ille aliquot ſuis paulułum aperuiſſet. Sunt vero præcipue quæ in epiſtolis de ſe prodit.

 Ait

[1] *Jenæ ex officina Chriſt. Franc. Buchii 1728.*

Ait ergo in his[1], ſe Philoſophiæ aliiſque ſeverioribus diſciplinis ante captam ab Hiſpanis Urbem, Romæ ſex annos vacaſſe; ea poſtea intermiſiſſe biennium; Roma diſcedentem Peruſiam primò veniſſe, ſed hinc continuo profectum Senas; hic ſive vicinis in locis cum habitaret, fundum emiſſe Cæcinianum; ac tum denique vinci ſe paſſum ab amicis uxorem duxiſſe cum quartum annum ageret & triceſimum; idque feciſſe eo anno, qui Jacobi Sadoleti iter habuit, & periculoſum in itinere morbum[2]. His Palearii dictis, filo veluti quodam uti poſſumus ad natalem ejus annum inveſtigandum, primaque ejuſdem tempora conſtituenda. Nam Sadoleti iter hoc, morbuſque incidit in A. MDXXXVIII. ut, cum de Sadoleto ageremus, oſtendimus; captam vero fuiſſe Urbem pridie Nonas Martii A. MDXXVII. nemo ignorat. Sequitur igitur, ut A. MDIII. aut ſequenti (placet tamen priorem eligere, ut alia conſtent quæ dicemus) natus ſit Palearius; præterea ut Romæ fuerit, & liberalibus diſciplinis vacaverit ab A. MDXXI. inde Senas ſe contulerit A. MDXXX. Cæcinianum autem emerit, atque uxorem duxerit A. MDXXXVIII. Sunt qui ſexennio dumtaxat Romanam Palearii commorationem definiunt, Bailius[3], Nicerohius[4], Grævius[5] ſive alius quivis auctor Præfationis in

Am-

1 *Epiſt. lib. 1. 4. p. 406. edit. Wetſtenii Amſt. 1696.* „ Mirum me deſiderium tenet Philoſophiæ, & eorum ſtudiorum, in quibus ante captam ab Hiſpanis Urbem ſex annos conſumpſeram: ea intermiſſa biennium cupio revocare „.

2 *ep. 7. p. 442.* „ Quamobrem cum in Hetruriam rediiſſem, & emiſſem Cæcinianum ... facile me vinci paſſus ſum ab amicis, qui ut ad uxorem animum appellerem cohortabantur. Etenim hæc ipſe mecum recta reputabam via. Nem habeo hic neminem neque cognatum, neque affinem, quartum annum ago & triceſimum „. *Ep. 8. p. 444.* Cum ſuperiore anno emiſſem villam, quæ fuit A. Cæcinæ &c. Sollicitus eſt enim, quod dixi vereri me, ne hoc labore itineris multorum dierum, ſi eum collegis profectus es, defatigere, quo minus valens ſis, quod Deus prohibeat, præſertim cum ſuperiore anno ægrotaveris, & purgationibus, & vi morbi non eſſes ſatis firmus „.

3 *Dict. V. Palearius.* 4 *Memoir. t. 16. p. 53.*

5 *edit. Wetſteniana 1696.* Grævium eſſe illum *pleriſque eſſe perſuaſum*, ait Hallbaverus *p. 11.*

Amſtelodamenſi editione Operum Palearii: credo, quod biennium illud, quo ſe ſtudia intermiſiſſe narravit, ſexennio comprehenderent. Verum & epiſtola illa Romæ data aliud ſignificat; & luculentum hujuſce rei extat teſtimonium Oratione III.[1] *Ego*, inquit, *P. C. anno tertio ab Urbe Roma ab Hiſpanis capta, cum omne Latium arſiſſet bello tetro & calamitoſo, & peſtilentia inopiaque frugum Hernici mei laborarent, & tribus ingentibus malis vaſtati agri, villæ ſuccenſæ, urbes aſſiduis funeribus hauſtæ eſſent, in Hetruriam veni: rebus enim integris acceperam, præſtantiſſimis artibus, & omnium diſciplinarum genere pulcherrime hanc Italiæ partem eſſe exornatam*. Temporibus ita conſtitutis, cetera quæ recte alii ponunt non perſequar longius. Parentes ipſe ſuos prodit in epitaphio, quod reſtituto ſepulcro apponi voluit[2], Matthæum Palearium, & Claram Janarillam cum ſororibus, Elyſa, Franciſca, Janilla. Patriam, *Verulani* titulus ſcriptis ejus præmiſſus oſtendit; Hernicum ſe a provincia ſæpius vocat[3]. Supellectilem præterea ſibi fuiſſe lautam, Bibliothecam non vulgarem, ſignificat; & paterna bona, domum, hortos, fundos, quæ, cum Roma, & e Latio vellet diſcedere, alienavit[4]. Empta domus eſt a Joanne Martello vetere amico, ad quem ſe dicit, *tantillum deductum a patre, qui incredibiliter lætari ſolebat, quod hominem comperiſſet, cui ſuos liberos tuto committere poſſet*[5].

2 Antequam Roma diſcederet, imo ante urbem captam epiſtolas ſcripſit nonnullas, ut primi libri alteram, in qua rumorem narrat increbreſcere, iras eſſe inter Clementem Pontificem, & Carolum Cæſarem. Quæ hanc conſequuntur, poſt Romanam cladem ſcriptæ ſunt, in quibus de ſua

 offen-

1 *p.* 75. 2 *l.* 1. *ep.* 9. *p.* 417. 3 *l.* 3. *ep.* 7. *l.* 1. *ep.* 8. *&c.*

4 *lib.* 1. *epiſt.* 12. Cupio alienare bona paterna, domus honeſtata eſt, ſucceſſore novo, de horto & fundis Corſinius tranſiget . . . . ſupellex nobis erat lauta, Bibliotheca non vulgaris ... 5 *ep.* 80.

offenſa apud Cæſarem [1], quod Indicem quemdam bene longum in Livii libros ex obſervatione Cathanei tranſcripſiſſet; de conſilio abeundi in alias terras, ubi litteræ excolantur; *Audio*, inquit [2], *in Hetruria florere bonas artes; nihil eſt quin recta proficiſcar Senas; niſi prius Peruſiam, quod Ennius meus ibi eſt pro Legato; valde cupio hominem viſere; nam me multum amat, & Philoſophi non ignobiles eſſe dicuntur*. De Ennio Philonardo loquitur hic Palearius. Cogitabat etiam Patavium, ubi ab Ariſtotele Græce ſcripta, Græce & Latine & ornate reddebat Joannes Lampridius. Profitetur etiam, ſi patrimonium amplum & copioſum habuiſſet, nihil ſibi fuiſſe prius, quam non modo Italiam, Gallias, Germaniam, ornatiſſimas Chriſtianorum provincias viſere, ſed & Græciam omnem, *in qua*, ait, *prope nullus pes eſt, qui in Turcæ non ſit poteſtate. Quid enim*, ut ſuperius dixit, *turpius, quam nos tam firma ætate Romæ ignavos, ſocordes, inexercitatos, inglorios ſedere in ocio?* Nec tamen ita ſedebat. Abſolutos prope a ſe fuiſſe commentarios in orationem M. Tullii, quod ad id faciendum magnis præmiis urgeretur a viro ampliſſimo, cui tamen vigilias ſuas conceſſerit, ibidem [3] narrat.

§. II.

3 ANno 1530., qui erat a Romana clade tertius, Urbe diſcedens Peruſiam venit, ubi ab Ennio Philonardo Verulanorum Antiſtite, atque ea in urbe Prolegato habuit omnia prompta & parata. Cupiebat, ut eum retineret Philonardus, in Collegium juvenum ſtudioſorum cooptari; renuit Palearius, ac maturrime abire inde voluit, Senaſque, quo deſtinaverat, venit [4]. Et Peruſiæ quidem erat XVI. Cal. Martias, quo die ait ſe Mauri Arcani litteras accepiſſe [5]; vene-

1 l.1. ep.3. 2 l.1. ep.4. 3 l.1. ep.5. 4 l.1. ep.9. 5 l.1. ep.5.

venerat vero Senas VI. Cal. Novembris, ut idem narrat[1] cum eleganti urbis, atque hominum ingeniorum, & ſtudiorum deſcriptione. Eam urbem diſcordiis ac factionibus afflictam reperit; abire ergo hinc quoque cogitabat: ſed omnibus rebus ad profectionem paratis, retentus eſt annum a Bartholomæo Carolo, & Bernardino Boninſigni[2], quos duos laudat optimos, atque illuſtri & præſtanti ingenio juvenes[3]. Interea cùm horum opibus ſe ſuſtentabat, tùm Cincii Phrygepanis, cui hæc Senis ſcribit[4]; *Cum in Hetruriam venimus, tantum pecuniæ nobiſcum attulimus, quantum tu liberalitate tua conceſſiſti: ſi veniſſes, nulla re egeremus*; fuerat ſcilicet juveni huic nobilitate atque ingenio præſtanti optimorum ſtudiorum Palearius ſuaſor & auctor; atque ipſe viciſſim Palearium juvabat. Itaque in eadem epiſtola Palearius; *Rationum noſtrarum es particeps, auctor ſtudiorum .... Eſt tuæ ingenuitatis, magnitudiniſque animi cogitare, quò nos promoveris, quid promiſeris, reminiſci*. Sequitur vero ibidem; *Liberalitate tua nobis opus eſt, ut quæ tibi gratiſſima & jucundiſſima ſunt ſtudia ſequamur; Bibliotheca Græca comparanda, Latini libri ſupplendi ſunt. Latinorum magna eſt caritas, Græcorum mira difficultas*. Ac de itinere ſuo Patavino; *Obſecro, ſi ſine te Patavium ſit eundum, ne ab omni-*

1 *Lib. 1. ep. 9.* „ Senas veni VI. cal. Novembris. Urbs eſt in amœniſſimis collibus poſita, fertilis, & copioſa omnium rerum; infecta partibus tamen, & factionibus prope enecta. Maxima pars nobilitatis per vicos & pagos diffuſa habitat, quæ altrix ubique ſolet eſſe liberalium artium .... Ingenia Senenſium ſunt aeria atque acuta, ſicut omnium Etruſcorum; mulieres egregia forma; Juvenes Academiis excitatis oblectant ſe ſcriptis vulgaribus; felicitas illa linguæ Tuſcæ hoc habet incommodi, ut avocet a Latina & Græca, quæ labore ſunt comparandæ; qui unus eſt hoſtis acerrimus ſtudiorum „.

2 Non *Bono*, ut eum appellat hic Hallbaverus, Tuſcorum ſcilicet cognominum ignarus, deceptus verò, ut opinor, a loco illo *ſub finem orat. 11. Quid me angis pietate iſta tua, vir Bono & virtute inſignis, Comes, & Dux ſtudiorum meorum?*

3 *orat. 3. pag. 76.* 4 *lib. 1. ep. 6.*

omnibus deſtituti videamur: cupiebat ſcilicet ipſe urbem videre, ut alio in loco ait [1], in qua Poetæ, Oratores, Philoſophi non ignobiles habitabant, & quò ſapientia in unam urbem commigraverat, veluti in aliquam domum, *in qua Pallas omnes artes docet*. Cupiebat etiam Roma Cincium abducere [2], atque in Hetruriam primum, deinde Patavium evocare, ac ejuſdem liberalitate ſumptus, qui neceſſarii erant facere. Cum tamen ille ad has litteras non reſpondiſſet, lentiuſque ageret, verſuram fecit Aonius, prædiaque, & domum per Pterigem familiarem ſuum, & Franciſcum Corſinium vendidit. Id litteris poſtea acceptis, eidem ſignificavit [3]. Nec tamen venerat, cum diem conſtituit Palearius diſceſſus ſui VI. Calendas Octobris [4]. Iter hoc peregiſſe, & Patavii fuiſſe, anno credo elapſo, quo a Carolo, & Boninſigni retentus fuerat, cùm ex ipſius litteris conſtat [5], tùm ex aliis Bartholomæi Riccii [6], in quibus poſtremis hoc invenio eſſe ſcriptum Aonio; *Ego te ſemel allocutus, ſum cum Patavii agebas; continuo enim poſtea ipſe alio revocatus ſum, tu vero in patriam rediiſti, ut ne iterum quidem congrediendi copia eſſet*. Atque hinc colliges, & A. 1533. aut 1534. (quo Patavio exceſſiſſe Riccium narrant ejus vitæ Scriptores Cll. Emaldus, & Dandinus [7]) fuiſſe Aonium, & in patriam remigraſſe. Senas tamen cito rediit: nam Senis ſcribit Bembo [8] ſuppud re ſe, quod annum jam abſentem nihil ad eum dederit litterarum. Cum tamen nihil, quod volebat, profeciſſet, rediit Patavium, quo etiam Bembus [9] eundem revocaverat. Habemus id ex alia epiſtola ad Sadoletum ſcripta Patavio [10], in qua ſe ei libros ſuos de animorum immortalitate miſiſſe ſignificat; reſpondet vero Sadoletus litteris datis VI Cal. Junii

1 *l.* 1. *ep.* 8. 2 *V. lib.* 1. *ep.* 12. 3 *l.* 1. *ep.* 8. 4 *l.* 1. *ep.* 12.
5 *V. l.* 1. *ep.* 14. 15. 6 *Ricc. ep. l.* 5. *ep.* 8. *edit. Comin.* 1748.
7 *in V. oper. præm.* 8 *l.* 1. *ep.* 15. 9 *ep.* 16. 10 *l.* 2. 1.

Junii 1536.[1] De quibus Sadoleti litteris animadverto obiter, bis poſitas eſſe in epiſtolarum Aonianarum collectione; nec vero id errati in Amſtelodamenſi editione commiſſum, correctum eſſe in Jenenſi [2]. Patavii Aonius Benedictum Lampridium audivit; itaque de eo ſcribit Bernardino Maffeo; *De Lampridio noſtro puto te audiviſſe ex aliis, quanta cum laude proximis menſibus Demoſthenis orationes nobis explicarit; agebat enim omnes illos Senatores, quos ille nominat, ipſum vero Demoſthenem eo geſtu, eo vultu, ea vocis conformatione vehementem, plenum ſpiritus, plenum animi, vocibus ſonantem, ut fieri nihil poſſet pulchrius. Quam vellem nobiſcum, mi Maffæe, fuiſſes; ſcio ego, te omnem iſtam urbis magnificentiam, & popularem gloriam cum una Lampridii interpretatiuncula non fuiſſe collaturum* [3]. Ad ipſum vero Lampridium nonnullæ extant Palearii litteræ; ut liqueat fuiſſe conjunctiſſimos. Atque hic non omittam de Lampridio errorem coarguere Hiſtoricorum [4], qui mortuum ajunt A. 1540. Atqui illi ſcribit Palearius nunciatque [5], Polum legatum eſſe Tridentum, conventum vero a ſe cum ejus comitibus Florentiæ. Poli legatio incidit primo in A. 1542. iterumque in A. 1545.[6] Error ex eo ortus, quod a Friderico Gonzaga Mantuam accitus, ut ſeptenni filio Magiſter eſſet, diem obiit paulo poſtquam Mantuam perveniſſet, ut in ejus tumulo dicitur apud Jovium [7]. Mortuus vero Fridericus ſeptenni filio relicto A. 1740. Sed neceſſe eſt dicere (ſi recte illa de Gonzaga poſita ſunt) paulo grandiorem puerum fuiſſe, & ab alio, quam a Friderico accerſitum. Redeo ad Palearium, qui non ſolum Florentiæ fuit, ſed Romæ quoque his annis, ut litteræ teſtantur Roma ab eodem datæ [8]. Atque ex iiſdem colli-

1 *l. 5. ep. Sadoleti ep. 15.* 2 *V. Amſtelodam. edit. p. 434. & 562. Jenenſem 479. & 624.* 3 *l. 1. ep. 19.* 4 Baillet Jugemens *p. 4. n. 107.* 5 *l. 1. ep. 17.* 6 *Pallavicin. Hiſt. C. Tr. l. 5. c. 1. & 8.* Spondan. ad h. a. 7 *Elog. viror. litt. illuſtr. p. 118. edit. Baſil. 1577.* 8 *l. 3. ep. 7. 9. &c.*

colligitur, in vicina Senarum loca Argianum, Areolæ Arcem, quæ Bellantis ipſius amici loca erant, ſæpius divertiſſe; multum etiam vixiſſe in municipio Collino. Senis erat a. 1538. unde ſcribit Antonio Philonardo, Epiſcopatum ab eo adeptum gratulatus [1]: item a. 1542. litteras mittens Franciſco Corſinio, eo nimirum tempore, quo [2] *claſſis illa barbarorum prædonum, quæ omnem prope Europam perluſtravit, in Senenſium fines converſa occupavit eorum portus, oramque maritimam*. Adnotanda hæc fuerunt, quod ad hujuſmodi tempora recte ponenda neceſſaria omnino ſint.

4. Orationes habemus duas Senis habitas a Paleario, primam pro Antonio Bellante, cum is cauſam dicere cogeretur, quod ejus cliens ex oppido, quod Colonia dicitur, devexiſſet in Argianum, Bellantis prædium, Salis cados duos, mulio pariter ex Argiano in Urbem cados tres: erat vero lex Salaria, ne quis invitis imprudentibuſque Salinatoribus, ſeu præfectis, ex municipiis in prædia, neque e prædiis in caſtra, aut in Urbem ſal aſportaret, conſtituta in eos, qui contra feciſſent, bonorum mulctatione, & capitis pœna [3]. Ex hac defenſione in ſe civium animos concitatos Palearius conqueritur in altera oratione, quam habuit pro ſe ipſo; cum ſcilicet multi de eo rumores ſpargerentur, qui eum deſciviſſe a fidei Chriſtianæ ſinceritate, & cum Germanis heterodoxis hominibus conſentire criminabantur. Habitæ hujus orationis tempus idem patefacit, decennio ab acta cauſa Bellantiana, ſeptennio [4] poſtquam juvenes eloquentiæ ſtudiis cœperat inſtituere; quæ tamen inſtitutio

1 *lib. 2. ep. 17. V. Ughell. in Verulan. Epiſc. tom. 1.* 2 *lib. 3. ep. 16.*

3. *Orat. 2. pag. 56.* 4 *Pag. 97.* „Quid tanto numero juvenes eruditi, & eloquentes in Senatum veniſtis? veluti accuſaturi eos, quorum opera jam ſunt annum intermiſſa a vobis ſunt ſpatia litterarum? . . . Deprecantur hi vos, P.C., & obteſtantur per fortunas, per liberos veſtros, ut cujus monitis, & præceptis ſeptem annos ſecuti ſunt ſtudia liberalium artium, ejus vos exiſtimationem, & dignitatem a diſciplinarum hoſtibus defendatis.

tio annum jam intermiſſa erat. Sed eſt unde etiam idem tempus aucupemur; ex eo ſcilicet, quod initio orationis atque alibi Franciſcum Sfondratum compellat urbis Præfectum [1]. Præfectus Senarum factus eſt Sfondratus anno 1541., aut eo, qui hunc proxime conſequitur [2]; Epiſcopus vero Sarnenſis die 2. Octobris 1543. [3]. Medio hoc tempore habitam orationem arbitror. Si annum eligimus 1541. aut 1542. ſeptem annos continuos, qui us litteras Senis docuerit, non inveniemus: anno enim uno ceſſavit Palearius ante hanc orationem. Ergo detrudimur ad an. 1543. ita ut ſcholam habere cœperit continuo ac Patavio Senas rediit a. 1536.: eodemque anno egerit cauſam Bellantianam. Hujus quod dixi temporis habitæ orationis ad ſe defendendum, hanc habeo conjecturam, ut opinor, non contemnendam, petitam a Bernardini Ochini fuga: eum enim hominem intelligere, cum Bernardinum Ocellum nominat, plane mihi eſt perſuaſum; jam vero de eo ait [4]; *Bernardinus Ocellus vir dura il a ac horrida vita, admirabili illa abſtinentia iſtis ipſis diebus accuſatus, quod vos non valde erectos videret ad ſe defendendum, & ſuſtentandum, de fuga conſilium cœpit: nunc civis veſter Italia omni ..... expulſus, & ejectus, in remotiſſimis ab Hetruria noſtra locis vagatur ſolus, & peregrinus*. Fugam vero hominis illam conſignant Annales [5] a. 1542. Atque hinc nimirum videas, verum fuiſſe crimen Paleario impactum, hæreticis hominibus, atque iis, qui novas in religione res molirentur, addictum fuiſſe; Ochinus enim, etſi multos antea feſelliſſet, poſt fugam tamen, a bonis omnibus reprehenſus deſertuſque eſt: neque hoc non vidit Palearius. Itaque de eo Sadoleto ſcripſit; Sadoletus vero hic quoque temperantia uſus eſt illa, quæ in hominum etiam graviſſimorum offenſionem incurrit. Alia etiam ex eadem oratione, de

1 *p. 71. 93.* 2 *V. Malavolt. Hiſt. part. 3. pag. 142. &c.*
3 *V. Ughell. tom. 1.* 4 *pag. 91.* 5 Boverius ad a. 1542.

de quibus ſe purgare conatur, contra eum elicias. Unum hic ponam dumtaxat; librum a Paleario ſcriptum eſſe *de beneficio Chriſti* [1], quem male, ut ego quidem arbitror, inter opera Palearii deperdita recenſet *num.* xv. Hallbaver., & tantopere deſiderat Grævius. Impia habuiſſe hunc librum multa, ex eo liquet, quod jamdiu relatus eſt in eorum indicem, quorum lectio eſt Chriſtianis hominibus interdicta [2], & *Lutheranus liber* vocatur in ejuſdem refutatione ab Ambroſio Catharino Polito inſtituta [3]. Ceterum non ſolum apud Sfondratum, ſed etiam apud Archiepiſcopum Senarum Franciſcum Bandinum cauſam dicere coactus eſt. Eum judicem ſibi futurum Pterigi ſcripſit [4]; idque cum in Galliam legatus Sadoletus proficiſceretur, ideſt a. 1542. Antea ergo id factum eſt. Et illud quidem judicium, atque hunc judicem ſubindicat, cum *Antiſtitem*, cum *Præfectum ſacrorum* nominat; cum narrat, teſtium mendaciis ſe vidiſſe conſperſa omnia; itaque petiiſſe, ut quæ teſtes dediſſent, ea coram potius ſe præſente dicerent, coactos non fuiſſe; adeoque capitis prope fuiſſe condemnatum; tandem vero abſolutum [5]. Extat etiam ejuſdem Aonii epiſtola [6] Thomæ ſacri Palatii Magiſtro (is eſt Thomas Manrique, qui in eo munere ſucceſſerat Danieli de Crema [7]) cum ſuſpicaretur, ut ad eum quoque ab inimicis deferretur ſuum nomen; & accuſationis caput

1 *Orat.* 3. *pag.* 90. „ Sunt enim homines acerbi, duri, crimineſi, apud quos ne parens quidem, & Deus ſalutis noſtræ Chriſtus, omnium gentium, omnium populorum rex, omni ex parte laudari poteſt; cujus ex morte quanta commoda allata ſint humano generi, cum hoc ipſo anno Thuſce ſcripſiſſem, objectum fuit in accuſatione „.

2 Index libr. prohibit. Pauli IV. Pii IV. &c. V. etiam Indicem librorum Italice Scriptorum in fin. Ind. Clementis VIII. a. 1591. *pag.* 50.

3 „ Compendio d'errori, & inganni Luterani di un libretto intitolato Trattato utiliſſimo del beneficio di Criſto Crocifiſſo, e contra due altri libretti e una lettera dell' Ochino al Magiſtrato di Balia di Siena, ſcritto da Ambrogio Caterino Politi. In Roma per Girolamo de' Cartolari 1544. 4 *lib* 3. *ep.* 8.

5 *pag.* 93. 6 *lib.* 3. *ep.* 10. 7 *V. Echard. tom.* 2. *pag.* 229.

put demonſtrat. Scripſit hanc cum Roma rediret [1], eo anno; quem diximus 1542; qui quidem annus is eſt, quo intermiſſam eſſe juvenum in litteris inſtitutionem dixit. Cum vero in litteris ad Thomam commemoret Apologiam quamdam ſuam, cujus exempla, exceptis tribus, ut inimico ſuo reconciliaretur, combuſſit, patet ab oratione, quæ nunc extat, & ſcripta poſtea eſt, eſſe diverſam; ut male utramque confuderit Hallbaverus [2], aliique nonnulli.

5. *Propoſitis a Senenſi Rep. honeſtis præmiis factum eſſe Latinarum ac Græcarum litterarum Doctorem publicum*, affirmant verbis ferme iiſdem Grævius, & Hallbaverus [3]. Verum id ego doceri productis argumentis velim. Cur dubitem, hæc ſunt; quamquam ſe juvenibus erudiendis operam contuliſſe ſignificat, eoſque monitis ſuis atque præceptis ſeptem annos ſecutos eſſe ſtudia liberalium artium; tamen de publica hac profeſſione nulla in ejus epiſtolis vox eſt, nullam orationem ſive prælectionem, qualia iſtius muneris eſſe ſolent (& Palearii Lucenſes, & Mediolanenſes extant) habemus. Contra vero, ſeptem illis annis elapſis, cum pro ſe diceret, adverſarium interrogat; an poſt cauſam Bellantiam [4] dictum a ſe aliquid, aut ſcriptum proferre poſſit? Quod quidem fieri ab eo non potuit, ſi publicas prælectiones habuiſſet. Præterea cum docendi munus peteret, repulſam tuliſſe cum ipſe, tum amici ejus teſtantur [5]; liquet vero tum petiviſſe, cum ſeptem ipſos annos privatæ, ut ego arbitror inſtitutionis exegerat; publicus vero Magiſter fuerat ejus inimicus, quem Machum Blateronem appellat. Nam Antonio Placido ſcribenti de repulſa ita reſpondet [6]; *Noli enim putare, me jam inde a principio non prævidiſſe rei totius exitum, qui inſcitiam hominum, qui factiones, qui inconſtantiam probe noſſem... An Machi Blateronis infantia, cujus perbelle ab Aretino fabula ſcri-*

1 *lib.3. ep.9.* 2 *num. 19.* 3 *num. 6.* 4 *pag. 85.*
5 *lib.3. ep.14.* 6 *lib.3. ep.14.*

ſcripta eſt, ferri decennium potuiſſet, ſi inter primarios ſenes aliqui extitiſſent amatores Latinitatis? Hercle cum iſtud mihi in mentem venit, incipio vereri, te, & Salluſtium, & Fauſtum noſtros minus fore gratioſos apud barbatulos iſtos, quod vos vel quaſi perduelliones, vel perfugas habeant, qui ab eorum caſtris profugeritis, & elegans purumque dicendi genus ſecuti, rejeciſtis ſordidum, & vitioſum. Atque his poſtremis verbis indicari mihi videtur aperte, a Blateronis ſchola hos veniſſe ad Palearium. Blateronem vero decreto publico docuiſſe, ſuperiora omnino declarant. Addas, quæ repulſam paſſus cum Antonio Placido conqueritur [1]; *nos ſemper vel præteriti ſumus, vel oppugnati*. Quid plura? Teſtatus nobis eſt vir nobiliſſimus eruditiſſimuſque eques Jo. Antonius Peccius, ſe diligentiſſime evolutis Patriæ faſtis, in quos nomina Profeſſorum relata ſunt, Palearii nomen invenire nunquam potuiſſe. Non omittam hic dicere de illa Aretini fabula. Hanc de Blaterone actam, alibi etiam Palearius narrat [2]. Sed quænam ſit ex illis, quæ extant Aretini quinque, difficile eſt dijudicare, etiam utrum extet [3], aut quando acta. Eo tempore ſuſpicor, quod hoc noſtrum multo præceſſit; quando nimirum Venetiis fuit, unde ad Foſſas Claudias oppidum, quod vulgo nunc *Chiozza* appellatur; inde videtur Senas; Senis dejectus a petitione ſua, ſive, ut Aonius ait [4], lucri cupiditate Lucam *quaſi aliquis magnus Rhetor* venit. Palearius poſtquam repulſam paſſus eſt, quantum ex ejus epiſtolis conjicere poſſum, nunquam ferme Senis, ſed aut in municipio Collino, aut in Argiano Bellantis, aut in arce Areolæ conſedit; donec invitatus a Lucenſibus in eorum ſe urbem contulit.

§. III.

1 *lib.3.ep.25.* 2 *lib.3.ep.27.pag.499.* 3 V. vitam Petri Aretini a Cl. Mazzucchello ſcriptam *pag.325.&c.* 4 *lib.3.ep.27.*

§ III.

6. Lucam veniſſe A. MDXLVI. aut ſequenti, neceſſe eſt ponere: nam Bembo, & Sadoleto petentibus, ſive eum commendantibus venit. In altera vero oratione, quam Palearius Lucæ habuit, ſunt hæc ab eodem dicta: *An neſcitis, ab eloquentiſſimo, & ornatiſſimo viro Petro Bembo, qui ſuperioribus diebus triſte ſui bonis omnibus deſiderium reliquit, quem mortuum etiam honoris cauſa nomino, hiſtoriam eſſe ſcriptam de rebus Venetis?* Obiit autem Bembus XV. Kal. Febr. A. MDXLVII. & eodem anno XV. Kal. Novembr. Sadoletus. Atque oratio illa altero, quam Lucam acceſſerat, anno habita videtur. Cum enim dicit, *ſuperioribus diebus* eſſe Bembum mortuum, ſatis ſignificat, parvum admodum ab ejus morte ſpatium interceſſiſſe: non ergo fieri potuit, ut eodem anno primam orationem haberet. Quid? quod idem numerus orationum declarat. Cum enim bis ſingulis annis [1] ei dicendum eſſet, quinquennium hoc inſtitutum tenuit; orationes vero habuit novem. Quinquennium Lucæ dixiſſe, idem diſerte teſtatur, ita orſus orationem de Felicitate [2]; *Acceſſit, P. C., quintus annus muneri meo, in quo dies hic mihi apud vos finem dicendi affert, idemque iis abſolutis, quæ reſtabant, initium quieſcendi.* Tunc munus docendi depoſuiſſe animadvertit Hallbaverus. Quamquam ſi verba ſcrutemur, non docendi, ſed dicendi, ut ajebam, munere ſe abdicavit. Invitatus enim fuerat ante quinquennium, ut in novorum Tribunorum delectu verba faceret, vel laudando, vel docendo aliquid, quod civibus, & Reip. felix eſſet, & ſalutare [3]. Ita ergo poſtrema hac oratione Senatum alloquitur, ubi dixit nullum ſuaviorem cibum eſſe animis, quam contemplationem rerum divina-

1 *Orat. 5. pag. 117.* 2 *Orat. 12. pag. 167.* 3 *Orat. 5. pag. 118.*

vinarum ; *Cujus ita me, P. C., deſiderium tenet, ut jam plane ardeam, & contineri non poſſim, quin rogem vos in conſpectu populi Lucenſis, loco, & ad petendum, & ad impetrandum aptiſſimo, ut maturiore jam ætate mihi, bona cum venia veſtra, liceat deponere hoc onus dicendi, quod melius ſuſcipere ac ferre poſſunt, qui hoc tempore apud vos ingenio, & ætate maxime florent*. Cum tamen addat ; *quo ego illud proſequar, ad quod jam non populus Lucenſis, ſed tu me vocas* (Deum ſcilicet compellans) : *cui ego hos, qui me tam amanter quinquennium aluerunt, & ſuſtentarunt, commendabo* ? Utrumque feciſſe puto, ut & Latinæ ac Græcæ interpretationis, itemque dicendi munus deponeret. Itaque egit de Pagano Paganio ad id evocando [1]. Ipſe vero hoc onere ſolutus Piſæ fuit [2] in Pancratiano Arnulphini [3]. Cæcinianum etiam ſuum, & municipium Collinum, arbitror videre voluiſſe ; nam de eo extant litteræ Pterigi Gallo familiari ſuo [4] ; in quibus conqueritur cœli illius gravitatem ferre non poſſe, amiſiſſe bonam valetudinem, quotidie ægrotare magis, neque inedia, neque purgationibus levari : quibus quidem malis mœrorem quemdam acceſſiſſe ait prope continuum, vel ægritudine ipſa, in quam vis morbi converſa eſt, *vel*, inquit, *quod optimos, & amiciſſimos viros, qui proximis ſuperioribus annis interierunt, Sadoletum, Bembum, Flaminium, Sfondratum deſidero* ? Obiiſſe M. Flaminium A. 1550. aut proximo 1551. poſuerat Bailletus [5], ſed primum annum eidem fuiſſe fatalem XII. Kal. Martii Franciſcus Mancurtus [6] decernit ; atque eodem deceſſiſſe Franciſcum Sfondratum ex ejus epitaphio conſtat [7]. Hæc cauſa relinquendi muneris illius fuit : Acceſſit altera, ſive eadem potius, ex nimio, quo frangebatur, ingratoque labore. Hoc ille teſtatur ſcribens Bartholomæo Riccio ;

1 *V. lib. IV. ep. 14. 15. 16.* 2 *V. ep. 14. lib. 4.* 3 *ep. 13.*
4 *lib. 4. ep. 28.* 5 *Jugem. num. 1807.* 6 *In V. præmiſſa edit. Carmin. Flamin. Cominian. 1727.* 7 *ap. Argelat. Bibl. Mediol. to. 2. col. 1263. & Ciaconium tom. 3. col. 701.*

cio[1]; *Moriar*, inquit, *ſi non me angunt putidiſſimæ Interpretationes meæ ſive Græcæ, ſive Latinæ, in quas veluti in piſtrinum detruſi me, non tam imprudentia, quam neceſſitate. Ego enim, ut ex meis ſtudiis noſſe potuiſti, ſemper judicavi obſcurum, & ſordidum iis, quorum ingenio aliquid fieri poteſt illuſtrius, ſi interpretandis ſcriptis aliorum humiles ac demiſſi, quaſi ſervitia ancillentur. Sed cum mihi res domi eſſet anguſta, uxor lauta, liberi ſplendidi, & propterea magnos ſumptus facerem, mancipavi prope me iis ſtudiis, a quibus ſemper abhorrui: nam cum Lucenſes homines honeſtiſſimi propoſitis præmiis invitarent me ſingulorum dierum unius horæ uſura ad interpretandum, accepi conditionem duram mihi, & aſperam, & vero etiam odioſam. Dicendum eſt enim quotidie, & ex tempore, quod in primis eſt ſophiſtæ: id ne faciam, ſumo mihi ſemper aliquid temporis ad meditandum, in qua re plurimum noctes me adjuvant. Cum tamen inopiam, & jejunitatem interpretum non probem, & multa e penu locupletiſſimo Græcorum petenda eſſe ducam; quicquid diei reliquum eſt, in Scriptoribus Græcis legendis tero.* Non male tamen, aut ſine fructu operam ſuam collocavit. Itaque gloriatur[2]; cum eloquentia ſuo veluti regno pulſa jaceret in ſitu, & ſqualore; atque ea caligo perſtrinxiſſet mentes hominum, ut qui pejus dicerent, melius loqui putarentur; qui obſcurius, litteratius quam ceteri; hæc verò peſtis late graſſata cùm reliquas Italiæ urbes, tùm Lucenſem quoque invaſiſſet; poſtquam ſtudiorum tota ratione mutata S. C. factum eſt, ut ipſe accerſeretur; *Ego*, inquit, *vocatus conſilio, hortatu, monitu civium veſtrorum, primus in hac urbe barbarorum clauſtra fregi, obſeſſos circumvallatoſque adoleſcentes eduxi, & veluti e teterrimo carcere liberavi; declamavi totos dies domi, in ludo, ante curiam, utinam licuiſſet in Senatu.* Dolet tamen poſtea ſibi non relatam gratiam;

1 lib.4. ep.4. pag.508. 2 Orat.8. pag.141.

tiam ; & cum iterum de eo ageretur, an in eo munere eſſet retinendus biennio elapſo, repulſam tuliſſe: licet poſtea, ut idem narrat [1], frequentes Senatores graviſſimi, & ampliſſimi viri ſumma contentione, incredibili ſtudio, ardentiſſimis animis egerunt ejus cauſam, cum commendatione etiam inſtituti, vitæ, morumque illius: itaque eorum opera prorogatum eſt in annos tres, ut ſcribit Franciſco Corſino [2]. Hac eadem epiſtola cum invitaretur ab amico, ut Hernicos ſuos reviſeret; æſtivis feriis id poſſe a ſe fieri dicit. Agit etiam de orationum ſuarum editione; quam credo ad id uſque tempus diſtuliſſe, cum occupatione muneris illius publici elapſo quinquennio ſolutus eſt. Extant enim *Epiſtolarum libri* IV. *Orationes, & de animorum immortalitate libri tres* Lugduni a Gryphio edita A. 1552. Antea orationem in Murenam miſerat Andreæ Alciato [3]: mortuus eſt enim Alciatus Prid. Id. Jan. A. 1550. Itaque cum Paleario conqueritur Riccius, quod ſe de ea celaverit [4] eidem ſcribens A. 1552.

7. Ad hunc annum non Lucæ quidem continenter manſiſſe, ex Hetruria tamen non ferme exceſſiſſe, autumo. Ex Hetruria enim evocatus eſt Mediolanum [5] anno, ut dicemus, 1555. Hoc vero tempore, quo Lucæ erat, periculoſo morbo ejus uxor ægrotavit, qui morbus occaſionem præbuit elegantiſſimo epigrammati, quod in epiſtola quadam legitur [6]. Non omittam dicere, quanta Palearius hoc tempore litterarum laude floreret. Nam, ut eos prætercam, qui illius amicitiam impenſe coluerunt, datiſque litteris ambitioſius appetere viſi ſunt (quod ex epiſtolis ipſorum, & Palearii cognoſcere licet) unus legatur Riccius in litteris Alberto Lollio ſcriptis [7], ubi *mirificum Scriptorem*

1 *Ibid.* 2 *lib.4. epiſt. 20.* 3 *V. epiſt. lib. 4. 21. 22.* 4 *lib. 5. ep. 8.*
5 In diplomate quo immunitates ei conceduntur edito poſt Præfat.
6 *lib. 4. ep. 25.* 7 *lib. 4. ep. 25.* Riccii.

rem appellat; nec Bembo & Navagerio (quibus hominibus!) æquat modo, ſed anteponit. Lollius vero ipſe, ſcriptor in paucis (præcipue Tuſco ſermone exaratis operibus) elegantiſſimus, Hetruſcæ linguæ laudationem, Aonio noſtro dedicavit, admiratione nimirum ejus ingenii, cum haberet ceteroquin complures, quibus eam inſcribere poſſet. Edita eſt ea oratio ſeparatim A. 1555.[1]; id vero Aonio Riccius jampridem ſignificaverat[2], cum Romulus Amaſeus, & Lazarus Bonamicus duo bonarum artium ſplendidiſſima lumina nuper extincta eſſent, ideſt A. 1552.[3]

§. IV.

8. MEdiolanum accitus eſt Palearius *per litteras publicas, optimi etiam maximi regis nomine*, ut idem oratione, quam continuo habuit, narravit[4]: intelligit autem Philippum II. Caroli V. filium; ſubjicit enim poſtea[5]; *Video P. C. civitatem veſtram a prudentiſſimo, & ſapientiſſimo Imperatore Carolo V. Cæſare Aug. delectam atque aſſignatam Philippo filio ſuo Regi, pio, forti, ac felici, quaſi firmamentum, & columen regnorum, quæ multa ac ingentia pater illi, & fors fortuna, vel ut melius dicam Deus conceſſit*. Habuit hanc orationem, ut ipſe filiis ſuis ſcribit[6], IV. Kal. Novembr., cum Mediolanum veniſſet XVI. Kal. Novembr. Hæc cum legerem, arbitrabar poſt annum 1555. Palearium ad hanc urbem acceſſiſſe; non enim animadverteram, quod ex paullo antiquioribus Scriptoribus docent Thuanus[7], & Muratorius[8], antequam cetera regna Carolus filio concede-

1 Venetiis apud Simonem Bordogna in 4. 2 *lib. 5. epiſt. 9.*

3 Unde & Thuanus refutatur, qui mortem Amaſei conſignat A. 1558. Nam de tempore obitus Bonamici conſtat ex Epitaphio Patavii poſito.

4 *Orat. 13. pag.* 176. 5 *pag.* 180. 6 *lib. 4. ep.* 30. 7 *ad A.* 1554. *tom. 1. pag. 469. edit. Londin. A.* 1738. 8 *in Ann. Ital. ad A.* 1554.

ret, Mediolanum ei tradidiſſe; quod hic quoque, Mediolanenſis urbis laudi deputans innuit Palearius. Itaque illud extremo anno 1555. factum eſt, hoc anno 1554. Rem tamen decidit, tempuſque aperte ſignificat, quo Mediolanenſem ſcholam accepit, Riccius eidem Paleario ſcribens [1], eodem momento eſſe, quod Aonio gratuletur, & ſecum doleat: quod Mediolanenſi publicæ ſcholæ ille delectus ſit, gratulationem poſtulare; quod verò id ei Majoragii obitu ſucceſſerit, magnum dolorem afferre. Scripta eſt epiſtola Kalendis Januariis A. 1556. deceſſeratque Majoragius Prid. Non. April. A. 1555. Dubitari ergo non poteſt, quin hic idem annus Mediolanum ad publicam Scriptorum Græcorum Latinorumque interpretationem adduxerit Palearium. Quam ibi ſit honorifice ſuſceptus narrat filiis ſuis [2]: *Mediolanum veni* XVI. *Kal. Novembr. Aſpectus urbis ita mihi placuit, ut niſi me vos, chariſſima pignora, arctiſſime teneretis, facile poſſem capi, & Hetruriæ oblivíſci..... Craſſus nos amantiſſime accepit, apud quem adhuc ſumus: ejus conſilio freti Senatores omnes domum ſingillatim viſimus, & ſalutavimus; qui me contra perhumaniter ſunt complexi, & honorifice reſalutarunt: magni heroes. Ante diem* IV. *Kal. orationem habui in templo Virginis a Scala frequentiſſimo Senatu, Præſidibus, Prætoribus, Tribunis ærariis, omnibus denique ordinibus adhibitis, advocatis Collegiis Juriſperitorum, & Philoſophorum. Tantus fuit concurſus civium, ut non modo in templo, ſed in compitis ac viis, quibus ſex in ædem itur, anguſtiſſime ſtaretur: poſtridie ejus diei deductus ſum in gymnaſium publicum &c.* In oratione verò, quam habitam ab eo diximus, narrat; cum ſtipendia ampla atque magnifica conſtituta eſſent interpreti publico Græcæ, & Latinæ linguæ, Mediolanenſes ne rogatos quidem ſibi ea auxiſſe, & rationem habuiſſe itineris, rerumque ſuarum, ut

1 *lib.* 5. *ep.* 11. 2 *lib.* 4. *ep.* 30.

ut commodiſſime ad illos veniret,nihilque ſibi deeſſet, quominus diligenter delatum aſſignatumque munus exſequi, & explere poſſet. Hoc illi opportuniſſimum accidit: premebatur enim anguſtiis rei familiaris. Itaque filiis ſcribit; illis unum a ſe patrimonium eſſe virtutem, & ſtudium litterarum, additque [1]: *Fortunæ exiguæ noſtræ ſunt, prædiola amœna potius quam fructuoſa, quæ afflicta bello Senenſi proximo ſine pecore vix familiam alunt: vectigal oppidanum duplicatum eſt, tributum ſæpe imperatur majus, quam vires noſtræ ferant; quo loco res ſit, videtis*: ac de dote etiam paranda eorum ſororibus, cùm jam grandiuſculæ ſint, ſe ſolicitum oſtendit; ſpondetque, ſe aliquid de ſtipendio ſuo corraſurum, quamquam hoc male habeat, & diuturnitas belli Gallici efficiat omnia duriora. His litteris *proximum bellum Senenſe* indigitat, quod præcipue A.1554. exarſit: poſtremum vero illud de ſtipendio ſuo magis explicat in litteris ad Luiſinum [2] A. 1560. datis; in quibus cum leges, exiguam mercedem in annum ſibi propoſitam, in ea exigenda tantum eſſe exſudandum laborem, ut eum jam vitæ tædeat; mirum erit, ſi ſibi conſtare Palearium arbitreris. Sed rem omnem explicat epiſtola noſtra, quam vulgamus, Bruto ſcripta anno, ut ibidem obſervamus, 1559., cùm ſuperiore ad Luiſinum illa ſcripta ſit, quando ſcilicet nondum immunitates acceperat, quæ demum illo 1559. collatæ fuerunt [3]. Atque ex litteris pariter noſtris conſtat, annuum primò fuiſſe hoc munus, deinde in triennium prorogatum. Sex annos fuiſſe Mediolani, ſcribit Hallbaverus: Sed manifeſto tenetur ex litteris noſtris, ubi decennium jam fluxiſſe ab adventu ſuo in eam urbem ipſe affirmat. Sunt etiam in iis multa, quæ hanc vitæ Aonii partem illuſtrare poſſunt.

1 *Ibid.*

§. V.

9. RESTAT poſtremus ejuſdem vitæ actus, iſque, ut in Tragœdiis eſſe ſolet, acerbus ac luctuoſus. Mediolani cum eſſet, & commiſſo ſibi munere ſtrenue fungeretur, etſi, ut idem ait [1], ætate confectus, & infirmiſſima valetudine, Romam venire juſſus eſt, ut cauſam diceret violatæ religionis. Edictum propoſitum dicitur *litteris Reverendiſſimi Domini Cardinalis a Piſa*: quod ego interpretor de Franciſco Piſano Cardinali Veneto, Epiſcopo Oſtienſi, & ſacri Collegii Decano [2]: non enim video, cui præterea his temporibus illud nomen convenire poſſit. Romam cum veniſſet, fuiſſetque ejus cauſa acta, capitis damnatum Palearium, nemo ignorat. Quando vero id acciderit, nondum fuit exploratum. Qui *Actionem ejus in Pontifices Romanos*, impium ſane & deteſtabile opus, vulgavit, non quidem ſupplicio affectum (ut Niceronus huic ipſi Scriptori imputat) ſed *captum* affirmat anno circiter MDLVIII., idque ſe ait ex ejus ipſius amico quodam homine didiciſſe. Sed quod factum Pio V. Pontifice fuit, fieri eo anno non potuit. Nec tamen arbitror, non aliquid in narratione elucere veri, modo numeri reſtituantur, & pro MDLVIII. (quod fieri facile potuit detrita X.) legatur MDLXVIII. Etenim Palearium A. MDLXX. pœnas temeratæ Chriſtianæ fidei morte luiſſe, exploratum nunc eſſe debet, ex monumento illo egregio, quod Romæ extat in codice, in quem morte damnatorum nomina referuntur, ſervaturque ad *S. Joannis Decollati*, ut vocant; quod monumentum vulgavit nuper litteratiſſimus, & eloquentiſſimus vir Hieronymus Lagomarſini [3], noſque iterum exhibe-

1 *Epiſt.* 25. 2 *V. Ciaconium tom.* 3. *col.* 412.
3 *Tom.* 2. *epiſtolar. Pogian. pag.* 188.

hibemus, adjectis litteris, quas proxime antequam plecteretur ſcripſit ſuis. Cum ergo cauſa finita fuerit anno MDLXX., temporis vero aliquid, imo non exiguum ſpatium interponi oportuerit inter hunc diem, atque illum, quo fuit comprehenſus; Romæ præſertim cum cauſa ageretur, ubi lentius iſta, quæ revocari poſtea non poſſunt, tractari ſolent; nihil propius videtur vero, quam ante biennium, ideſt A. MDLXVIII. Mediolano accitum Palearium. Sed rem omnem aperire ipſe videtur iiſdem litteris, totum id tribuens conſpirationi in eum factæ, *ob orationem*, inquit, *latinam ſcriptam pro me ipſo, & impreſſam annis ab hinc plus* XXV. Orationem illam habitam poſuimus A. MDXLIII. a quo anno, annus MDLXVIII. eſt XXVI. Atque hæc ſcripſeram, cum vidi Laderchium in Annalibus [1] comprehenſum dicere Palearium A. 1567, quod fortaſſe ex actis in ea cauſa, cognovit. Propius ergo his conjecturis ad eum diem acceſſeram. Sed eundem cum poſtea ſupplicio affectum ait A. 1569. erraſſe omnino arbitror. Inſignius vero erraruntScriptores ceteri, Bailletus [2], Niceronus, Bailius, Grævius, Hallbaver [3] anno conſignantes 1566, ducem, ut ego arbitror, Thuanum ſecuti, atque hic ubi minime oportuit Simlerum, ſive Friſium [4] reprehendentes. Errorem inde ortum credo, quod ſunt ex hiſtoricis nonnulli, qui initio Pii V. Pontificatus id narrant. Sed hoc illi faciunt, ut cum aliis conjungant eodem aut ſimili ſupplicio, ob eamdem cauſam affectis, ne ſæpius eamdem rem diverſis in locis obtrudant; quod ipſum diſerte vidi ſignificare Auctorem vitæ ms. s. Pii V. quæ in Bibliotheca noſtra aſſervatur. Annum ætatis LXVIII. tunc egiſſe Palearium ex rationibus noſtris

1 *ad A.* 1568. *num.* 40. 2 *Jugem. num.* 1307. 3 *num.* 12.

4 Niceronus adnotavit, Simlerum, quem Bailius allegat, A. 1555. deſineret; itaque hunc eſſe Jo. Jacobum Friſium. Eſt etiam qui mortuum Palearium ſcribat A. 1566. Spondanus *ad h. a. n.* 4.

noſtris liquet, quas ſuperius abunde explicavimus. Itaque quod in litteris paulo ante obitum ſcriptis ſeptuagenarium ſe vocat, facit conſueto more, quo, cum e re noſtra eſt, proximum denarium numerum pro inferiori, qui paululum ab eo deficiat, ſumimus. Hæc cauſa tamen fuit, cur natalem ejus annum MDIII. potius, quam ſequentem eligeremus. Nec vero eſt de genere mortis aut ſupplicii dubitandum, de quo tantopere nonnulli digladiantur inter ſe. Reſte ſuſpenſum, ſuſpenſi vero & mortui corpus crematum, ex eodem monumento noſtro liquet.

10. At quid de mortis cauſa dicimus, crimineque illo, quod virum certe eloquentiſſimum turpiſſimæ morti addixit? Bailletus aſſignat hanc unam, quod dixerit, S. Inquiſitionis Tribunal, ſicam eſſe in litteratos homines diſtrictam. Idem habet, qui Eccleſiaſticam hiſtoriam Cl. Fleury deduxit, ad A. MDLXVI.[1] Niceronius addit alteram, quod honorificentius compellaſſet Germanos homines heterodoxos, atque affirmaſſet, laudabilia in his nonnulla inveniri. Atque hos nimirum Thuanus præivit, ſcribens[2]; *Poſtea & Aonius Palearius, cujus eruditionem ſingularem ſcripta ipſius teſtantur, eadem pœna affectus eſt Romæ, cum convictus eſſet dixiſſe, Inquiſitionem eſſe ſicam diſtrictam in litteratos*. Atque idem alibi etiam impudentius, ſive ſuis hoc efferens verbis, ſive per ſummam improbitatem affingens Mureto, damnatum dicit[3] *ob nimiam in pietate ſimplicitatem*. Alia ſunt, ideſt purus putus Lutheraniſmus, cujus convictus idoneis fuit teſtibus Palearius; quod quidem ex *proceſſu originali*, ut ipſe ait, probat Laderchius, ac nominatim ejus errorum capita recenſet.

1. *Negabat eſſe, ac reperiri Purgatorium.*

2. *Morem improbabat mortuos in Eccleſiis ſepeliendi, aliòque huju*ſ-

1 *to.34.p.335. edit. Pariſ.1734.* 2 *to.2.p.483. edit. Londin. a.1733.*
3 *lib.1.* de vita ſua *oper. tom.7. pag.22.*

hujuſmodi mortuorum fœtorem rejiciendum, antiquorum Romanorum more, qui mortuos extra urbem ſepelire cenſuerunt, affirmabat.

3. *Contemnebat, maleque ſentiebat de ſtatu & habitu Monachorum, eos comparando Sacerdotibus Martis, qui ferebant ancilia per urbem, canentes, & tripudiantes, & Sacerdotibus Cybelis abſciſſis, & velut lunatis colla contorquentibus, & Magis Gallorum, eoſque ex vario habitu religioſo irridebat.*

4. *Videbatur attribuere juſtificationem ſoli fiduciæ in divina miſericordia, remittente peccata per Chriſtum.*

Teſtes vero prolati ſunt hujuſmodi,ut exclamaverit Palearius:*Si DD.VV. habent tot teſtes idoneos contra me;nihil eſt,quod vobis, & mihi moleſtiam diuturniorem afferatis.* Quod ſi vel ex iis quæ edita ſunt, cauſam Palearii qualis fuerit æſtimare velimus; bene habet, quod eſt nunc in manibus hominum ejus *Actio in Pontifices Romanos*. Qui ita aliquando ſenſit aut ſcripſit, huic putemus obfuiſſe dumtaxat *nimiam in pietate ſimplicitatem*? Nihilne in omni vita damnandum feciſſe? Nihil extuliſſe aliud, quam illa in Tribunal Inquiſitionis probroſa verba? Nihil, præter hoc unum, prolatis teſtibus, cauſa cognita inventum? Non potius adverſus puram ſinceramque Chriſtianam Religionem perverſos ſenſus, non impios ſermones, non blaſphemam doctrinam, & ſeditioſam? Et ſane ſi quis orationem illam pro ſe habitam Senis nunc quoque legat; videbit hominem, qui virus ſive grande aliquod malum in venis atque viſceribus incluſum contineat, licet effundere foras non magnopere audeat, aureſque piorum, & fortaſſe Quæſitorum fidei reformidet: ita ibi noſtrorum hominum, ideſt Catholicorum litteras, moreſque damnat, contra vero hæreticorum impenſe laudat atque extollit. Magis ergo ſincere vereque Hallbaverus [1] primam hanc cauſam damnationis

[1] *num.* 13.

tionis Palearii affert: *quod cum Germanis, ſcilicet cum Luthero & ſociis, ſentiret*. Nec ſenſiſſe tantum puto, ſed errores ſuos in vulgus ſpargere ac propagare conatum; quod ex nonnullis ejus libris, de quibus ſuperius diximus, liquet. Hoc magis etiam perſuadet is, qui Palearium damnavit, Pontifex Romanus, quem, utut hoc loco hæretici præſertim Scriptores dilacerent, conſtat tamen ſanctiſſimis moribus fuiſſe, integerrimaque vita, cui non levitatem, non præceps odium, non incuriam in re tanta objicere, niſi impie omnino poſſis. Quod ſi ſeverior aliquanto eſt habitus, fuit illa virtus ſummopere illis periculoſiſſimis temporibus neceſſaria. Cujus rei (etſi eſt per ſe apertiſſima) teſtem tamen dabo virum ab aſſentatione atque indulgentia in Pontifices Romanos, ſi ullus alius, alieniſſimum Johannem Baptiſtam Adrianum, hæc in ipſa deſcriptione ſupplicii Petro Carneſeccho, & Julio Zannetto irrogati, ideſt in pari cauſa ſcribentem [1]; rem fuiſſe opportuniſſimam eo tempore, ut in hujuſmodi homines animadverteretur; hoc ipſos Principes exoptaſſe, cum ex iis, quæ vel in Gallia, vel in Belgio acciderant, edocerentur, magnas ex hac ſentiendi libertate inclinationes Rerumpublicarum & Regnorum fieri. Quid? in Chriſtianis inſtitutis, in Fidei ſinceritate, in integritate morum, nonne idem factum eſſe deploramus? aut hæc pati Pontifices æquo animo poterant?

12. Græ-

1 *Hiſt. lib. 19. pag. 755.* „ E fu coſa in quel tempo molto opportuna, quando il malore s' andava impigliando, e l' eſempio della Francia, e della Fiandra, e delli altri Paeſi baſſi ſottopoſti al Re Cattolico, faceva, che i Principi Secolari finalmente ſi accorgevano, che i movimenti della Religione ne' popoli rieſcono il più delle volte in mutamenti di Stati. Perochè in quelle parti eſſendoviſi già molti anni innanzi, e di Germania, e di Ginevra cominciato a guſtarſi di cotali torte opinioni della Fede, i popoli volevano vivere a lor ſenno, e ſchernivano non ſolamente i buoni ordini della Religione, ma i reggimenti ancora e la giuſtizia ſteſſa temporale „.

11. Grævius, ſive quicumque ſit Auctor præfationis in Amſtelodamenſi editione, ſubdit, poſt hanc damnationem facile colligi *fœdiſſimæ ruinæ involutam fuiſſe totam Aonii domum, atque innocentes liberos, tamquam* **καθάρματα**, *& purgamenta luſtralia, omnibus exſecrationibus devotos in extrema rerum omnium inopia damnatum ſpiritum exhalaviſſe : nam mater*, inquit, *jam exemta erat rebus humanis*. Atque idem iiſdem ferme verbis Hallbaverus. Revera quis exitus fuerit liberorum Palearii, fateor me ignorare; quod vero domus & familiæ ruinam, direptionem, ſpoliationem deplorant, mentiri eos, & ex odio in Pontifices Romanos id dicere ex Italicis litteris, quas ipſa in morte Aonius exaravit, manifeſto apparet. Atqui etiam, ſi id factum fuiſſet, quid in hujuſmodi criminibus, quæ publicum maximumque bonum, ideſt Catholicam Religionem aggrediuntur, & Chriſtianam Remp. convellunt, eſſet reprehendendum? Nonne eſt hujuſmodi pœna, non dico ſolum Imperatoriis, ſed antiquiſſimis legibus, in Remp. aliquid molientibus, conſtituta? *Acerbum eſt*, ajebat Tullius [1], *parentum ſcelera, filiorum pœnis lui: ſed hoc præclare legibus comparatum eſt, ut charitas liberorum amiciores parentes Reip. redderet*. Sed, ut dixi, certum eſt, Scriptores illos noſtrorum odio in errorem fuiſſe impulſos. Neque, cum jam rebus humanis exemptam faciunt Palearii uxorem, non turpiter errant: illi enim moriens ſcribit Palearius. Suſceperat vero ex ea duos filios, filias item duas. Illos ſæpe in epiſtolis ſuis appellat; atque in xxx. libri IV. Lampridium Dorotheum, & Phædrum Theophilum; frequentius [2] Lampridium, & Phædrum; filias vero Aſpaſiam, & Sophonisbam [3]. Horum natu major Lampridius erat, quem daturum operam Philoſophiæ cupiebat erudiri plus litteris Græcis, Phædrum ſtudioſum juris civi-

1 *in Brut. n.12.* 2 *lib.4. ep.9.* 3 *Ibid.*

civilis magis exornari Latinis, ut illis ſcribit [1], & Vincentio Portico J. C.: *Sunt præterea*, inquit [2]; *mibi duo liberi, quorum alterum Latinis & Græcis litteris, & Philoſophiæ naturali dare operam volo, alterum Latinis, & Juriſperitorum facultati: huic Græcorum librorum copiam feci, illi juris civilis ſupellectilem paro, cui te ducem do, amicum, tutorem, patrem, ut his nominibus filio meo plurimum debeat.* His ætate filias anteiviſſe, conjicio ex alterius [3] epiſtolæ loco Pterigi: *Diligo frugalitatem, odi luxuriam; Aſpaſia viaticum poſcit, mox petet Sophonisba. Quid Lampridio, & Phædro fiet? Obſecro ne ſuaviſſimos pueros perdamus.* Hanc epiſtolam dedit Lucæ; itaque illis auctus jam fuerat, atque eo ipſo tempore, quo ibidem erat, filiolum ei natum neceſſe eſt dicere; nam graviter uxor laboravit ex partu [4]. Cum venit Mediolanum, id ætatis erant filii, ut quæ acta ab eo fuerant narrare ipſis per litteras, & de ſtudiis admonere potuerit [5]; filias vero jam fuiſſe *grandiuſculas* affirmat, &, cum propediem in alias eſſent familias mittendæ, dotem poſcere. Minuta hæc perſequimur, ut videant omnes, quam verum ſit, quod Grævius ſive Auctor quem toties nominavi præfationis ſcripſit; ideo annum, quo Palearius obiit & cetera ejus viri ignorari, quod id maxime nos curemus, ut eorum, qui hoc modo damnati ſunt, non ſolum corpora, ſed quæ ad eoſdem pertinent omnia, & memoria ipſa intereat. Sed oportebat, Scriptorem illum in Palearii libris paulo attentius diligentiuſque verſari, ſi ſcire illa voluiſſet. Atque illud ego pene prætermiſeram, Aonii uxori nomen fuiſſe *Mariettæ*, quod nomen in litteris ad eam datis proxime antequam moreretur apparet. An vero hoc ipſum ſit feminæ nomen, an blandimenti cujuſdam loco, ut ſolent, inflexum, & ad

1 *lib. 4. ep. 30.* 2 *lib. 4. ep. 18.* 3 *lib. 4. ep. 9.*
4 *lib. 4. ep. 25.* 5 *lib. 4. ep. 30.*

ad *diminutivorum* quæ vocant modum contortum, equidem ignoro. Illud etiam admonere debeo, in hujuſmodi litteris alteri filiæ, nomen aliud dari *Aonillæ*; ab Aonio vero, ita ei factum nomen alterum puto præter primum *Sophoniſbæ*, ut duo nomina filiis etiam fuiſſe vidimus.

12. Nihil addo de Palearii ſcriptis, niſi hoc dumtaxat; quas epiſtolas edo, ex codice noſtro quodam me edere, in quo adſcriptum erat, priores XIX. deſumptas ex cod. ms. Jo. Andreæ Irici Ambroſiani Collegii Doctoris, reliquas latinas ex cod. Ambroſianæ Bibliothecæ: quos ego codices ſi conſulere potuiſſem, emendatiores fortaſſe darem: Sunt enim alicubi librarii culpa vitioſæ. His epiſtolis Carmen adjunctum erat, atque illud quoque volui, quod litteratis viris ingratum non fore exiſtimarem, ex eodem codice meo repræſentare. Denique adjunxi, quod ſum pollicitus, monumentum de morte ejuſdem Palearii, quod in codice invenitur ſanctæ illius Sodalitatis, quæ a *S. Jo. Decollato* nomen habet, cum binis litteris, quas paullo antequam plecteretur ſcripſit Palearius ſuis. Sunt vero inter has quas exhibeo epiſtolas nonnullæ, quas Palearius non ſuo, ſed alterius cujuſdam nomine exaraſſe videtur: non enim in eum conveniunt, quæ ibidem dicuntur. His appoſita erat nota, manu credo ipſius Cl. Irici: hanc retinui. Neſcio an his addenda alia, quæ nota carebat, eſtque ordine XIX., Petro Paolo Origonio ſcripta, in qua Auctor *Tractatum criminalium* ei inſcribit. Nullum enim tale opus ab Aonio ſcriptum vidi, aut ab aliis commemoratum inveni: licet negari non poſſit, in ea quoque facultate fuiſſe eruditum, quod intelligimus ex epiſtola Vincentio Portico ſcripta [1], in qua ita amicum ſe eſſe profitetur veteribus Juriſconſultis, ut qui eos non colant, & qui non caſte colant, ſibi plane ſint inimici. Sed de tota re, lector eru-

1 *lib. 4. ep. 18.*

eruditus judicabit. Et quoniam hic eam epiſtolam nominavi, liceat ejus particulam, ut non inopportunam, huic loco inſerere: *Et omnino, ſi a Deo ſunt omnia, a quo non modo mentem, & bonum ingenium dari, ſed vitam quam vivimus, & ſpiritum quem ducimus nobis impertire videmus, cur nos autem tam injuſte avari ſumus, aut tam odioſe invidi, ut ſtudioſis bonarum artium, qui Deo ſunt acceptiſſimi, non concedamus ea, quæ ſi eduntur, nobis gloriæ eſſet, & aliis prodeſſe poſſunt, obeſſe certe nemini?*

AONIUS

I.

AONIUS PALEARIUS
OCTAVIO VICECOMITI
S. P. D.

SUperaſſet omnium fortunam is, cui fortuna potius quam virtus fuit amica, inimicus omnium tuorum, ſi ubi e vita diſceſſit habuiſſet laudatorem accuratum, & diligentem. Equidem de hac re pluribus ad te ſcriberem: & omnino ſtudium non defuit, ſed patri tuo clariſſimo viro non placebat, & ego quoque aliquid videbam, ut quæ poſſim, omnia nolim ſcribere; præſertim cum te propediem putemus ad nos rediturum, quibuſcum coram videre poſſis, & interea ſi id dubium apud animum tuum relinquam, multa meditabere, ex quibus fortaſſe voluptatem capies. Brevi ſic habeto; nihil a laudatore dictum, quod vir bonus ſit admiratus, multa, quæ quivis ridere poſſit. Funera fuerunt magnifica & ſumptuoſa, in quibus ſpectandis non quiſquam eſt qui ſatietate fuerit defeſſus; ſunt enim copiarum,non virtutis,de quibus a me litteras non expectes, quod harum rerum habes & ſcriptores, & nuncios. Quæ in adventum tuum referuntur, erunt valde jocoſa, & quæ tuo ingenio digna ſunt, a quo dicta, & facta hominum expenduntur. Sed aliter atque oſtenderam facio, qui ingredior ad expli-

ca-

candum rationem jocorum meorum, de quibus ne verbum quidem poſthac; puto enim omnia tibi fore jucundiora, ſi imparatum te offendam. Vale.

II.

Aonius Octavio Vicecomiti S. P. D.

LEgi litteras tuas plenas ſtomachi, & querelarum; aſpectus ipſe videlicet litterarum me conturbavit, quaſi divinarem, in his ineſſe inhumanitatem, non tuam, ſed eorum, qui te a me abalienarunt: legi tamen perinvitus. Ad multa, quæ iratus ſcribis, non reſpondebo, quod ſapientium judicio neque ignis ferro eſt ſcalpendus, neque irati verbis ſunt provocandi, & quod mihi ſum conſcius conſtantis meæ erga te voluntatis. Cognoſco, intelligoque cauſam iracundiæ tuæ aliqua re, cui quantum ſim ſatisfacturus neſcio. Nam quod eſt in tuis litteris ſcriptum, ita eſt ut ſcribis. Magna ſemper tua in me beneficia extiterunt; ſemper ea cogitaſti, quæ ad meam dignitatem pertinent: addo etiam, ſi quam gratiam potui referre, non retuli, neque nego me fuiſſe ingratum: potuiſſe me enim tibi obſequi, ſi fuiſſem prudentior in re, quam mihi ſignificaſti, neque alio debebam moveri quam gratia tua, cujus rationem non habui. Quid ergo? peccavi. Tuæ humanitatis eſt, ut ea cogites, quibus pudore quodam ſubruſtico ſum adductus, ne præſtiterim

quæ

quæ debebam. Sed quoniam nihil eſt, quod ſtudio, & benevolentia, & amore effici non poſſit, te rogo, ut refrigerato animo cogites, aliquid fuiſſe cauſæ, cur ego in eo, quod ſummis precibus petebas, non ſim obſecutus. Nollem ego tuas aures patere obtrectationibus malevolorum: nam quæ tibi nata eſt ſuſcipio, falſa certe eſt. Cupio, ut de ſententia iſta decedas, puteſque, te unum a me plurimi fieri præferrique omnibus, qui ſunt, aut fuerunt unquam, quem ego mihi ipſi antepono. Poſtremum illud, ſi quid poſthac acciderit, curabo, ut me non modo amicum, ſed amiciſſimum eſſe cognoſcas. Vale.

III.

Aonius Palearius V. F. V. S. P. D.

SI qui ſunt ex meis domeſticis, qui tibi negotium faceſſunt, id mihi tam moleſtum eſt, quam quod maxime. Noli quærere, cum ad me allatum eſt de improbitate meorum, qui dignitatem tuam oppugnant, quam graviter ſim commotus. Perculſus ſum hoc nuncio; tandem cum me collegiſſem, conſtitui ad te ſcribere. Hem mi Livi tales tibi injurias a meis fieri? Curavi, ut hæ litteræ quam primum ad te perferrentur: nam videbam fore ſermones quorumdam, qui ſuſpicarentur, a me non omnia eſſe expectanda; quos ego faciam propediem, ut mendacii, & ſuarum inep-

tiarum pœniteat. Mea in te officia neque obſcura, neque incerta erunt. Hominem cognoſco tui amantiſſimum, præſtanti ac ſingulari fide: tempus accidit, in quo perſpicere potes, me pro tua dignitate omnia ſuſcepturum contra etiam meos. Nunquam ego hoc facinus committam, nunquam hoc dedecus admittam, ut deſeram te. Quamobrem oro, ne mihi hanc injuriam facias, qui omnium conjunctiones dirimere; vincula propinquitatis, & affinitatis velim & optem reſcindere, ut magni animi & non minimi conſilii viro ſim carus atque jucundus, cujus amicitia non ſolum ampla, ſed etiam jucunda mihi ſemper viſa eſt. Vale.

IV.

Aonius Palearius Andreæ Marino S. P. D.

EX iis litteris, quas Gregorius mihi legit, neque quomodo frater habebat potui cognoſcere, neque ubi eſſet ſuſpicari; venio tamen in ſpem eum convaluiſſe, & ubi ubi eſt ejus adventum appropinquare: quod ſi fiet, aut nos illum, aut nos ille aliqua in re juvare poterit; eſt enim adoleſcens humaniſſimus, & ſuaviſſimus, honeſta facie, & liberali; neque deſpero illum aliquando cum veteribus amicis noſtris rediturum in gratiam, quod patri, & tibi, & nobis omnibus ſummo ſolatio erit, qui non tam ſemper timuimus, ne infideliſſimis ſociis, ut eſt voluptatibus ſe dimitteret,

ret, quam cupiebamus, ut optimis præceptis pareret amicorum noſtrorum; quorum benevolentiam quod tu conſervaris, amant te quidem omnes, ſed ego imprimis. Quamobrem tu ſive in Merabelliano es, ſive in Ciſellio, ſive, quod minime velim, Ticini, ut ſimus ſimul, brevi te conveniam, ſed ante faciam per litteras te certiorem, ut non tam prandium, quam aucupium paratum ſit. Eraſmus cum veſperi ad me veniſſet, & mane diceret ad te iturum, volui ei aliquid dare. Multa jam nocte ſcripſi epiſtolam litteris ut vides vacillantibus, quod oculos tenere vix poſſem, & me jam manus & lucerna deficeret. Vale.

V.

[1] *Aonius Herculi Vicecomiti S. P. D.*

QUotidie, vel potius in dies ſingulos, aliquid accedit deſiderio tui. Nam & litteris & ſermone multorum perfertur ad nos, te tres totos ipſos annos iſtic abſuturum a nobis, vel receſſurum fortaſſe longius. Quod niſi me incommoda Matris valetudo retinuiſſet, non expectaſſem hoc tempus, ut te viſerem, idque ego feciſſem de Matris meæ ſententia: quod non temere ſcribo, qui ſciam ad te ſæpe falſa ſcribi, & majora. Lectiſſima femina eſt, & tuæ Matris amiciſſima, ac ſimillima, quæ ſi nos epulari non ſinunt ſaliarem in modum,

 ta-

1 Hæc certe Epiſtola Aonii non eſt, ſed potius alicujus ejus diſcipuli nomine ab eo conſcripta; ſuſpicamur itaque pro *Aonio* ſcribendum *Annibal*, vel *Antonius*, vel quid ſimile in titulo. Idem de VII.

tamen, cum opus eſt, egregia ſunt liberalitate. Jubent iſtæ, mancipia ſumma modeſtia eſſe, & abſtinentia. Id eſt proprium Matrum familias. Exactio velim quieſcat, & frumenta auguſtius proveniant: cætera ipſæ præſtabunt. Sed ut ad te redeam, totus, mihi crede, ſum tecum; non mehercule alius ſermo niſi de te; verſaris mihi ob os atque oculos noctes & dies. Sed tu aliquid de meis ſtudiis ſcire fortaſſe mavis? Ego me ad Aonium quotidie; do operam litteris Græcis, Latinæ valde delectant. Elaboratur a me diligenter, ſicut tibi ipſi ſenſi placere. Si mihi per ſuas occupationes liceret, ab illius latere nunquam diſcederem: ſubciſivis horis dat; accipimus. Quid quæris? Intelligo me vel triduo plurimum profeciſſe, quantum exiſtimo, nunquam me hujus conſilii pœnitebit. Tum hæc, inquies, dicemus, cum erunt perorata. Verum iſtud: ſed vetus illud ἀρχὴ ἥμισυ πάντος [1]. Ego in negotio verſor, obnixe video ἄγαθα, ſed puto πολλῷ βελτίω reſtare. Cum redieris mirabere diligentiam meam. Interea velim ſepe ad me ſcribas. Gratiſſimum mihi feceris, ſi quid agas ſciam, imprimiſque ſi ante triennium te viſuri ſumus. Ludovicus Frater meus adhuc Bononiæ eſt, ubi, ut audio, jus civile ἄνω καὶ κάτω [2]. Feriæ æſtivæ eum fortaſſe ad nos reducent. Fratres alii ſuaviſſimi pueri bene valent; tui mentionem non intermitti ſinunt; tibi plurimam ſalutem. Vale.

VI.

1 *Principium dimidium totius. Heſiod. ap. Lucianum. Ariſt. &c.*

2 *ἄνω καὶ κάτω πλανᾶσθαι toto cælo errare. Plat. V. Budæum.*

V I.

Aonius Palearius P. N. S. P. D.

ITA negotiis diſtineor, ut mihi neque pedem porta efferre, neque plane calamum ſumere liceat. Moleſtiſſimum tamen eſt, quotidie me abs te accuſari de epiſtolarum negligentia. Quod ſi quid ocii fuero nactus, verear ne te ſcribendo obtundam, modo nihil ſit incommode. Quid eſt? Dum hæc ſcribebam cohorrui, & ſuperiore nocte ſudavi, & febriculæ aliquid habui. Quamobrem ne mireris, ſi hæc ad te ſunt vacillantibus literulis & confuſis, quæ ſolebant eſſe compoſitiſſimæ, & clariſſimæ; quibus cum te delectari ſciam, ſemper tibi mea manu ſcribo, tum etiam, cum minus valeo. De libris, quos mihi miſiſti, valde te amo; eos præter me attinget nemo. Mos tibi gerundus, te iſta dubitatione libero. Per fortunas tuas, mi Petre, omnem amorem, quo me es complexus, converte ad illud negotii, quod tibi mandavi. Niſi nos Deus aliquis reſpexerit, ut iſta pecunia exigatur, ſane periimus. Quam vellem Hetruſcos meos a principio audiſſe amiciſſime monentes. Sed non eſt facile, imo vero ἀδύνατον præterita revocare. Ubi te in hoc negotio admiſcuiſti, perfice quæſo, ut merito te amem, & ut omnes homines intelligant, quam tu ſemper a me diligi, & amari voluiſti. Vale.

VII.

Aonius Palearius H. S. C. S. P. D.

CUM jucundiſſimus ad nos de dignitate tua Nuncius allatus eſſet, ſane quam pro eo ac debuit familia noſtra lætata eſt, in qua ego, qui vix e pueritia ſum egreſſus, incredibilem cœpi voluptatem; idque hoc tempore ſatis eſſe putabam ad amorem, & obſervantiam erga te meam. Exiſtimabam enim, id ætatis non decere ad te ſcribere ſumma gravitate, & ſapientia virum, ne cum minime vellem inciderem in ſuſpicionem vel puerilis levitatis, vel juvenilis temeritatis; in qua ſententia permanſiſſem, niſi humanitate tua fretus, putaſſem, mihi te veniam daturum. Obſecro, mi patrue, ne mihi vitio des, ſi non accipies litteras te dignas. Monet me (ut aperte fatear) ac pungit pudor, qui mihi a natura tributus eſt, optimus ille quidem æſtimator virium mearum; ſed nefas eſſe duco, & alienum a familia noſtra, non obtemperare patri, qui ut animum faciat, commemorat humanitatem, & benevolentiam tuam. Quæ quoniam mihi quoque cognita eſt, & perſpecta, ſpero te non offenſum iri his brevibus, & ineptis, ſed tamen amantiſſimis litteris meis, per quas ego ex animo, & noſtrorum omnium nomine gratulor, quod in ampliſſimum Collegium cooptatus, & domui noſtræ dignitatem reſtitueris, & conſe-

cutus

cutus ſis teſtimonium virtutis, & ſapientiæ tuæ. Deum quæſo, ut te ornamentum familiæ noſtræ, & ipſum auctorem tam præclari muneris ſanctiſſimum, & beatiſſimum diutiſſime conſervet patriæ, qui cives, & peregrinos ſapientes, veluti ſol princeps, & moderator luminum, luce illuſtrat, & radiis accendit ſuis. Vale.

VIII.

Aonius Palearius V. S. P. D.

TU vide quo loco res ſit: ſpes omnis eſt in Venetis, pene alienis a nobis. Populi, quibus pecunia ſuperioribus annis acerbiſſime eſt imperata, a pugnando abhorrent, ſervire hoſtibus malunt; placationis tempus amiſſum eſt. A me conſilium quæris? Ego quid futurum ſit non video: timeo omnia; mulieres aliquo amandandæ videntur, ubi natura loci tutæ eſſe poſſint; nam Barbarorum exercitus maxime equitatu valet, neque tam virtute quam numero. Ora maritima periculoſa eſt piratarum excurſionibus, montana tutior, quæ a mari longiſſime abſit. Aliquantulum animi attulit frater tuus, qui ex Urbe veniens claſſem ingentem exædificari dicit juſſu Pontificis, pecunia ſacerdotum. Vicimus, ſi menſe Quintili navigare poſſumus; ſin minus, plagam accepturi ſumus. Duo Legati in Hiſpaniam profecti ſunt, ut videant, quid publicæ, quid privatæ pecuniæ poſſint cogere, ut

paucis menſibus exercitum firmum habeamus. Quem ego Regem certo ſcio neque officio, neque dignitati ſuæ defuturum. Ejus reſponſa grata Pontifici, & probata Collegis fuiſſe dicuntur. Duces qui in Italia ſunt oppida contra Epirum, unde in Italiam tranſmittitur, muniunt, & præſidiis firmant; alii delectum habent accerrime in agro Campano. Utinam quam cauſa noſtra pia eſt, tam etiam ſit felix; ut hunc perditum latronem, qui claſſe, inflata ſpe atque animis, contento curſu adventare dicitur, quod totum orbem terrarum ſibi prædam putet, pœniteat temeritatis, & intemperantiæ ſuæ. Vale.

IX.

Aonius Palearius M. P. S. P. D.

QUinto Cal. Feb. Marcus pater tuus Mediolanum veniens ex Hiſpania, optatiſſimum nuncium attulit, apud Regem bene eſſe, claſſem ingentem exædificari, & turmas Hiſpanas cum equitatu Gallo eſſe conjunctas; fore ut paucis menſibus exercitum firmum habeamus. Quamobrem magna ſpes nos habet, ſi Turcæ venerint, poſſe intercludi. Omnes cupimus, hunc belli motum Regi bene & feliciter evenire. Nam quid hoc eſt per Deum? pedem nullum eſſe in Græcia & Aſia, qui non in Turcæ poteſtate ſit. O potentiam, & diligentiam incredibilem! Noſtrorum autem....
ne-

nequeo plura præ dolore. Angor, & crucior, ſed proficio nihil. Modo recte ſit. Nam, quod nos inter nos dicere liceat, vel terra, vel mari ſi pugnatum eſt, male nobis cecidit. Vicit, non poteſt negari. Sed ſi noſtri Principes ſe ſe colligerent, non poteſt hujus diuturna eſſe victoria. Quid ita? Quia dominatio hujus crudelis eſt, & barbara. Nemo erit, qui ſe illi tradere velit: fac poſſe tuto, num etiam honeſte? nullo modo. Bonorum animi hoc nuncio recreati ſunt, qui erant animo perculſi, oppreſſi, capti. Multi Italia cedebant; Principes quidam fugæ ſe dabant. O rem miſeram! O conſilium plenum ſtultitiæ! Quid tu, inquies, feciſſes, ſi imparati eramus tum a militibus, tum a pecunia? Omnia feciſſem, ut hoc ne facerem: & ut bos armenta, ſic ego bonos viros fuiſſem ſecutus, qui pie pro Chriſto emori poſſunt. Vale.

X.

Aon. Ma. S. P. D.

QUam tu moroſus ſis, vel ex rabioſiſſimis litteris tuis intelligi poteſt, in quibus me ſæpe ignaviæ, ſæpe levitatis inſimulas, quod Urbis, & Urbanitatis deſiderio tenear, & domum redire properem. Sæpe conquereris, quod in Gallia ſim libenter, & apud Cæſarem non invitus. Nunc rides me quaſi juris imperitiſſimum, nunc col-

collaudas conſilium, & operam meam. Utinam in aliqua certa ſententia perſiſteres. Non ſunt hæc (pace tua dixerim) gravitatis conſularis, & benevolentiæ in me tuæ: quod niſi tu re melior eſſes quam verbis, minus te amare inciperem. Non dici poteſt, quam tuo chirographo ſim commotus, in quo levem, pigrum, timidum me appellas, & teſtam etiam ac vetulum. Commendatione tue more Romano ad Cæſarem magis egeo quam jocis. Nam quod in has provincias barbaras me detruſiſti, neſcio quid profeceris. Mirum in modum hic omnia frigent. Amicus tuus neque veſtem, neque pecuniam mihi ſuppeditat; quamobrem noli mirari, ſi in palimpſeſto hic tu meam verecundiam accuſas, ſi ſubimpudens tibi videbar velle agere cum imperatore ex ſyngrapha. Melius ero ſi rediero ad ranunculos meos, quos meo iſto diſceſſu ſe comeſſe conſtat. Vale.

XI.

Aonius Palearius An. M. S. P. D.

TAntum e Liguſtico veneram, cum præſto mihi fuit puer tuus cum litteris, in quibus hoc inerat jucundiſſimum, quod filiolo auctus eſſes. Fac quæſo qui ego ſum eſſe te: quid feciſſes? Non voluptatem cœpiſſes maximam optatiſſimo nuncio, cui tantum deberes quantum ego tibi? Ita me dii ament, ut ego pluris facio tua commoda, quam mea.

mea. Exiſtimavi ad amicitiam noſtram attinere, quoniam ſolent magni eſſe conventus Matronarum in primo partu uxoris, ut mitterem aliqua ſigna, quibus ædes exornares tuas. Pulchellæ ſunt Muſæ apud me, quæ non abhorrent a ſtudiis noſtris. Si te pictura delectat, habebis tabellas quas voles, ut diſponas in aula. Certiorem me velim facias de tua voluntate; ſum enim in his comparandis novus Dæmaſippus. Si cœna quoque danda eſt, mittam ad te oſtreas, & piſces nobiliſſimos e noſtris villis, quæ omnes mare attingunt, modo lex ſumptuaria lata non ſit, quæ ſi lata eſt, non eſt negligenda. Mittam ad te quæ lege ſunt excepta, multa e terra nata, poma, fungos, helvellas, herbas bene olentes, violas, roſas, liguſtra, quæ παράκτια noſtra fundunt hoc tempore copioſe, ut prædia veſtra in vere, in quibus hoc tempore florem eſt quaſi avem albam videre. Omnia, quæ apud me ſunt, ſi iis uti volueris, tam ſunt χρήσει, quam mea κτήσει. Vale.

XII.

Andreæ Rapicio ab epiſtolis Pii Imperatoris Ferdinandi Cæſaris Auguſti Aonius Palearius S. P. D.

SI quid eſt quod nos vere delectare poſſit, ſumma certe voluptas eſt amari a bonis & doctis viris. Joſephus Salandus Philoſophus Phyſicus idem tuus,

tuus, & idem noſter cum Mediolanum ſuperioribus diebus veniſſet, tuo, & aliquorum nomine, qui tibi communione ſtudiorum ſunt conjunctiſſimi, ſalutavit. Fuit id mihi gratiſſimum, & jucundiſſimum: quid enim rerum omnium mihi eſt, aut fuit unquam optabilius, quam liberaliter ad amicitiam invitari ab iis, quibuſcum ego, ſi poſſem, tam libenter viverem, quam cum diis immortalibus? Atque utinam, mi Rapici, aut iſthuc non ita ſero fieret, aut qui commendatione ſua receperant mihi conciliatum iri in gratiam ſapientiſſimi Regis, non fefelliſſent opinionem meam; profecto aliquando una fuiſſemus, neque in hoc tempus diſtuliſſem miſſionem librorum, qui teſtes ſunt animi, & veteris obſervantiæ meæ, neque tanto rei familiaris incommodo fieret, ſi velim ad vos venire. Nunc planè ignoro, quam tempeſtive libri perferantur, & me ante ſenectus oppreſſit, liberi manciparunt, quam vos videam. Omnino cauſam ejus rei magnam ſuſtinent hi, qui mihi litteris affirmarunt, libros meos iſthic congelaſſe, propterea quod neminem unquam neque fautorem, neque lectorem invenerint. Quod cum mihi Salandus homo ſuaviſſimus falſum eſſe dixiſſet, & de ſtudiis tuis mirificis, deque humanitate, & benevolentia in me multorum, qui in Ferdinandi Cæſaris aula, & in iſta Pannoniæ luce verſantur, narraſſet, magna lætitia ſum elatus. In ſpem venio poſſe fieri, ut quem auguſtiſſime annos triginta ſum

ſum animo complexus, de facie ſim cogniturus: quem diem ſi videro, ut ego me ad ejus pedes abjiciam, tantum oculis hauriam, quantum nunquam ex animo effluat, qui jam diuturno deſiderio tabeſcit. Tu interea, mi Rapici, fruere iſto bono, ut quem colis, eum intueare quotidie, audias loquentem, ejus mandata accipias, & ſapientiam contemplere, ad cujus nutum, & voluntatem cùm te formaveris, & finxeris, in id aſpires, ut poſſis placere domino orbis terrarum. Quæ quanta ſint vel ex eo intelligo, quod dum de ſorte iſta tua amanter recogito, & tibi gratulor, tantam capio voluptatem, ut mihi beatus eſſe videar, qui ſim in numero tuorum. Quare tuæ jam humanitatis eſt, & probitatis ita nos complecti, ut ſi libri iſti aliquando ad Cæſarem perferentur, & forte mentio fiet de vetere animi mei propenſione in Auſtrios, eam tu ex iis, quæ ex libellis noſtris potuiſti colligere, pluribus proſequare, & quaſi teſtimonium des, ut quam ingenio, induſtria, labore tibi comparaſti, & quotidie es aucturus gratiæ, & felicitatis tuæ aliquid nobis impertias; quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

XIII.

XIII.

Ampliſſimo P. Antonio Veranto Epiſcopo Agrienſi Imp. Rom. Ferdinandi Auſtrii, Cæſaris, Pii, Felicis, Auguſti Conſiliario Aonius Palearius S. P. D.

CUM ſuperioribus annis de animorum immortalitate libri verſibus a me ſcripti eſſent, & Regi Ferdinando dicati, magna me cupido inceſſerat, ut ad Regem perferrentur. Erat eo tempore in Germania Petrus Paulus Vergerius Orator Pontificius, homo diligens, & officioſus. Hujus opera viſum eſt ampliſſimo, & prudentiſſimo viro Petro Bembo, ut uteremur, quod unis ſuis litteris omnia me conſequi poſſe ſperaret. Itaque miſſi ſunt libri cum litteris commendatitiis ad Vergerium: at is eodem tempore revocatus a Pontifice Romano in Italiam magnis itineribus contendebat, in quam ingreſſus offendit tabularium cum libris, & litteris noſtris, ad quas humaniter reſpondens pollicitus eſt, quamvis a Germania jam abeſſet, nihiloſecius ſe curaturum, ut libri cum ſua, & aliorum commendatione non vulgari in Regis manus pervenirent. Intellecturum quoque me, neque ineptas rationes, neque cogitationes inanes ſuſcepiſſe, cum de tali dedicatione conſtituiſſem. Quæ cùm illum perfecturum crederem, ſatis ſtudio, & labori meo factum eſſe arbitrabar, & me pluſquam eſſet optandum aſſecutum, cujus ſci-

ſcilicet verſus a ſapientiſſimo, & optimo Rege jucunde etiam legerentur, comparato, ut nonnulli mihi augurabantur, ſubſidio Regio ad omnem vitam: in qua opinione cùm multos annos fuiſſem, neque tamen interea a Vergerio, neque ab alio ea de re verbum ullum; ecce mihi proximis ſuperioribus annis litteræ ab Orgeto Rigæ ſcriptæ, quibus ſignificabat non incertis conjecturis libros ad Regem nunquam fuiſſe allatos. Quamobrem cum ii a Gryphio Lugduni ſinceriores, novis, & venuſtis typis eſſent excuſi, & de Imperatore deſignato, & renunciato Ferdinando ſatis conſtans, & certus rumor in Italia eſſet; renovatum eſt mihi deſiderium illud, atque auctum, ut libelli ad Cæſarem cum meis litteris perferantur. In quo deſiderio cum eſſem, venit ad me Joſephus Salandus Bergomas Medicus, & philoſophus nobilis, qui illis ipſis diebus Mediolanum venerat e Pannonia. Is cùm me tuo nomine ſalutaſſet, ſuſtuli ego manus; audieram enim ab aliis, quam Ferdinando Imperatori conſilio, prudentia, fideque tua eſſes acceptiſſimus. Ipſe vero Joſephus, ut eſt vir bonus, multa mihi jucunde narravit de benignitate, & benevolentia tua erga me. Quare ſtatui orare; quod tua fretus humanitate, & benevolentia nunc facio, teque oro, atque obſecro per bonum ingenium tuum, quod me ad ſcribendum adduxit, & bene ſperandum, ut commendatione me adjuves, & occaſione iſta librorum mihi concilies gratiam maximi

ximi Imperatoris, a quo ſi mei libri non contemnentur, ſpero minus me riſum iri a quibuſdam, quod in his dedicandis quaſi operam luſerim. Cupio enim non modo coævis, & æqualibus, ſed poſteris etiam videri non modo probabiles rationes, ſed præſtans judicium ſecutus, quod non de fæce Principum hauſerim. Delectus eſt a me, & in carminibus pangendis imploratus, omnium qui ſunt, & generis, & armorum gloria facile princeps, quem unum vere potui Regem appellare, qui ex omnibus iis, qui gentibus, & nationibus imperant, putet eſſe aliquid, virtutis gloriam, multumque poſſe inter mortales prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam, quibus ille præditus, atque ornatus ſuis eſt bonus, & ſalutaris. Me vero quod maxime eo tempore allicere potuit juvenem captum amore eloquentiæ, & incenſum ſtudio laudis, fuit, quod ſciebam, talem, ac tantum Regem delectari manſuetioribus Muſis, loqui non minus ſcite Romana veteri, quam Germana lingua, alere juvenes ad ſtudia litterarum, & tollere honoribus in cœlum. Hoc meum judicium quoniam fuit in juvenili ætate mirabile, ejus me in matura non pœnitebit; tantumque abeſt, ut ſententiam mutem, ut ſi intellexero hanc a puero animi mei in Auſtrios propenſionem amanter, & benevole accipi, parem aliquid propediem dicandum vel pio, forti, felici, Auguſto Imperatori, vel ejus liberis optimis maximis Regibus, quorum nomen

men apud me ſanctum eſt, & erit, eorumque ubi ubi ſim ſemper auguſtiſſime colam ſplendorem, & majeſtatem. Vale.

XIV.

Senatui Mediolanenſi Aonius Palearius S.

ETſi mihi ſuperiore anno in urbem proficiſcenti totius Galliæ Ciſalpinæ principem, omnia optata, & jucunda nunciabantur litteris & ſermone eorum, qui provinciæ humanitatem, & ſplendorem hominum prædicabant, ingenuitas tamen veſtra, & regia quædam liberalitas vicit omnem expectationem. Obruit me P. C. cumulus beneficiorum veſtrorum; prius me altero munere præveniſtis, quam abſolverim particulam officii mei. Licet enim in erudienda juventute ſtudii tantum & diligentiæ adhibeamus, quantum a nobis maxime fieri poteſt, nihil tamen a me fit, quod cum humanitate, & liberalitate veſtra ſit comparandum. Nam quantum vos virtute, & dignitate omnibus præſtatis, tantum neceſſe eſt mea omnia eſſe inferiora. Tenuitate igitur mea mihi deſperandum eſt de referenda gratia; & multitudine, & frequentia beneficiorum veſtrorum ſpatium mihi non datum ad gratias agendas. Sit hoc fortunæ veſtræ P. C. ut, quando omnes prudentia, juſtitia, & animi magnitudine ſuperatis, humanitate etiam, quæ mihi propria eſſe debebat, ſitis ſuperiores;

qua fretus accipio iſtam provinciam Græce & Latine interpretandi, quam mihi in triennium prorogaſtis, animo non modo libenti, ſed grato etiam & memori, quam ego ita adminiſtrare conabor, ut quoniam ſplendori, & liberalitati veſtræ reſpondere non poſſum, reſpondeam tamen aliqua ex parte opinioni adoleſcentium veſtrorum. Valete.

XV.

Imperatori Invicto & Sacroſancto Ferdinando Auſtrio Cæſari, Pio, Felici, Auguſto Aonius Palearius S. P. D.

QUi dies mihi expectatiſſimus a pueritia fuit, magne olim Rex, & nunc maxime Imperator Ferdinande, ut te hoc nomine, quod in auguſtiſſimo Fratre tuo conſenuerat, ſalutarem; eum adveniſſe gaudeo, & Majeſtatem tuam Imperio Romano auctam optatiſſime ſaluto. Annus hic eſt, Auguſte Cæſar, trigeſimus a dedicatione librorum meorum de animorum immortalitate, in quibus te amantiſſime appellans multa ſum auguratus, quæ cum hoc tempore bene tibi, & feliciter eveniſſe intelligam; vehementer lætor, cupioque, ut quos ab Oriente ad Occidentem, a Septemtrione ad Meridiem animo tibi regiones finivi, & ad Oceani ambitum terminavi; rati, firmique ſint tibi fines Imperii, ut nullæ ſint gentes, & nationes, quo non Auſtriæ leges, & Servatoris noſtri Jeſu Chri-
ſti

ſti te duce non perveniant; quæ ego puer olim mentis viribus excitatus, dum verſus illos pangerem; a ſuperiori convelli Pannonia, & longe lateque ferri per orbem, omni comitante Germania, tam vidi animo, quam ea, quæ oculis cerno. Ibi tum, quibus vocere auſpiciis, quæ ſedes antiqua maneat, quod domicilium vetus memoriæ Imperii, prodidi: quæ ita carminibus teſtata ſunt omnia, ut ea, quod credam, leges nunquam, quin te deſiderium tangat Urbis & Italiæ tuæ, in quam jucundiſſimus nuncius eſt allatus de pietate fratris, & ceſſione Imperii, de electione, & judicio Germanorum Principum, a quibus es declaratus dominus orbis terrarum: non eſt credibile quantum lætitiæ, quantum ſpei, quantum animi bonis acceſſerit. De me vero quid dicam? Qui hac una ſemper oblectabar ſpecula, ut te prius Imperatorem renunciatum audirem, quam e vita diſcederem. Nunquam profecto moriar, quin beatius moriar; unum mihi reſtat, mi Cæſar, ad plenum, & ſolidum gaudium, ut aliquando me ad pedes tuos abjiciens, os iſtud Majeſtate verendum intuear, cujus mihi imago ſemper apparet in ſomnis; quod in animo meo hæreant cogitationes a pueritia ſuſceptæ, expectatione magnarum rerum a te gerendarum, in quem unum tot regna, tot ditiones, tot civitates fœderatas variarum gentium, tot auxilia pugnaciſſimarum nationum, tot clientelas fortiſſimorum Principum neceſſitudinibus

adſtrictas, & agnationibus ſummorum Regum, Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti congeſſit, qui ita denique tibi uni omnia conceſſit, dedit, aſſignavit cum habenis Imperii, quibus modereris orbem terrarum, ut jam non ego loquar, ſed Chriſtus. Curandum, & enitendum tibi eſt, pie Romanorum Imperator Ferdinande, ut ea cogites, ea pares, ea efficias, quibus Chriſti cœleſtis, & divina Reſpub. Regum odiis diſſipata, ſectis hominum diſciſſa, licentia eorum, a quibus minime erat expectandum, male affecta; doctorum & ſanctorum hominum cenſura, quorum erit nemo, ubi tu e Pannonia ſignum ſuſtuleris, qui ad te non advolet, purgata & ſanata cohæreat, ut firmis totiſque viribus impreſſione facta, fuſis, pulſis, profligatis Chriſtiani nominis hoſtibus ſempiternis, vindicetur in priſtinum ejus ſtatum, & dignitatem. Vale.

XVI.

[1] *Reveren. Domino, & Ampliſſimo Patri Nicolao*[2] *Perrenoto Epiſcopo Atrebatenſi, Aonius Palearius S. P. D.*

ETſi virtutis, & nominis tui gloria me ſemper cohortata eſt, ac monuit, ut ad te aliquid litterarum darem, quo mihi conciliarem gratiam ampli-

1 Hæc quoque Epiſtola ab Aonio alieno nomine ſcripta eſt, nullibi enim reperi eum Mediolani Senatorem ſediſſe. Idem de xix. 2 Lege *Antonio*: hic enim fuit hoc tempore Atrebatenſis Epiſcopus. V. *Gall. Chriſt. t.* 3. *p.* 348.

amplitudinis tuæ: tamen vel quod occaſionem aliquam ſcribendi meliorem expectarem, vel quod pudore quodam deterrerer a ſcribendo, nunquam feci quod imprimis optabam, quodque maxime intelligebam eſſe accommodatum ad rationem omnium rerum mearum. Quis enim ignorat quantum apud Imperatorem Auguſtum Carolum Quintum Cæſarem, cujus felix & æterna ſit recordatio, authoritatis habueris? quamtumque apud potentiſſimum Regem Philippum ejus filium, quem majeſtatis cauſa nomino, valeas? quorum ego quaſi ſervitio addictus potuiſſem per te ſapientia & fide illis perſpectum, & propterea charum, atque jucundum,aliquid mihi ſubſidii comparare. Diſtuli rem, quæ fortaſſe indigebat maturitate, in hoc tempus, quo concordia iſta ſummorum Principum læta ſunt omnia, & plena publicæ hilaritatis, in quo ſolet fieri, ut qui aliquid petunt, impetrent cum gratia. Ego cum multos annos poſuerim Mediolani functus laboribus Senatoriis, nihil aliud conatus ſum conſequi in publicis, privatiſque cauſis, quam nomen boni viri, & diligentis Senatoris, & integri Juriſconſulti, ſperans integritate & diligentia mea facile mihi conciliatum iri non modo benevolentiam eorum, qui apud ſapientiſſimum Regem plurimum poſſunt, ſed etiam gratiam optimi Regis. Hac ſpe ita me oblectavi, atque alui, ut ætate jam provecta cogitandum mihi ſit de ſuſtentanda ſenectute. Quæ

mea vita ſemper, quæ omnes meæ actiones ſint, ac fuerint, malo te audire ex aliis, quam ex meis litteris. Bonitas tua, cum qua mirifica humanitas conjuncta eſt, me invitat, ut cum conſtituerim aliquid petere a feliciſſimo Rege noſtro, te rogem, & precer, ut in hac re non modo me adjuves, ſed quaſi gubernator ſis omnium commendationum, & rationum mearum. Nemo eſt quem ego minus officiis ſim proſecutus; nemo in quem minus oſtenderim ſigna quædam propenſæ voluntatis: & tamen nemo eſt, in quem magis ſpem collocaverim & fixerim, quam in te, probitate iſta animi & ingenii tui, per quam te oro & obſecro, ut me in tuorum numero eſſe non modo patiare, ſed etiam jubeas, & cogas; ut quod antehac mea ſponte feci admiratione virtutis & ſapientiæ tuæ, nunc devinctus ſummo beneficio, niſi immemor, ingratus, inhumanus eſſe velim, faciam etiam neceſſitate plena amoris, & obſervantiæ meæ. Vale.

XVII.

Baſilio Amerbachio Aonius Palearius S. P. D.

BArtholomæus Orellus tuas mihi litteras reddidit, vir cùm purus, & ſimplex, tùm diligens, & officioſus, quem ego amo veluti fratrem. Huic velim ſi quando uſus veniet ita fidem habeas ac mihi ipſi. Homo occùpatiſſimus ſæpe venit ad me,

me, cum eſt ad vos iturus; rogat ſi quid velim, & abit. Noli mirari ſi litteræ ſunt breviores; ipſe cum multa meo nomine proſequetur, ſit pro longa epiſtola. Tum cum impeditus fueris, utere hoc commodo hominis fidelis, ut tribus ſummùm quatuor verſiculis ſcriptis, illi hoc negotii des, ut cetera proſequatur. Vale.

XVIII.

Eidem.

MAndavi ſæpe Bartholomæo Orello ad vos eunti, ut te ſalutaret meo nomine, ac diceret: ſi quæ hic res eſt, in qua tibi vel tuis deſervire poſſim, gratiſſimum mihi fore, ſi de ea re facias me certiorem: eſſet enim hoc mihi ſigni, & argumenti loco, te non eſſe oblitum mei. Tu cum adhuc nihil mihi juſſeris, neque ulla in re mea opera utaris, plane vereor, ne ex animo tuo effluxerim. Fraterne agamus inter nos; nolo defatigemur ambitioſe ſcribendo. Schedula vel latine, vel italice ſcripta ſatis erit, cum uſus venerit, ad ſignificandam voluntatem noſtram. Ego ita faciam; tu idem ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

XIX.

Petro Paulo Origonio Jureconſulto Præſidi Digniſſimo, & Sapientiſſimo Viro, Aonius Palearius S. P. D.

FAcultate legum noſtrarum, ſi ea recte adminiſtretur, nihil eſt præſtantius; eadem ſi cum improbitate conjuncta ſit, nihil eſt deterius. Id cum ſuperiore anno ſcriberem tractatum Criminalium, ſæpe mihi in mentem venit, quem cùm primum abſolviſſem, &, ut fit, cogitarem de dedicatione, nemo omnium mihi occurrit, cui juſtius eum dicare, quam tibi, magne Præſes Senatus; cùm quod probitate iſta tua dignus es, ut omnes honores, qui excogitari poſſunt, tibi deferantur, tum quod Juriſprudentia excellis, tum quòd integritate admirabili, quod de principe ac moderatore Senatus Athenienſis dictum fuit, de te vere dici poteſt, tuum nomen in nullius tabulis accepti, & expenſi comparere. Hæ cauſæ ſingulares, & potiores. Acceſſit illa etiam, quòd cum verborum novorum uſus accideret in criminibus tractandis, vir deligendus erat, qui magis res ipſas, & ſenſa legum perciperet, quam lenocinia quæreret verborum. Habent Juriſperiti ſuum dicendi genus, & illud duplex, alterum novum, & vitioſum, quibuſdam tamen ſæculis uſitatum, planum, atque apertum, quod ad ſermonem vulgarem propiùs accedat; alterum antiquum, gra-

gratioſum, elegans, & perpolitum, frequens melioribus ſæculis, ſed hoc tempore ignotum, obſcurum, anceps; quo ſi utamur, implicabimus potius quam explicabimus res, & faciemus potius quam decidemus lites. Laudamus vetera, utimur novis: ſic mea fert opinio, imo ita res ſe habet. Sed video mihi obtrectatores paratos, quorum ut retundam audaciam, coerceam loquacitatem, nihil mihi tanti eſt, quanti auctoritas tua, cui placuiſſe ſumma laus eſt, ad quam ego non aſpiro; ſatis eſt non improbari, ſatis eſt admitti iſtam dedicationem. Tuum mihi nomen adimet omnem invidiam, ſedabit omnes turbas. Si Deus me hujus voti compotem fecerit, ut hic meus liber non contemnatur a te; nemo erit tam nullius pudoris, qui verbum auſurus ſit proloqui, & os tollere in me. Suſcipe igitur, ſancti Senatus Præſes, & juris civilis præſidium, me, & meum libellum, neque aſpernare hoc quodcumque eſt muneris, quod homo, qui te colit, & obſervat, dat, dicat, addicit amplitudini nominis tui. Vale.

XX.

Joanni Michaeli Bruto, Aonius Palearius S. P. D.

TAmetſi video nihil fieri potuiſſe amantius, quam quod abs te factum eſt, ut in libellis epiſtolarum clarorum virorum mea quoque legerentur; voluiſſem tamen, antequam eas ederes, dediſſes ali-

quid

quid ad me litterarum, quibus ego ſcire potuiſſem cogitationem iſtam dignam ingenio tuo; neque enim ſiviſſemus deſiderari a nobis genus hoc epiſtolarum, quibus veterum Auctorum loci explicantur. Sed tu ex Hiſpania veniens, cum per Galliam iter faceres, & libellos ederes, noluiſti amittere occaſionem ornandi mei. Peto a te pro amicitia noſtra & benevolentia in te mea, ut cum rurſus iſtos libros edendos curaveris, facias me certiorem; cupio enim, epiſtolam meam quamdam, cujus exemplum cum his litteris ad te mitto, includi libellis tuis. Vide quantum tibi tribuam; puto de auctoribus epiſtolarum, qui a te nominantur, dubitaturum eſſe neminem. Quæ res ea eſt? Simiolus quidam epiſtolam meam pro ſua vulgavit, paucis quibuſdam mutatis, & deleto meo nomine, & Vincentii Portici, civis Lucenſis nobiliſſimi, & Juriſperiti diſerti atque eloquentis, ad quem ego iſtam ipſam annis proximis ſuperioribus dederam; quam ubi videbit ab alio teneri, vereor, ne ſuſpicetur, aut aliunde me accepiſſe, aut conceſſiſſe alteri illiberaliter. In ea quoque, quæ eſt ad Luiſinum, aliquid addi volo: ſcripta fuit epiſtola, cum hæc provincia arderet bello, & vectigalibus factis deterioribus, anguſtia pecuniæ publicæ laboraretur; quo tempore, niſi Præſidis Origonii divina virtus, & Senatus liberalitas me ſublevaſſet, & Præfecti Ærarii ſplendor, & Ædilis ac Decurionum propenſio animi in bonas litteras

teras me ſuſtinuiſſet; didiciſſem profecto, quid eſſet familiam ducere, & belli tempore....... Cognoſce ingenia hominum & humanitatem provinciæ: ſunt hic omnia magnifica & ſumptuoſa, laute vivitur & delicate; in omnium tamen rerum inopia abundavimus omnibus rebus; difficillimo Reipublicæ tempore ſtipendium mihi fuit perſolutum, datæ immunitates cum commendatione etiam ſtudiorum meorum, & teſtificatione benevolentiæ in me univerſæ civitatis. Secuta eſt pax optatiſſima & cariſſima, & affinitas ſummorum Regum, quæ mihi fecerunt omnia meliora. Acceſſiſſet fortaſſe aliquid, ſi oratio mea de pace plena lætitiæ & publicæ hilaritatis pervenire potuiſſet ad Regem Regum Philippum, ante triſtiſſimum nuncium de acerbiſſima morte ſoceri Henrici Galliarum Regis [1]. Nunc iſto luctu elanguit; nam periiſſe nolo dicere præſtantiſſimam lucubrationum mearum: quæ ne ab aliquo intercipiatur, conſtitui cum typographo, a quo tibi præmittentur litteræ excuſæ typis noſtratibus; ne ſi editio ſecunda tuorum librorum differetur, ſimiolus interea geſtiat. Vulgatæ epiſtolæ meo nomine, veluti cornix Horatiana dabit mihi pœnas temeritatis & impudentiæ ſuæ. Vale Mediolano.

XXI.

1 Hinc fit a. 1559. ſcriptam hanc epiſtolam fuiſſe.

XXI.

Ad Ducem Florentiæ.

NÆ ego homo infelix ſum, optime Princeps, niſi idem Senatus, ut eſt benignus & clemens, qui pro me ſupplicavit, gratiam etiam agat Excellentiæ tuæ. Nihil enim ab homine tenui, ne in gratiis quidem agendis proficiſci poteſt, quod aliqua ex parte reſpondeat amplitudini eorum, quos Providentia Dei ſuſtulit in altiſſimum locum, ut eos ſuſcipiamus, revereamurque tamquam effigiem & imaginem ſuam. Gratiarum igitur actionem Patribus illis cœleſtibus, & divinis relinquo; cultum & religionem mihi ſumo, ut Excellentiam tuam veluti Nùmen agnoſcam, quod præſens apparuit tenuitàti meæ: quæ quoniam commendatione ſtudiorum ſublevata eſt, nullum fuit tempus, in quo ego magis optarim, ut ex me eluceret aliquod lumen ingenii, quod cùm ſemper mihi fuerit exiguum, tùm hoc tempore, ſicuti oculorum acies radiis Solis, ſplendore iſto regiæ liberalitatis tuæ ita præſtringitur, ut homini, qui fere omnem ætatem egit in litteris & exercitationibus Oratoriis, verba etiam deſint, quibus exprimere poſſit addictionem animi ſui, & magnitudinem beneficii accepti. Sit hoc, ut eſt proprium, ſic etiam perpetuum feliciſſimæ domus tuæ; ut plura & majora det ſtudioſis ingenuarum artium, quam homi-

homines dicere, & cogitare poſſint, in qua una plus ſubſidii ſemper invenerunt bonæ litteræ, quam in omnibus regnis, & ditionibus orbis terrarum. Vale, mi Rex, ſpes ſenectutis meæ, & præſidium ſtudiorum meorum. Mediolani.

XXII.

Ejuſdem ad Senatum Mediolanenſem.

TEnuitati meæ P.C. nullum remedium eſt præſentius liberalitate veſtri Regis, & benefica natura veſtra, & ſapientia iſta Senatus, qui cum omnia Regis nomine decernat ac ſtatuat decenter, præfert ſplendorem & majeſtatem, & benigne indigentibus ſuccurrit, & ſapienter conſulit communi bono. Ea re nunquam apud vos liberalia ſtudia honeſtiſſimis præmiis caruerunt, nunquam boni viri auxilio ſunt deſtituti. Nihil deeſt civitati noſtræ, quin poſita in Italiæ luce, & pulcherrime eniteat, ſitque humanitate & magnificentia omnium facile princeps. Decennium ſum apud vos P.C. Qui annus fuit, quo non fuerim veſtris beneficiis cumulatus? Primùm Regiis litteris per vos ex Hetruria fui accitus amplo ſtipendio conſtituto: deinde privilegio honeſtatus, datis immunitatibus; poſtea ſtipendio auctus; poſtremo cum conſenuiſſem, rationem habuiſtis ſenectutis, & infirmæ valetudinis meæ. Senatuſconſulto denique feciſtis, ut commode apud vos agere poſſim

cum

cum familia. Immortales ago vobis gratias P. C. agamque dum vivam; nunquam ex animo meo effluet memoria meritorum veſtrorum; neque labor interea, neque ſegnities, neque res alia me ab aſſignato munere officioque retardabit. Pergam candidioribus litteris, quibus vos tantopere delectari video, inſtituere juventutem, cujus cauſa, Regis etiam nomine, in me perliberales fuiſtis. Demum quæſo, Regi ac duci veſtro omnia feliciter contingere; itaque ejus urbes ac ditiones augeantur, ut quò vos plura dederitis ejus nomine, eò ſemper ſuperſint plura; & civitas Mediolanenſis, quæ nunc pio, juſtò, ac ſapienti Præſide a Deo donata eſt, ita omnibus bonis abundet, ut ejus præſidio, veſtraque virtute, & communi conſilio, opera, cura, providentia, ſit felix & beata.

XXIII.

Ejuſdem Supplicatio,

DOmus liberorum Adami Lomatii ad D. Benedicti, in annum triginta ſex nummis ſcutatis ſummùm locari ſolet. Eam ab hinc triennium conduxit Franciſcus Spinola ad plures annos, lata conditione, ſi tutor ſumptu pupillorum hortum qui domui eſt adjunctus dilapidaret, & ruta auferret, ſe pro penſione annua ſcutatos quadraginta ſoluturum: ſin minus triginta ſex tantum. Dilapidatio cœpta eſt, nunquam tamen abſoluta;

ruta

ruta abducta non ſunt ; nunquam ergo pecunia depenſa & enumerata eſt excedens triginta ſex ſcutatos in ſingulos annos. Spinola cum peregre profecturus eſſet, domum Lomatii ſibi locatam, & jus ſuum ceſſit Aonio Paleario. Interea mater pupillorum vidua, quæ filiorum erat curatrix, nupſit. Agnatis petentibus decrevit Senatus novum tutorem dari. Declaratus eſt, & inſtitutus a Prætore Urbano legitimus tutor Octavianus Carpanus. Eum Aonius convenit, & jus ſibi a Spinola tranſlatum oſtendit, & ceſſionem locationis domus Lomatii; in quam cum eſſet migrandum, rogat ut domum quam poteſt ſibi faciat commodiorem: ut ſcilicet in ædium parte vel media, vel ſuperiore latrina ſit, in quibus nulla eſt; ut aquariolum pro aquis ſordidis excipiendis ad culinæ uſum accommodetur; ut in camera inferiore, quæ ſane commoda eſſet, niſi eſſet obſcurior, feneſtra fiat, quæ ad meridiem vergit, & ad hortum ſpectat. Penſionem ex Spinulæ conditione firmam pollicetur ſcutatorum quadraginta ad novem annos. Tutor, ut eſt vir accuratus & prudens, intelligit his conventis penſionem auctiorem firmioremque fieri, neque negat domum, latrina, & aquariolo, & feneſtra facta, fieri meliorem tenui impenſa, quæ quindecim ſcutatorum ſummam non ſit exceſſura; ſed ut pupillorum ſumptu fiat, facultatem ſe non concedente Senatu habere, id vero pernegat. Quamobrem P. C. ſupplicat Aonius Regum maximo Regi Phi-

Philippo, a quo vos in hoc conſilium delecti pulcherrime ſedetis, ut ejus nomine poteſtatem faciat Senatus Octaviano Carpano tutori legitimo, ut ad ſummam ſcutatorum quindecim, vel pluſculum, pro tam neceſſariis rebus, quibus ſine dubio melior fiat domus, poſſit impendere; ita ut pecunia, quæ pro rebus firmis & ſtabilibus, quæ ad uſum perpetuum domicilii ſint manſuræ, fuerit impenſa, ea poſſit ac debeat expenſa ferri pupillis ad rationem annuæ penſionis Aonii.

XXIV.

Ejuſdem alia Philippo Regi.

Aonius Palearius Verulanus a Senatu erudiendæ juventuti litteris Græcis, & Latinis... cum videret ſibi fere quotidie eundum eſſe in gymnaſium publicum ad Broleti forum, domum hæredum Adami Lomatii, non longe ab eo gymnaſio conduxit in novem annos ab Octaviano Carpano eorum tutore; in qua cum non ſatis commode habitaretur, ſupplicante Aonio, data fuit facultas tutori a Senatu, & litteræ patentes conceſſæ, ut quò domus fieret commodior, ſumma viginti annuorum ſcutatorum impendi poſſet; ſcilicet pro aquariolo faciendo ad culinæ uſum, ut in media parte vel ſuperiore domus latrina eſſet, & in cella inferiore, quæ ad hortum ſpectat, feneſtra clarata fieret. Quæ pecunia ab Aonio ſubmini-

miniſtraretur, pupillis tamen ferretur expenſa, ejuſque pars retineretur a conductore ſingulis annis, ad rationem duraturæ locationis. In qua domo cum Aonius quatuor annos habitaſſet, & pecunia illa ſane fuiſſet exigua, & alia facienda reſtarent, quibus domus multo poteſt fieri melior, cum tutore de integro convenit, pollicens, ſe ſua pecunia omni impenſæ ſatisfacturum, omniaque condonaturum pupillis, ſi ſibi in alios novem annos locatio prorogaretur, additis etiam conditionibus, ut ſi quid interea Aonio humanitus accideret, aut ſi, eo etiam ſalvo, continget Mediolano recedere, domus illico, condonatis omnibus impenſis, ad hæredes rediret. Tutor, perſpecta utilitate pupillorum, conditionem accipit, prorogat locationem in novem alios annos. Joannes Dominicus Scantianus notarius rogatus inſtrumentum ſolemniter confecit. Aonius, ut ſtaret conventis, in cella illa inferiore, quæ ad hortum ſpectat, in qua feneſtra facta fuerat, & tamen adhuc erat obſcura, alteram feneſtram eodem modo clatratam fecit; in cella illa inferiore, quæ ad viam publicam vergit, duas feneſtras clatris ferreis & retibus æneis munitas: & quoniam ambæ iſtæ cellæ, officinæ erant humilium fabrorum, foribus prope collabentibus, in utriſque murum duxit, & in formam camerarum urbanarum redegit, pavimento magna ex parte refecto; cortis aream lutuoſam lateribus ſtravit, in quam

cum ſtillicidia defluerent, ad aquas pluvias arcendas, quæ in cellam vinariam erumpebant, ciſternam ubi nunc hortus eſt, excavavit; ducta teſtudine in aula ſuperiore, aditum in cameram vicinam & in culinam aperuit, & valvas appoſuit; & ut e puteo in partem ſuperiorem domus aqua hauriri poſſet, parietem obduxit muro; culinam ipſam, quæ tecto rariore quaſi ſub dio erat ad ventos expoſita, tabulis texit; locum ruinoſum oppletum ſaxis, & reliquiis, quæ porriciebantur, dum domus eſt exædificata, purgavit, coluit, & in horti formam redegit; terram agreſtem ac ſterilem feracem reddidit, areolis diſpoſuit, & viarum ſpatia diſtinxit, lateribus arbores nobiliſſimas ſevit, vites ordine poſuit, pergulam erexit, horti murum qui eſt ad viam publicam prope collabentem reparavit. Quæ omnia magna impenſa, ſummis laboribus facta ſunt ab Aonio, ea ſpe, ut muneri Interpretationis publicæ ſibi a Senatu aſſignato commode poſſet inſervire, & aliquando cum juvenibus ad ſe venientibus diſſerendo in hortis ſpatiari. Nunc, cum domus ſit facta commodior & omnibus rebus melior, in oculis eſt multorum, qui penſionis majoris oblatione hæredes Adami ſolicitant. Eorum curator & vitricus Joan. Baptiſta Caſtalio domum ſibi addixit pro dote matris hæredum ſibi nuptæ; & vel quod tutori ſit infenſus, quicum litigavit, vel quod ad majorem penſionem animum appulit, locationem oppugnat.

gnat. Quamobrem Aonius æquitatem tuam implorat, juſtiſſime Rex Philippe, & ad pedes tuos ſe abjiciens ſupplicat Majeſtati tuæ, primùm, ut ea locatio firma ſit, ne homo annum agens ſexageſimum quartum cogatur magno incommodo ſuo & adoleſcentium, qui ad eum ventitant, aliam quærere; deinde (quod non ſperat) ſi domus ſit dimittenda, rogat, ut quoniam bona fide agire oportet, impenſæ bona fide factæ ſupra viginti numos ſcutatos conceſſos a Senatu, omnes ad noviſſimam uſque reficiantur; poſtremo, quoniam hoc prætextu quo agit Vitricus, quod Domini domus in eam migrare velint, veretur de impoſtura, cum præſertim ipſe Caſtalio Vitricus, & ejus pater, ſint Procuratores nobiles & exercitati; idem Aonius rogat & ſupplicat, ut ſibi diligentiſſime caveatur per edictum Senatorium, gravi mulcta conſtituta, in quam ſtatim incidant vel hæredes, vel curator Vitricus, ſi intra iſtos novem annos, qui Aonio debentur, eam domum vel totam, vel ejus partem alteri cuipiam locaverint; quæ mulcta ad ipſum perveniat, & ſolvatur ſine exceptione; ne in fallendo Aonio dolo malo & fraude mala, audeant illudere Majeſtati Regiæ, quæ ſacroſancta eſt, & fuit ſemper apud omnes gentes & Nationes.

XXV.

Alia Senatui.

ACceſſit annus, P. C., accuſationi meæ a Reverendo Padre Inquiſitore Mediolanenſi [1], qua nihil mihi moleſtius accidit in vita: incredibilis enim fuit conſpiratio quorundam in me, ob orationem latinam, ſcriptam pro me ipſo, & impreſſam annis ab hinc plus xxv; pro qua accuſatione nunc avelli cogor a juventute veſtra, ad quam erudiendam publicis litteris Regis, etiam veſtro nomine accerſitus a vobis ſui ex Hetruria. Nunc litteris Reverendiſſimi Domini Cardinalis a Piſa, Inquiſitor mihi edictum propoſuit, & imperavit, ut me in urbem Romam quamprimum conferam, & ad diem mihi dicendam ſiſtam ad Collegium Sanctæ Inquiſitionis Romanæ. Cui ego in primis reſpondi, me Senatui ita eſſe addictum, ut de me non poſſim ſtatuere, niſi bona venia a Senatu impetrata; cui aliquid ſpatii dandum putarem, ut ſi velit, poſſit ſuo commodo alium eligere & ſufficere in meum locum, & interea ego duos, vel tres menſes pergere in interpretatione Græca, & Latina, ne juventuti noſtræ, cui ſemper conatus ſum eſſe adjumento, hoc tam propero diſceſſu ſim detrimento. Ego, P. C., etſi ætate confectus ſum, & infirmiſſima valetudine, tam longum iter aggredi non horreo; vel-

[1] Angelus de Cremona.

vellem tamen extremum hoc tempus annui muneris abſolvere, & ſtipendium exigere in tempore. Id ſi per Inquiſitionem non licet, æs tamen alienum aliquod, quod contraxi in civitate veſtra, diſſolvendum eſt, & pecunia habenda pro viatico, & qua, dum Romæ ero, me ſuſtentem, & ſi Deus me voti compotem fecerit, ut abſolvar accuſatione indigna, ut ad munus interpretationis a vobis mihi aſſignatum redeam; vos rogo atque oro per liberalitatem Regis veſtri & magnificentiam, ut unam ex quatuor partibus penſionis Interpretationis hujus anni, quæ non mea culpa impeditur, mihi condonetis, & cum penſione feriarum æſtivarum, mihi Senatuſconſulto ante tempus perſolvi jubeatis, ut edicto Patris Inquiſitoris, in cujus manu ac poteſtate ſum, parere poſſim. Quod beneficium erit mihi monimentum perpetuum ſanctiſſimi Senatus, & memoria ſempiterna maximi Regis & Ducis veſtri, quem Deus, & Pater D. N. J. C. auguſtiſſimum & feliciſſimum conſervet.

Excellm̄i & Sm̄i Senatus Mediolanenſis obſervantiſſimus Aonius Palearius.

Optimo Principi Carolo Auſtrio Philippi F. Ducis Mediolani, Hiſpaniarum, Neapolis, & Siciliæ Regis.

PRogenies Regum, Regis Divina propago
Carole, magni hæres nominis atque animi;
Utraque cui Heſperia aſſurgit, tibi debita regna,
Ad cujus nomen Africa tota tremit;
Quem ſcit ab unguiculis inter cunabula, ferro
Tantillum teneras applicuiſſe manus,
Atque in deliciis imitantes fulmina bombos
Sulphureo accenſos igne fuiſſe tuis;
Vix puer, & magnis torquebas viribus haſtam,
Diſceret ut certum dextra ferire locum,
Vix puer, & valide aſſurgebas altus in enſem
Diſceret ut punctim dextra ferire latus.
Si quando Heroes belli ſimulacra ciebant,
Juppiter! ut magnus tum tuus ardor erat?
Lucebat nondum, & tectus lucentibus armis
Terribili ſtabas conſpiciendus equo:
Inter & Heroas, pugnas pulcherrime obibas,
Princeps, Dux, & Rex, & decus omne tuis.
Non tibi jentacli, non cœnæ cura, ſed acrem
Ferre ſitim, & duram diſcere ferre famem;
Ipſa reducebant jam ſera crepuſcula noctem,
Et te non poterant nocte referre domum.
Ah quoties hyemis puer es mala frigora paſſus!
Ah quoties pueri torruit oſſa calor!

Ar-

Ardua magnanimo properanti ad munera Martis
Tœdia vel magni nulla laboris erant,
Unde valetudo te invaſerat, optime Princeps,
Pro quo fecerunt publica vota boni:
Et Superis agimus grates, & ſemper agemus,
Quod te conſpicimus ſoſpitem & incolumem.
Reſtituêre quidem illi te: ſi dicere fas eſt,
Numina ſunt precibus ſollicitata meis,
Italiam ut noſtram peteres, urbeſque videres
Quæque ab avo, atq. atavo ſunt tibi regna tuo
Parta tibi, ſervata tibi, prudentia, & armis,
Ut nobiſcum aliquo tempore noſter agas.
Sit tua perpetuis felix Hiſpania regnis;
Non tamen exemplis ſic agat ipſa ſuis,
Ut veteri innixus ſceptro, telam omnia Arachnis,
Atque umbram ſomni perbrevis eſſe putes.
Quod vetus eſt, fuit ante novum; carioſa ſenectus
Cum mala ſit, potis eſt ecquid habere boni?
Firma fides, moreſque probi, benefactaque Regum,
Æternis vinclis oppida capta tenent;
Cetera laxantur, nec ſunt cuſtodibus ullis
Tuta, nec antiqua Relligione patrum.
Aurea mala draco ſervaret in arbore quamvis
Quam ſacrarat Atlas, Heſperideſque Deæ;
Rapta tamen veluti virtutis præmia, falſo
Detulit ad Græcos Amphritrione ſatus:
At tibi ab Inſubrum quæ ſunt ſervata Dracone,
Secura, Princeps optime, carpe manu.

Non hæc Alcides, non Mars, non Juppiter ipſe
Auferet; uſque adeo ſunt bene tuta fide;
Qua ſapientis Avi virtus, bonitaſque Parentis
Et tuus hunc populum nunc tibi vinxit amor.

LUnedì a dì 3. Luglio 1570. Eſſendo ſtata chiamata la noſtra Compagnia Domenica notte, venuto il lunedì giorno tre di Luglio 1570. in Tordinona, d' onde ne fù dato nelle mani condennato a morte per via di giuſtizia dalli Miniſtri della S. Inquiſizione meſſer Aonio Paleari da Veruli abitante in Colle di Valdenſa, quale confeſſo, e contrito domandò perdono a Dio, e alla ſua glorioſa Madre V. M., e a tutta la Corte del Cielo, e diſſe voler morire da buon Criſtiano, e credere tutto quello che crede la s. Romana Chieſa. Non fece teſtamento alcuno, ſe non che ci dette le due ſottoſcritte lettere, ſcritte di ſua mano, pregandoci le mandaſſimo alla moglie, e figlioli ſuoi a Colle di Valdenſa.

Alla ſua Cariſſima Conſorte Marietta Paleari, ed a' ſuoi dilettiſſimi figlioli Lampridio, e Fedro Paleari. A Colle di Valdenſa in Borgo vicino a s. Caterina.

CONSORTE MIA CARISS.

NON vorrei, che tu pigliaſſe diſpiacere del mio piacere, ed a male il mio bene. E' venuta l' ora, ch' io paſſi da queſta vita al mio Signore, e Pa-

e Padrone, e Dio. Io vi vo tanto allegramente alle nozze del Figliolo del gran Re, del che ho ſempre pregato il mio Signore, che per ſua bontà, e liberalità infinita mi conceda; ſicchè, la mia conſorte dilettiſſima confortatevi della volontà di Dio, e del mio contento, ed attendete alla famigliola sbigottita, che reſterà, di allevarla, e cuſtodirla col timore di Dio, ed eſſergli Madre, e Padre. Io era già di ſettanta anni vecchio, e diſutile. Biſogna, che i figli con la virtù, e col ſudore ſi forniſcano a vivere onoratamente. Dio Padre, e il Signore noſtro Gesù Chriſto, e la communione dello Spirito ſanto ſia con lo ſpirito voſtro. Roma il dì 3. di Luglio 1570.

Tuo Marito Aonio Paleari.

LAMPRIDIO, E FEDRO FIGLIOLI DILETTISS.

QUeſti miei Sign. corteſiſſimi, inſino all' ultimo non mancano con eſſo me della loro corteſia, e mi permettono, ch' io vi ſcriva. Piace a Dio di chiamarmi a ſe per queſto mezzo, che voi intenderete, che vi parerà aſpro, ed amaro; che ſe il conſiderate bene, eſſendo con mia ſomma contentezza, e piacere, per conformarmi alla volontà di Dio, vi avete anco voi a contentare. La virtù, e diligenza vi laſcio per patrimonio con quelle poche facoltà, che avete. Non vi laſcio debito. Molti chiedono alle volte, e devono dare:

re: voi ſiete emancipati più di diecidotto anni fa, non ſiete tenuti a' miei debiti. Quando vi foſſero chieſti, ricorrete a ſua Eccellenzia il Sig. Duca, che non vi laſcierà far torto. Chiedi a Luca Pridio il conto del dare, e avere. Ci ſono, la dote di voſtra Madre, e di allevare la voſtra ſorellina, come Dio vi darà la grazia ſua. Salutate Aſpaſia, e ſor *Aonilla* mie figliole dilettiſſime nel Signore. L'ora mia ſi avvicina. Lo Spirito di Dio vi conſoli, e conſervi nella ſua grazia. Di Roma il dì 3. Luglio 1570.

Voſtro Padre Aonio Paleari.

Poi ſi celebrò la ſanta Meſſa. All'ora ſolita fu menato in Ponte, dove fu appiccato, e poi brugiato.

EPI-

EPISTOLÆ
M. A. MURETI
ET AD MURETUM
CLARORUM VIRORUM.

Digitized by Google

IN EPISTOLAS MURETI ET AD MURETUM

CLARORUM VIRORUM.

CUM reconditas Bibliothecæ noſtræ opes ſuperiori Volumine indicaremus, nominavimus in primis M. Antonium Muretum, virum omni litteraturæ & eruditionis genere perpolitum, cujus libri, magno loci illius ornamento, & noſtrorum ſtudiorum ſubſidio ad nos perveniſſent: non illi ſolum, quos ab aliis compoſitos editoſque in vulgus, pretio ſibi ſuoque uſui comparaverat; ſed multi ejus manu exarati codices, ſive qui animadverſionibus, caſtigationibus, notationibus omnis generis aſperſi, atque etiam pleno utroque margine onerati, ceteris pretioſiores, æſtimabilioreſque haberentur. Atque hæ animadverſiones adnotationeſque dignæ profecto ſunt, quæ in lucem aliquando proferantur; nec vero gratiam non inituros putamus a viris doctis, qui ſciant, ab illo ingenio nihil niſi perfectum ſolere proficiſci; præſertim quæ ad veteres auctores emendandos perpurgandoſque contuliſſet. Erat enim in eo homine recondita multarum rerum ſcientia, lectio omnium pene Græcorum & Latinorum Scriptorum aſſidua & diligens, acerrimum in iis æſtimandis ponderandiſque judicium; ut nihil illo fieri potuiſſe acutius, nihil etiam limatius, nihil elegantius videatur.

Sed non committam, ut laudationem me quiſquam inſtituere velle putet Mureti ipſius, quem nemo Græcarum, nemo Latinarum paullò ſtudioſior literarum non magnum atque eximium in utroque illo genere extitiſſe arbitratur.

Ita-

Itaque abſtinebo, atque eò me potius convertam, ut quid viri illius hac operis mei parte concluſerim, exponam. Sunt ſane pauca. Nam epiſtolas ejus omnes (epiſtolas autem ſolas complectitur hic liber) jamdiu alii vulgarunt; ſed quæ ad eum ſcriptæ ſunt litteræ, hominum ea ætate clariſſimorum atque eruditiſſimorum, multæ. Neque vero eas dum proferimus, non Mureti ipſius ſcripta proferre putamus. Ut enim in picturis, non ſolum quæ manu artificis alicujus & magiſtri factæ ſunt tabulæ, ſed omnes quæ ex ejus officina ac ſchola prodierunt, guſtu illo & artificio quod docuit elaboratæ, magni æſtimantur, & ad eum referuntur; ita pleræque harum epiſtolarum vel e ſchola ſunt Mureti ipſius; ideſt eorum qui eum magiſtrum audierunt, vel amicorum hominum, quos ſtudiorum & facultatis ſimilitudo arctiſſime conjunxit: in quibus ſi dicendi genus aliud eſt, atque ab eo Mureti haud paullò diverſum, at hominum eloquentia, & quæ in Mureto mirabilis fuit ex antiquorum lectione doctrina atque eruditio apparet. Præter hanc vero cum Mureto in dicendi genere, vel eruditione & diſciplina ſimilitudinem; duas res una opera conſequemur; ut doctiſſimorum ea ætate hominum memoriam excitemus, ac veterum Scriptorum obſcuris locis (ſunt enim multæ earum quæ hoc in argumento verſantur) aliquid lucis afferamus. Primum autem, cum eò majori cura præſtandum nobis videatur, quò animadvertimus jucundiſſimæ rei, ideſt hiſtoriæ litterariæ campum quotidie magis opera doctorum virorum & navorum hominum excoli & purgari; dicemus hic veluti in anteceſſum de iis, ad quos litteræ noſtræ datæ ſunt; ut rerum quæ in iis leguntur argumenta hominum cognitio aperiat atque illuſtret: potiſſimum vero Paulli Manutii, Dionyſii Lambini, Petri Poſſini, virorum utique doctiſſimorum, & Mureto conjunctiſſimorum rebus concludemus induſtriam noſtram;

ſtram; de ceteris, ubi ad eorum epiſtolas veniemus, quæ neceſſaria erunt, commemorabimus.

§. I. *De Paullo Manutio*.

I. DE Manutio adeo fuſe, adeo diligenter Apoſtolus Zeno in proœmio quodam verſionis epiſtolarum familiarium Ciceronis [1], ut paucis contenti eſſe poſſimus, quæ vel ille omiſit, his præſertim annis, ad quos litteræ noſtræ ſpectant, vel nullo teſte nominato eſt perſecutus. Et Paullum quidem hunc noſtrum ex Aldo genitum, & filia Andreæ Turriſani, nemo ignorat; Aldum vero patriam Baſſianum habuiſſe, qui pagus eſt, agri Romani Sermonetæ proximus, bene Zeno ſuſpicatur, ex eo quod *Baſſianatem* ſe ipſe vocet; uti aliàs ſæpe Romanum: addo ego, nunquam illum in præfationibus librorum ſuis, cum Baſſianatem ſe nominat, *Romani* additamentum illud præterire [2], explicationis credo cujuſdam gratia, ut ubi Baſſianum, quod multi ignorabant, eſſet, edoceret. De Aldo, præter eum, quem modo appellavimus Apoſtolum Zeno, diligentiſſime in *Annalibus Typographicis* Michael Maittaire [3], cùm ea executus, quæ ad hominem ipſum ſpectant, tùm quæ ad librorum hiſtoriam, quos ille elegantiſſimis typis, & novo poſtea a ſe excogitato formarum, ſive litterarum genere [4] multos edidit cùm Latinos, tùm vero Græcos ab anno 1494. ad annum 1515. [5], qui fuit ejus vitæ po-

1 *edit. Venet.* 1736. 2 *In Theſauro ſive Cornucopia Græco edit. a.* 1496. Aldus Manucius Baſianas Romanus ſtudioſis omnibus. *In parte operum Ariſtotelis, qua Phyſica ejus continentur, edit. a.* 1497. Aldus Manutius Baſſianus Romanus Alberto Pio Principi Carpenſi S. P. D.

3 *tom.* 1. *pag.* 229. *& tom.* 2. *part.* 1. *pag.* 37. 4 *Vid. aliud ab eo inventum in characteribus Græcis ap. Maittaire Annal. Typogr. to.* 1. *p.* 237.

5 *Vid. eumdem Maittaire tom.* 2. *pag.* 233. *Franciſcus Aſulanus in Præfat. dictionar. Græc. edit. a.* 1524. Cum ſororius noſter Aldus annis abhinc trigin-

tæ poſtremus, fato functus ante finitum Aprilem menſem; cum menſe illo viri amiciſſimi atque eruditiſſimi obitum deploret Jo. Baptiſta Egnatius [1]; atque eodem an. Andreas Aſulanus ad Ovidii Heroid. *menſe Majo*, addens quatuor ſibi orbos nepotes reliquiſſe. Paullus tunc annum ætatis tertium nondum expleverat, natus ſcilicet Pridie Idus Junii a.1512., ut colligere licet ex ejuſdem epiſtola ad Guillelmum Pacium [2].

2. Mortuo Aldo, non tamen inſtitutum ab eo veterum Scriptorum corrigendorum atque edendorum opus defecit, aut

triginta ſtudia bonarum litterarum injuria temporum collapſa turpiter ..... nobiſcum reſtaurare conaretur, optimos quoſque libros tum Græcos, tum Latinos imprimi perpetuo curabat. *Ita ergo explicandum*, *quod ad Simplicii commentarios in Phyſices libros Ariſtotelis præfatur ann. 1526. idem Franciſcus*; Cum trigeſimum & amplius ab hinc annum Aldus Manutius ad rem litterariam reſtituendam adjeciſſet animum &c. *Atque ad ejuſdem Simplicii libros de Cœlo eodem anno editos Andreas Aſulanus*; Annus fere agitur trigeſimus, ex quo Aldus noſter ...... ad Græcas litteras pene conclamatas animum appulit. *Quatuor tamen annos ſe* intermiſiſſe provinciam ſuam, *quod tota Italia bello arderet*, *teſtatur ipſe Aldus epiſt. in Pindarum edit. a. 1513. poſt quos ait ſe rediiſſe ad labores*, *quos erat* jam viginti annos expertus. *Non eſt hic prætereundum*, *videri M. Muſurum libris Græce edendis fuiſſe a Senatu præpoſitum a. 1503. Ita enim ipſe de ſe Præfat. oper. Gregorii Nazianzeni edit. in ædibus Aldi a. 1516.* Jampridem enim a me cautum eſt, ut e publica Græcarum litterarum officina, cui liberalitate beneficioque Veneti Senatus tredecim jam annis præſidemus &c.

1 *In præf. ad Lactantium editum menſe Aprili a. 1515. Maittaire to. 1. p. 229. & to. 2. p. 53. mortuum hoc anno collegit ex Muſuri epiſtola Grammaticæ Græcæ præfixa, data Idibus Novembr. a. 1515. Sed nos commodius, ut videmur, ex Lactantio illo; & ſi certi eſſemus (quod probabile videtur) mortuo Aldo, noluiſſe Andream generum ejus dedicationem ponere, nulla mortis mentione facta, accuratius etiam tempus haberemus. Editus eſt enim* Catullus, Tibullus, Propertius *cum epiſtola Aldi nuncupatoria libri Marino Sannuto* Venetiis in ædibus Aldi & Andreæ Soceri menſe Martio MDXV. *Addas, menſe Aprili Tertulliani Apologeticum editum dedicatumque ab Egnatio Gaſparo Contareno, non appellato Aldo, quaſi tunc viveret. Hinc adulto menſe Aprili eum obiiſſe ſuſpicor.*

2 *lib.* IV. *ep.* 50. Venetiis MDXXXIII. Prid. Id. Jun. qui mihi primus dies eſt anni XXI.

aut elanguit, ſed ſtrenue idem proſecutus eſt Andreas Aldi ſocer, publicique juris fecit multos libros eo ipſo, & proximis annis; ut nec Aldum, magnum illum artificem atque magiſtrum, ſi bonorum luctus taceret, mortuum perſentiſceres: præſertim cum librorum ſubſcriptiones eædem, quæ illo vivo poſtremis annis fuerant, perſeverent, *In ædibus Aldi, & Andreæ Soceri* [1]: quæ quidem inſcriptiones viros etiam doctos aliquando fefellerunt, ut vivum exiſtimarent [2]. Accedebant Andreæ opere ſocii comiteſque, duo ejuſdem filii Franciſcus & Fridericus: qui quidem omnes curabant, ut illa veluti hæreditas de optimis Auctoribus benemerendi integra perpetuaque ad Paullum perveniret: quod in præfatione quadam Franciſcus his ferme verbis prædicat [3]. Nec Scriptores modo formis excudebant, ſed elegantiſſimis præfationibus ornabant. Itaque multas eorum legas [4], præſertim vero Franciſci, qui quidem a Joh. Baptiſta Egnatio hæreditariam Aldi laudem dici-

1 *Ita in Lactantio, & aliis multis: antea vero in epiſtol. ad Atticum* MDXIII. menſe Junio, *Cæſaris commentariis* eodem anno *menſe Aprili &c.*

2 *Fabricius in Bibl. Græc. tom.2. pag.*615. Primus omnium Aldus Manutius Tragœdias Æſchyli Græce publici juris fecit Venetiis 1518. ſed parum emendate.

3 *Ad Dioſcoridem Græce editum* in ædibus Aldi & Andreæ Soceri a.1518. *ſcribens*: Nos autem eo conſilio hæreditatem Aldi, quem loco patris habebamus, adire voluimus, ut illam integram filiis ejus, qui ex ſorore noſtra ſuſcepti eſſent, conſervaremus.

4 *Vid. Oppianum Græce editum a.*1517. *Artemidorum a.*1518. *Livium, Pomponium Melam, & Joviani Pontani opera eodem anno. Plutarchi vitas, & Horatium a.* 1519. *Scholia antiqua in Homerum, Polybium latinum, Apulejum* 1521. *Plautum, Trogum, Aſconium a.*1522. *Ciceronis Philoſophicos libros, Silium Italicum a.*1523. *Herodianum a.*1524. *&c. omnes hæ aliæque multæ, Franciſci ſunt. Fridericus præfatur ad tom.* 2. *Galeni editi a.*1525. *Ad tom.* 1. 4. *&* 5. *Andreas. Ad to* 3. *Franciſcus. Andreas præfatus eſt etiam ad Simplicium in Ariſtotelem de cœlo a.*1526. *& de anima* 1537. *&c. Friderici nomen ſæpius invenitur in libris multo poſt hoc tempus editis; ut in Ariſtotele edito a.*1551. *&* 1552. *in Olympiodoro a.*1551. *in Dione Chryſoſtomo &c.*

dicitur eſſe ſecutus [1]. Hi vero non a gentili nomine, ſed a nomine patriæ ſæpius ſe appellant, videlicet Aſulanos [2]. Tandem mortuo Andrea anno 1529. (quo anno edita eſt *Recognitio Veteris Teſtamenti ad Hebraicam veritatem per Auguſtinum Eugubinum*, cum nota illa, *Venetiis in ædibus Aldi & Andreæ Soceri*) intermiſſum eſt Aldinorum typorum opus; nec ad annum 1533. repetitum; quod etiam Apoſtolus Zeno obſervavit.

3 Nunc ad Paullum, a quo parentis Aldi mors nos aliquamdiu abſtraxit, redeundum eſt. Eum Aſulæ, oppido ſatis eleganti, magnam pueritiæ ſuæ partem traduxiſſe, prodit ipſe de ſe, ſcribens Hieronymo Lippomano [3] in Turriſanorum, credo, domo, atque in magna rerum omnium abundantia, præterquam idoneorum magiſtrorum. Idem Manutius narrat Stephano Saulio [4], a prima pueritia ita quidem in litteris eſſe verſatum, ut unam maxime ſpectaret eloquentiam, unam coleret atque admiraretur. Hominem ſcilicet ad ejus ſtudium ſua ſponte flagrantem magis inflammabant, qui tum vivebant clariſſimi viri Bembus, Sadoletus, Bonamicus, Polus. Fatetur tamen ipſe Paullus, non multum ſe in ea facultate intelligere potuiſſe; & præter verborum ac nonnullarum ſententiarum ornamenta, nihil agnoviſſe: donec venalibus magiſtris ereptum, Benedictus Rhambertus, qui paullum eum ætate ante-

1 *In epiſtola nuncupatoria Cornelii Celſi Cardinali Herculi Gonzagæ* a. 1528. Sed quid ego dicam, quanto ſtudio Franciſcum Aſulanum tibi addictiſſimum feceris; qui hæreditariam Aldi laudem ſecutus, nihil non egit, ut bonæ litteræ cum Græcæ, tum Latinæ in dies majorem recipiant cultum?

2 *In Inſcriptionibus ſæpe* Andreas, Federicus, Franciſcus Aſulanus &c. *quas omnes vel uno in Galeno videre poſſumus. Atque illius Auctoris tomum* IV. *Hieronymo Aleandro, & tomum* V. *Joh. Baptiſtæ Opizoni nuncupans Andreas*, Vale, *inquit*, Aſulanorum tuorum memor. *Diploma vero ipſius Clementis*; dilectis filiis Andreæ de Turriſanis de Aſula &c.

3 *Epiſtolar. latin. lib. 1. epiſt. 16.* 4 *lib. 1. ep. 3.*

antecedebat, ſed ex Gaſparis Contareni præſtantiſſimi viri conſuetudine & diſciplina verum hauſerat litterarum guſtum, erudire Manutium præceptis, atque exemplo ſuo cœpit. Præter Rhambertum, multum ſe debere Baptiſtæ Egnatio, affirmat in nuncupatoria epiſtola litterarum familiarium Ciceronis Maphæo Leoni [1]. Sed hæc ſpectant etiam ad id tempus, quo Aſula Venetias commigravit; quod quando acciderit, docere non poſſum. Cum ergo huic diſciplinæ magnum juvenis ingenium accederet, voluntas vero maxima; brevi tantum profecit, quantum ejus adoleſcentis opera demonſtrant. Sed currentem primò virium imbecillitas; deinde domeſticorum incommodorum impedimenta retardarunt. Cum enim totus eſſet in eloquentia excolenda; nec ſatis parceret valetudini, incidit in morbum; qui, cum eſſet per ſe gravis, eò etiam factum ait periculoſiorem, quod uſu librorum ſibi a medicis interdicto, magna eſt animi affectio, atque ægritudo conſecuta. Tandem biennio elapſo, priſtinæ eſt valetudini reſtitutus.

4. Sed ex eo incommodo emergentem aliud excepit, quod ipſe appellat *domeſticas controverſias* [2]. Quæ eæ controverſiæ fuerint, non ita pronum eſt dijudicare: neque illas ſubindicavit nobis vir ceteroqui diligentiſſimus Zeno. Manutius vero hoc ſolum contentus eſt affirmare, ſe eas neque ſedare minimo negocio, neque negligere ſine gravi ſuarum fortunarum exitio potuiſſe. Auguror ego, controverſias fuiſſe fortunarum quaſdam cum Turreſanis. Video enim, qui, vivo Aldo, ejus operæ ſocios ſe & adjutores profitebantur [3], mortuo repente ejus factos eſſe ma-

1 Ille mihi primum ad eas artes iter oſtendit, a quibus bene beatoque vivendi ratio proficiſcitur. 2 *ep. Saulio lib.* 1. 3.

3 *Solus aliquando occurrit Andreas* in conſiliis Cepollæ *editis a.* 1504. In ædibus Andreæ Torreſani de Aſula. *In Campani etiam operibus a.* 1502.

Per

magiſtros. Nam Clementi VII. primam Galeni partem cum dedicaret Andreas, ita præfatur; *Quo in Remp. litterariam animo, ſemper ego, & Aldus ille olim gener meus..... fuiſſe videamur &c. cum præſertim vel hoc uno volumine edito nuper a me, patere cuilibet facile poſſit, me nullam ſumptus magnitudinem formidando, nullumque laborem fugiendo, omnem operam meam, atque induſtriam eò conferre conari, ut in diem magis emendatam & locupletem librorum ſupellectilem litterarum ſtudioſis noſtra queat officina præbere..... quotquot uſquam fere tota Græcia ſimul atque tota Italia reperiri codices potuerunt, incredibili cura ſumptuque, ſupra quam dici, abſque ulla mendacii aut vanitatis ſuſpicione, poſſit, conquiſivi &c.* Et Clemens tamen in diplomate ibidem adjuncto, datoque *Andreæ de Torreſanis de Aſula, & hæredibus quondam Aldi Manutii Ro. in civitate Venetiarum commorantibus*, hæc habet: *Exponi nuper nobis feciſtis, vos ad imitationem quondam Aldi Manutii Pii Romani, cujus impreſſoriæ artis ſucceſſores eſtis, novos quotidie libros tam Græcos, quam Latinos eiſdemmet characteribus, quorum ipſe Aldus primus inventor*

Per Bernardinum Vercellenſem juſſu domini Andreæ Torreſano de Aſula. *Dubitat Maittaire, an idem ſit hic noſter, atque Andreas de Aſula, qui legitur in libro edito a.*1486. Div. Thom. Continuum in IV. Evangeliſtas. Per Andream de Aſula, & Thomam de Alexandria. *Eumdem eſſe arbitror ex hujuſmodi ſubſcriptionum ſimilitudine, & ſociis, qui ei adjunguntur. Nam qui in Ciceronis epiſtolis familiar. & VI. Decretal. a.* 1483. *& a.* 1485. *in Cicerone de Oratore jungitur cum Bartholomæo Alexandrino*: Per Bartholomæum Alexandrinum, & Andream Aſulanum, *ſuppreſſo utriuſque cognomine a.*1480. *in Virgilio cum commentar. Servii*, Arte... Bartholomæi Blavii Alexandrini, & Andreæ Torreſani de Aſula; *Jungitur cum Aldo, & Socer vocatur conſueta deinde formula*, In ædibus Aldi, & Andreæ Soceri *ab a* 1501. *in Juvenali & Perſio. Suſpicor ergo initam tunc inter utrumque affinitatem, & circa illud tempus Aldum duxiſſe Andreæ filiam. Sequitur tamen diu poſtea in libris Aldi antiqua formula*: In ædibus Aldi, *ut in Euripidis Hecuba a.* 1507. *&c. aut alia*: Apud Aldum *in Rhetoribus Veteribus Græcis a.* 1508. *etſi ab hoc anno frequentius cum Andrea Socero conjungatur.*

ventor fuit, cura & impenſa veſtra impreſſos in lucem edere. Deinde idem ſignificare videtur, quod mortuo Andrea diu ſiluerit Manutiana officina; cum tamen non deeſſent Andreæ filii, qui opus proſequi atque urgere poſſent. Denique aliam video in libris poſteriori tempore impreſſis; & commutatam priorem inſcriptionem, atque hanc ſuffeċtam; *Venetiis apud Aldi filios, expenſis vero nobilis viri Federici de Turriſanis eorum avunculi* [1]; poſtea aliam quoque [2]: *Venetiis apud Federicum Turriſanum*, ubi tamen inſigne eſt illud Aldi, anchoræ cum piſce. Novatum quoque diploma eſt Pontificis Romani, atque inſcriptum [3] *Federico de Turriſanis quondam Andreæ de Aſula, impreſſori Veneto.*

5. Utcumque ſit (nam in hujuſmodi rebus diutius immorari hominis eſſet nimium abutentis ocio, & litteris) compoſitis, ſive ſedatis tantiſper controverſiis clauſam, ut diximus, Andreæ Aſulani obitu Manutianam officinam Paullus aperuit a. 1533. Apoſtolus Zeno hoc etiam addit; primum ab eo editum librum fuiſſe Ciceronis familiares epiſtolas, quas dedicavit Maphæo Leoni Patritio & Senatori Veneto tunc florenti litterarum, & ſapientiæ fama; qui tamen cum novem poſt annos a patriæ charitate deſciviſſet, perfidiæ damnatus eſt: itaque Manutio eas epiſtolas iterum edenti a. 1554. aliiſque annis conſequentibus [4], alius quæſitus eſt, cui eæ inſcriberentur, Matthæus Senarega; eaque ſolum dedicatio nunc inter dedicationes præfationeſque, Manutii epiſtolis ejuſdem poſtpoſitas legitur. Hoc quod Zeno aſſeruit, vereor ut verum eſſe poſſit, ſi ſubſcriptiones librorum, quibus temporis nota continetur,

N 3 con-

1 *In Ariſtotele Græce edito a. 1551. & 1552. In Olympiodori commentariis Græcis in Meteora Ariſtotelis a. 1551.* 2 *In Pſelli commentariis Latinis in Phyſica Ariſtotelis a. 1554. In Etymologico magno Græco 1541. &c.*
3 *In commentar. Olympiodor. ad Meteor. Ariſt.* 4 *a. 1556. a. 1564. quas viderim.*

conſulamus. Eſt enim inſcriptio epiſtolarum hujuſmodi; *Venetiis in ædibus hæredum Aldi Manutii, & Andreæ Soceri menſe Octobri* MDXXXIII. Sed alios libros leges cum nota anni ejuſdem, ſed priorum menſium. Atque ut omittam Ciceronis Rhetoricos libros cum inſcriptione a. MDXXXIII. *menſe Martio*, ſive quia anni initium apud Venetos menſe Martio dubiam facere notam anni poteſt, ſive quia, non tam nova editio, quam vetuſtioris, ideſt anno 1521. renovatio quædam cenſeatur (eſt enim eadem non modo forma facta, ſed paginis ſibi perpetuo reſpondentibus) quid dicemus Decadi quinctæ Livii, ubi legitur *Venetiis in ædibus hæredum Aldi Manutii Romani, & Andreæ Aſulani Soceri menſe Majo a.* MDXXXIII.? quid Pontani carminibus, ubi poſt verſus inſcriptos de laudibus divinis pariter extat, *Venetiis in ædibus hæredum Aldi Manutii, & Andreæ Soceri menſe Auguſto A.* MDXXXIII. Sed Zeno nimirum in errorem (ſi ideo erraſſe exiſtimetur) inductus eſt a nuncupatoria illa epiſtolarum Ciceronis epiſtola, ubi, poſt artis typographicæ commendationem ſatis uberem, addit Paullus; ut ea ſummam animo ſuo jucunditatem attulit, quod maximum decus pepererat, ſic contra nunc dolorem haud ſane mediocrem exhibere; *quod a nobis*, inquit, *aliquamdiu neglecta, præſertim eo tempore, quo retinenda diligentius fuerat, fortaſſe aliquam vulgo non optime de nobis exiſtimandi materiem dedit: quod ego tamen ipſum æquiore animo ferrem, & tamquam in tranſcurſu diſſimulare poſſem, niſi aliena hæc culpa nonnullas avitæ noſtræ laudi, & gloriæ tenebras offudiſſe videretur, quam antea pater Aldus dum laboranti rei litterariæ opem fert, primum ſibi maximam, deinde nobis etiam, quos ille genuit, haud minimam quæſierat; qui certe cum optimis artibus & ſtudiis tantum attulerit præſidii, quantum hodie ſtudioſi fere omnes intelligunt, dignus omnino videri poterat, cujus non modo rei, ſed etiam nominis hæredes eſſemus. Atque hæc*

hæc quidem cauſa potiſſimum effecit, ut ad delendam injuſtæ notæ maculam in hanc me rationem darem; cum alioqui magis animus ad otium, aut inſtitutum aliquod noſtris ſtudiis accomodatius inclinaret..... Itaque cum de ſuſcipienda provincia tandem mecum ipſe conſtituiſſem, primos labores, & vigilias noſtras, ad emendandas Ciceronis epiſtolas, quas familiares vocant, conferre volui; a quibus potiſſimum, ut auſpicarer, multæ ſcilicet rationes hortari me videbant: additque, ſe Baptiſtæ Egnatii hortatu atque præceptis confirmatum, hoc ipſum quicquid erat operis ſuſcepiſſe. Qui hæc dumtaxat, neglectis a Manutio editis libris, leget, idem fortaſſe, quod Zeno, exiſtimabit. Verum ſi illa ipſa attentius, & libri hujuſmodi inſpiciantur, conſtabit, familiares Ciceronis epiſtolas, animi deſtinatione, cura, labore, atque emendationis ſtudio majore primum Paulli opus fuiſſe, primum verò præciſe atque abſolute non fuiſſe: hoc enim libri quos diximus edocebunt; illud autem ſuadebit, quod ibidem Paulus ſubjungit, in Epiſtolarum familiarium caſtigatione, plus minus, octo menſes conſumpſiſſe, dum ad duodecim exemplaria magno cum labore conferret, quæ diligenter undecunque corrogata, hunc in uſum jam per biennium ſibi compararat. Neque hic eſt omittendum, quod pariter in ea dedicatione teſtatur, præter Egnatium, quem miris laudibus hominem extollit, magno ſibi adjumento fuiſſe Johannem Pierium Valerianum, Lazarum Bonamicum, Benedictum Lampridium. In epiſtola vero nuncupatoria operum Lactantii ſcripta a. 1535. Honoratum Faitelium.

6. Primos hos Paulli, & Manutianæ officinæ fructus, alii ſunt, vel eodem anno [1], vel continentibus annis conſecuti. Atque eo ipſo anno Italicos etiam Scriptores vulgare

1 *Ut Ovidii Faſti &c.* Venetiis in ædibus hæredum Aldi, & Andreæ Soceri menſe Decembri MDXXXIII. &c.

gare aggreſſus eſt, Petrarcam [1], & Balthaſarem Caſtilionem [2], cujus aureum librum ſæpius poſtea typis ſuis emiſit. Anno vero proximo, quo Valerium Maximum [3], auctores de Venatione [4], alioſque latinos Scriptores vulgavit, adjecit quoque animum ad Græcos; initio facto a Themiſtio; quod Victor Trincavellus Gaſpari Contareno nuncupans eum librum affirmat; ejuſque verba, quoniam illud quoque, quod nos ſuperius de controverſiis cum Turriſanis augurabamur, confirmant, nos hic ponemus: itaque ait; *Cum præclara illa & celebris Aldi Manutii officina, quæ ſemper bonorum librorum elegantem ſuppellectilem viris ſtudioſis, ut copioſe, ita feliciter ſubminiſtravit ..... ob varias ejus morte, & mox Andreæ Aſulani Soceri, ut fit, ſubortas perturbationes, non ſine maxima litteratorum omnium jactura aliquot annis fere deſtituta, atque, ut ita dixerim, jam clauſa*

1 Impreſſo in Vinegia nelle caſe degli eredi di Aldo Romano, e d'Andrea Aſolano nell' anno MDXXXIII del meſe di Giugno: *quam editionem optimam vocat Vulpius*. 2 Il libro dei Cortegiano del Conte Baldeſar Caſtiglione. In Venetia nelle caſe delli Heredi d'Aldo Romano, e d'Andrea d' Aſola ſuo Suocero nell' anno MDXXXIII. del meſe di Maggio. *Alias editiones vidi*, In Vinegia nell' an. MDXLI. in caſa de' figliuoli di Aldo. *Item a.* MDXLVII.

3 Venetiis in ædibus hæredum Aldi, & Andreæ Soceri menſe Martio an. MDXXXIV. 4 *Gratius, M. Aurelius Olympius Nemeſianus &c.* a. MDXXXIV. menſe Februario. *Nefas puto, omitti hic quæ in commendationem Paulli habet Georgius Logus in epiſtola horum auctorum dedicatoria Antonio Fuccaro*; Hos itaque tres, quos diximus, auctores, mi ſpectatiſſime Antoni, cum in apertum, ut referrem, in animo mihi eſſet, idque Venetiis in officina, quam Aldus Manutius Romanus vir diligentiſſimus, & inſigniter eruditus, deque renaſcentibus bonarum litterarum ſtudiis præclare meritus elegantiſſimam, & nobiliſſimam inſtituit; quæ cum annis jam aliquot certis de cauſis otioſa quieviſſet, hoc tempore eam cùm aliis rebus, tùm vero pulcherrimis characteribus renovatam Paulus Manutius Aldi filius moderatiſſimus juvenis, & litterarum ſtudiis, ac honeſtis moribus egregie ornatus, paternæque virtutis, & inſtituti hæres & imitator inſtauravit: in qua re conficienda ſummi, & præclariſſimarum artium doctrina celeberrimi, & inſtructiſſimi Johannis Baptiſtæ Egnatii conſilio, operæ, & induſtria plurimum ſe fatetur adjutum. Cum igitur ad editionem illam Paullus ipſe, qua eſt humanitate, operam mihi ſuam deferret &c.

ſa eſſet ; ſuis tandem rebus compoſitis eorum filii . . . . eam aperire , ac etiam , quoquomodo poſſint , clariorem reddere decreverunt ; atque ita , cum Latinis libris quam caſtigatiſſime excudendis manus jam admoviſſent , Græcos etiam . . . . . emittere ſtatuerunt . . . . . inter quos . . . . . Themiſtii . . . . . non ſolum Philoſophicas paraphraſes , ſed orationes quoque primùm excudere animo conceperunt . Themiſtium poſtea hoc ipſo anno Iſocrates , Ætius medicus conſecuti ſunt . In his vero libris edendis partim præfationes Paullus adjecit ſuas ; quarum nonnullas in his poſtea recognoſcendis vulgandiſque omiſit [1], partim Aldi patris illas retinuit [2], partim etiam Aſulanorum [3] admiſit .

7. A. MDXXXV. Paulus Romam adductus eſt ; *Ecce me neſcio quis* (ait Saulio [4]) *homo certe ſatis fortuna felix præmiis commotum, & blanditiis captum atque irretitum Romam abduxit , ubi cum aliquot menſes , non in iis quæ ſemper amaveram litterarum ſtudiis , ſed inani officiorum genere conſumpſiſſem; & ille, quem ſecutus eram, montes aureos pollicitus, vix minima præſtaret ; collegi ipſe me ; neque ſolum ſtudiorum meorum , quæ intermiſeram potius , quam dimiſeram , verùm etiam rei familiaris , cui niſi conſulerem , ipſa quoque jacere ſtudia neceſſe erat , habendam mihi rationem duxi ; quo conſilio in patriam reverſus , retuli me omnino ad veteres meas tùm legen-*

1 *Omiſit nuncupatoriam Valerii Maximi Bernardo Georgio ; Lactantii edit. a. 1535. Germano Minadoo ; item Euſtratii in Ethica Ariſtotelis Georgio Selvæ Epiſcopo Vaurenſi , & Gallorum Regis apud Senatum Venetum Legato . Nonnullas etiam paulum immutavit : atque ita præfationis ad Sannazarii opera latina edita a. 1535. clauſulam omiſit , verbaque nonnulla aliter, atque ibi erant, poſuit .* 2 *In Juvenale, & Perſio edito a. 1535.* menſe Martio . *In Iſocrate Græce edito a 1534.* menſe Julio . *In Johannis Grammatici commentariis ad poſteriora reſolutoria Ariſtotelis Græcis a. 1534.* menſe Decembri &c. 3 *In libro Balthaſaris Caſtilionei :* Franceſco Aſolano alle gentili donne . Veggendo io , valoroſe Madonne , il Cortigiano del Conte B. Caſtiglione altre volte da me mandato fuori &c. 4 *lib. 1. ep. 3.*

legendi, *tùm ſcribendi exercitationes*. Quis ille homo fuerit, qui Paullum adeo fefellit, in multis ſuſpicionibus meis, nihil proferre certo poſſum. Nec tamen verum eſt inaniter omnino Romanum iter a Manutio ſuſceptum fuiſſe. Hoc enim lucri fecit, ut ſibi demereretur viros duos egregios, & ſingulares, quos beneficentiſſimos ſemper atque amantiſſimos expertus eſt, Marcellum, dico, Cervinum, qui Pontificatum adeptus Marcellus II. dictus eſt, & Bernardinum Maffæjum, quem vivum impenſe laudat, cum ei de Epiſcopatu gratulatur [1]; mortuum vero acerbiſſime lamentatur [2]. Marcello verò quam eſſet ipſe devinctus, declarat in epiſtola, quam Venetias jampridem reverſus dedit a. 1539. De inita cum his conjunctione atque amicitia, aliiſque fructibus, quos ſibi Romana peregrinatio attulerat, multa ſcribit Mario Nizolio [3]. Nam ubi dixit, Alexandrum Farneſium a ſe adoleſcente (erat autem Paulus XXIII. annos natus) Romæ cognitum atque obſervantia ſingulari cultum, ſubdit; *Quo quidem tempore vehementer Urbs ipſa excitavit me atque acuit in ſtudio liberalium diſciplinarum*, *aſpectu ipſo antiquitatis*, *& multiplici ac varia hominum eruditorum ſcientia*; *ſed ut ingenue vereque fatear*, *proprie me expolivit aula Farneſii moribus ac litteris*; *cum viverem conjunctiſſime ac familiariſſime cum duobus præſtantiſſimis viris Marcello Cervino*, *& Bernardino Maffæjo*, *quorum alterum Pont. Maximum*, *alterum Cardinalem*, *utrumque immortalitate digniſſimum adverſa bonis artibus iniqua mors eripuit*. Amicitiam etiam inter Paullum, & Annibalem Carum, hoc opinor tempore, ſtudiorum atque ingenii ſimili-

1 *Epiſt. latin. lib. 1. ep. 8. qua tamen diem adſcriptum habet in edit. Venet. apud Aldum a. 1580. & in alia ap. Hieronymum Polum a. 1588.* Kal. Maji MDXLII. *At Ughellus in Populon. Epiſc. creatum Epiſcopum ait primo Maſſenſem a.* 1547. die 2. Martii (*ut habet editio Ughelliana vetuſtior to. 3. pag.* 804. *recent. die* 12. 2 *lib. 1. lat. ep. 3. Ital. lib. 2. ep. 9.*

3 *lib. 2. ep. lat. 3.*

militudo conciliavit. Nam ſcribens xv. Cal. Mar. a. 1555. Manutius [1], ante xx. annos amicum huic factum affirmat. Anno MDXXXXI. jam in patriam reductum, conſtat ex præfatione ſive epiſtola Georgio Selvæ, qua Euſtratii commentarios in Ethica Ariſtotelis illi dedicavit, deditque *Venetiis* a. MDXXXVI., ut ibidem adſcriptum eſt. Patriæ verò reſtitutus ita ſe retulit ad veteres legendi ac ſcribendi exercitationes, ut hinc earum initium repetendum ſignificet ſcribens Paulo Contareno: vigeſimum enim earum annum, eo anno 1556. computat [2].

8. Addit vero in ſuperiore illa epiſtola Stephano Saulio, ſatis ſe in domeſtica re conſtituenda, & in emendandis antiquorum libris fuiſſe occupatum: & nihilominus acceſſiſſe curam laboremque *erudiendæ duodecim nobilium adoleſcentium Academiæ*; in eaque triennium conſumpſiſſe. Si ut numerum, ita & nobilium adoleſcentium illorum nomina Paullus prodidiſſet; non ea nunc deſideraremus, quæ ſunt incognita. Auguror, in his fuiſſe, & Matthæum Senaregam, cujus *convictum, & contubernium* commemorat in dedicatione epiſtolarum familiarum Ciceronis, domique ſuæ eum receptum, atque eloquentiæ ſtudiis eruditum narrat; & Paullum Contarenum. Nam huic poſtea a. 1556. ſcribens; *Te vero*, ait [3], *qui mecum in iiſdem ædibus per triennium fere vixiſti; qui quicquid es, de meorum conſiliorum præceptorumque fonte fluxiſti; cujus a laude, mea laus quodammodo pendet, te, inquam, mi Paulle, quantum in me erit, errare non patiar; teque, coactus amore, & officiis tuis hortari nunquam deſinam, ut in veram ac ſinceram eloquentiæ formam, cujus ego tibi excellentem pulchritudinem duorum veterum*

1 *ep. Ital. lib. 3. ep. 53.* 2 *lib. 1. ep. 11.* Vides me ipſum . . . . nullum pene diem intermittere, quin aliquid latine ſcribam; cum tamen ex quo lapidem hunc volvo annus jam vig[eſi]mus abierit. *Scripta eſt epiſtola a.* 1556. *alibi, ut dicemus, notam habet anni* 1554. 3 *lib. 1. ep. lat. 11.*

terum Oratorum exemplo ſæpe demonſtravi, tuæ mentis oculos acriter intendas; eamque tibi a me veris, ut arbitror, lineis deſignatam, ut aliquando tuis ſcriptis quaſi coloribus coneris exprimere. Ceterum cur hoc illi nomen fecerit, atque Academiam vocaverit, non tam credo fuiſſe cauſam, quod ſimul omnes ad eloquentiam exercerentur [1], quam quod patris Academiæ memoriam renovare vellet, atque inſtitutum etiam aliquando revocare; quod in emendandis veteribus libris atque illuſtrandis præcipue occupabatur: quare etiam in illis vulgandis ejus Academiæ mentio fiebat [2], aut ex Academia prodire dicebantur [3]: conſtabatque viris ea ætate doctiſſimis atque eruditiſſimis, quos hanc corrigendorum Scriptorum ſuſcepiſſe provinciam vel ex unius Aldi præfationibus conſtat [4], atque etiam ex ſubſcriptionibus librorum: nam Lucretio a ſe emendato ſubſcribit Avancius; *Hieronymi Avancii Veronenſis ingenio, & labore:*

1 *De nomine Academiæ ejuſque nominis uſu V. Quadrium hiſt. Poeſ. to.1. lib.1. diſt.1. cap.2. part. 6.* 2 *Aldus præfat. ad Herodot. a.*1502. Has novem muſas Herodoti tibi dono damus....., quæ multis exemplaribus caſtigatæ emittuntur ex Academia noſtra in manus ſtudioſorum &c. *In Præfat. ad Sophoclem a.*1502. Sedentibus nobis his brumæ frigoribus in hemicyclo ad ignem cum Neacademicis noſtris &c. Quamobrem ſeptem Tragœdias Sophoclis parva forma..... ſub tuo nomine volui ex Neacademia noſtra prodire in publicum; *& in fine*, Venetiis in Aldi Romani Academia menſe Auguſto MDII. *In Præfat. ad Euripid. a.* 1503. Mille & amplius boni alicujus auctoris volumina ſingulo quoque menſe emittimus ex Academia noſtra. *In Præfat. ad Homer. Græc. inſcripta Hieronymo Aleandro*; Homeri Iliadem Ulyſſeamque cum ceteris ejuſdem Poetæ ſub tuo nomine exire ex Academia noſtra voluimus. 3 *In Xenoph. Hellanic. &c.* In Aldi Neacademia a. 1503. *In Ovidii Faſt. &c.* In Academia Aldi a. 1503. *In Gregorii Nazianz. Carminibus a.* 1504. Ex Aldi Academia. 4 *Vide Præfat. in Quintil. ubi ſcribens Jo. Baptiſtæ Rhamuſio*; Quemadmodum ſuperioribus diebus in Quintiliano a te eſt factum; quem dum curſim recognoſceret Naugerius noſter..... aſſiduus illi adjutor hæſiſti &c. *Præfation. Egnatii in Lactantium, ubi de Aldo*; Ille igitur aliis alia, mihi Cœlii Lactantii Firmiani VII. Inſtitutionum Divinarum libros, & reliqua diſertiſſimi Chriſtianorum viri monimenta corrigenda tradiderat &c.

bore: quem ego Avancium [1] aliis ejus Academiæ addendum puto [2], quos Zeno [3], Quadrius III. [4], aliique nominarunt. Hac novæ Academiæ cura ſolutus erat Paullus extremo anno MDXXXVIII. quo Venetiis egreſſus peregrinatus eſt in alias urbes, ut Bibliothecas luſtraret, & quæ nanciſci poterat operis ſui adjumenta perquireret. Extat Annibalis Cari epiſtola ſcripta hoc anno MDXXXVIII. [5] menſe Decembri, qua epiſtola vir doctus cum amiciſſimo homine Paullo conqueritur, eum ſe furtim ab amicis ſurripuiſſe, & quin ullus omnino quid rei eſſet cognoſceret, in Cæſenatem ſe bibliothecam abdidiſſe, & quaſi mortuum intuliſſe. Si jam aliquot menſes effluxerant, ut ibidem Carus ſignificat, cum hoc Manutius fecerat; neceſſe eſt triennium illud auſpicemur anno MDXXXV. Anno ergo illo Roma Paullus redierat, jamque erat fortaſſe Venetiis menſe Septembri, quo Sannazarii carmina vulgata ſunt [6]; Romanum vero iter ſuſcepit poſt Martium menſem, quo Lactantium cum præfatione illa ſua, Juvenalem, & Perſium emiſerat.

9. An-

1 *Colligo id ex epiſtola Avancii ipſius Valerio Superchio, præmiſſa editioni Lucretii Aldi* (*cui ſubſcriptus, ut dixi, Avancius reperitur*) menſe Decemb. MD. *in qua epiſtola Superchium rogat, ut Vincentio Quirino* legendas, & caſtigandas commendet; *additque*; Nihil enim faciam quicquid alii maligne irridebunt, aut invidenter vellicabunt, ſi tecum hunc Academiæ noſtræ aſſertorem, approbatorem, ſubſcriptoremque nactus fuero: *poſtea vero Aldum impenſe laudat*; *concludens*, veſtris igitur ſtudiis Aldo aſſidente, labores noſtros bonis non ingratos fore ſperamus. *Vide & ibidem epiſtolam Aldi ipſius Cardinali Carpenſi, & in Catull. &c. Antiquos vero Scriptores Aldo, ſive Aſulanis petentibus emendandos ſuſcepiſſe, ipſemet teſtatur ad Auſonium edit. a.* 1517. Ecce Andreas Aſulanus . . . . meamque opem implorat.

2 Alberto Pio, Andreæ Navagero, Petro Bembo, Danieli Rainerio, Marino Sannuto, Angelo Gabrieli, Scipioni Carteromacho, Eraſmo Roterodamo, Jo. Baptiſtæ Egnatio, Benedicto Rhamberto, M. Muſuro, Benedicto Tirreno, Andreæ, Federico, Franciſco Torreſanis.

3 *in V. Aldi.*

4 *hiſtor. Poeſ. tom.* 1. *pag.* 108.

5 *Vol.* 1. *ep.* 37. *edit. Comininiana.*

6 Venetiis in ædibus hæredum Aldi Manutii, & Andreæ Aſulani Soceri menſe Septembri MDXXXV.

9. Annus MDXL. notabilis eſt in Paulli vita, quod eo anno diffuta eſt ſocietas Manutiorum, & Torreſanorum. Apoſtolus Zeno [1] eam perdurafſe affirmat ad annum 1554., quo ait nova quadam nota editos libros ſignatos, videlicet *In ædibus Paulli Manutii Aldi filii*. Sed mihi quidem alio ſpectare clauſula illa videtur; atque id quod nunc volumus alia ſubſcriptione ſignificari *Apud Aldi filios*; quam primùm vidi in orationibus Ciceronis anno 1540. [2] editis; quæ rurſus in iiſdem cuſis a. 1550. repetita eſt: in conſequentibus vero annis 1542. &c. ſæpius eamdem inveni [3]; atque etiam inſigne illud Aldinum paullo immutatum; nam ornatius aliquanto anchora cum Delphino ſculpta eſt, adſcriptumque ad latera *Aldi filii* [4]. Sunt vero hi præter Paullum noſtrum Manutius natu maximus, atque Antonius; Antonium latinis litteris, noſtriſque his vulgaribus eruditum fuiſſe, oſtendunt nonnulla, quæ ejus habemus. Cum enim Paullus clarorum virorum epiſtolas Italice ſcriptas collegiſſet, Antonius alterum librum adjecit, dedicavitque Paulo Trono [5]: Pere-

1 In vita Paulli *ad a.* 1529. *pag.* XIII. 2 *tom.* 1. apud Aldi filios Venetiis MDXL. menſe Octobri. *An ſuperiorum annorum ulla hujuſmodi in Manutianis libris extet ſubſcriptio, fateor me ignorare.* 3 *A.* 1541. *to.* 3. *orationum Ciceronis. In libro Balthaſaris Caſtilionei.* Il libro del Corregiano. In Vinegia nell'Anno MDXLI. In caſa de' figliuoli di Aldo. *A.* 1542. *in Danielis Barbari commentationibus in Porphyrium, & in commentariis in epiſtolas Pauli ad Rom. & ad Galatas. A.* 1544. *in collectione epiſtolarum Italicarum*; In Vinegia nell'anno MDXLIV. in caſa de' figliuoli di Aldo. *A.* 1545. *in libro Bartholomai Riccii de Imitatione; in verſione epiſtolarum familiarium Ciceronis. A.* 1546. *in libro Liburnii inſcripto*; Le occorenze humane. *In Scipionis Capycii libris de principis rerum; ubi & inſigni anchora adjecta inveniuntur verba*, Aldi filii. *In Philippi Ecphraſi in Horatium. In* Pretioſa Margarita Novella de Theſauro ac pretioſiſſimo Philoſophorum lapide. *A.* 1547. *in Medicis antiquis. A.* 1548. *in verſione rurſus edita epiſtolarum Ciceronis.* 4 *Vidi in libris minoris forma, id ut ajunt, in* 8. *ab a.* 1546. *In libris maxima forma, ſive in fol. ab a.* 1551. *in hiſtoria Veneta Bembi. Hos ego vidi: erunt fortaſſe antiquiores.*

5 *In editione Veneta a.* 1554. *qua tamen omiſſa eſt in editione a.* 1564.

Peregrinationes etiam a Venetis hominibus factas VII. edidit [1]: denique Vico atque Goltio antiquos nummos indagantibus ſubſidio atque adjumento fuiſſe, doctiſſimus eruditiſſimuſque Senator Marcus Foſcarenus teſtatur [2]. Uxorem duxit Antonius, ut ex Paulli litteris conſtat [3]: ex quibus etiam habetur, vix adoleſcentia egreſſum fortuito quodam caſu (qualis ille fuerit non explicat, ſed alibi [4] juventutis erratum vocat) ſolum vertere coactum fuiſſe. Compoſitis poſtea rebus, permiſſum eſt patriam reverti. Cum verò lex lata eſſet, qua recens data beneficia abrogabantur, Venetiis rurſus detruſus, trienniumque procul a patria exulabat, cum Paulo Ramnuſio ſcribebat Paulus VI. Id. Aug. an. 1555. jamque anno ſuperiori 1554. Bononiæ conſtiterat [5], eoque Paullum, optimis a Bononienſi Senatu propoſitis conditionibus, evocabat [6]. Manutius frater natu maximus (ut de eo quoque aliquid dicamus) Eccleſiæ ſe addixit, & ſacerdotium obtinuit; pro quo cum litteræ datæ eſſent Franciſco Venerio Paulus gratias agit [7]: nec vero non mire eum diligebat Paulus, ut litteræ quas ægrotanti dedit, oſtendunt [8]. Quod ſpectat ad Turriſanos, non incelebris fuit eo tempore Hieronymus, qui in libros Ciceronis Oratorios præfatur [9], & in Cæſarem [10], ubi una cum ſuis fratribus avitum aggreſſum ſe eſſe dicit munus tueri, ut optimos quoſque libros, qua poſſit maxima diligentia, evulget. Fuſius vero idem, cum luculenta teſtificatione benevolentiæ in Paullum, declarat in præfatione, ſive in epiſtola nuncupatoria Rhetoricorum Ciceronis Hieronymo Contareno; *Suſcepimus autem*, inquit, *nos quoque avitum munus, & id renovare, quantum vires noſtræ ferent, contendemus, quod*

1 *De quo opere Cl. Marcus Foſcarenus de Venet. litter. pag.434.*
2 *ibid. pag.386.* 3 *Ital. lib.3. ep.1. edit. Piſaur. a.1556.*
4 *ibid. lib.3. ep.17.* 5 *ibid. lib.3. ep.18.* 6 *V. epiſt. ibid. lib.III. 29. & I. 9.* 7 *ibid. lib.2. ep.36.* 8 *ibid. lib.3. ep.37.*
9 *V. edit. Venet. a.1569.* 10 *edit. eodem anno.*

quod primus Aldus ſenior, nunquam ſatis laudatus, atque in poſteritatem officioſiſſimus ſuſtinuit, ut optimos quoſque libros, nulla vel laboris, vel ſumptus ratione habita, ederemus. Curabimus nos quidem, quantum in nobis erit, ut quod tanquam patrimonium gloriæ ſibi relictum accepit, & auxit Paullus Manutius, quem non ſolum mirifice diligo, ſed etiam maxime obſervo, nos quoque pro virili parte Andreæ avi, & Franciſci parentis nomini, & memoriæ conſulamus, ne quod Manutius patruelis noſter, pie ſimul ac ſumma cum laude fecit, nos turpiter atque ingrate neglexiſſe videamur. Stimulavit ſane nos ad hoc ipſum capeſſendum munus, familiæ quoque noſtræ exiſtimatio: quod non modo nos ſummo cum dolore, ſed omnes boni, & bonarum litterarum cupidi jam cognoſcerent, Aldinos libros, ſummis pridem vigiliis a Paullo Manutio emendatos, qui nunc Romæ ſeptennium jam vivat, & doctrinæ atque virtutis ſuæ præmia uberrima percipiat, paulatim illo priſtino nitore ſpoliatos, atque ita in pejus delapſos eſſe, ut citra nominis Aldini jacturam ferri amplius nequaquam poſſe putarimus. Hunc locum etſi aliquanto diffuſiorem, proferre placuit, ut disjuncta fortunarum, diſruptam animorum non fuiſſe ſocietatem inter Manutios, & Turriſanos, pateret; quod & litteræ etiam Paulli ipſæ teſtantur [1]. Itaque hi Manutianum anchoræ inſigne [2], & Aldinæ Bibliothecæ memoriam retinuerunt. Bernardus vero Turriſanus idem faciebat Pariſiis, ut ex ſubſcriptionibus pariter librorum [3] conſtat.

10. Sed

1 *Vide epiſt. Ital. lib.* III. 15. *dat. a.* 1555. *&* I. 8. *eod. anno ſcriptam.*

2 *De Aldi his inſignibus lege quæ tom.*2. *pag.*43. *Annal. Typogr.*

3 *In Franciſci Vergaræ de Græca lingua Grammatica. Pariſiis* MDLVII. Apud Guill. Morelium in Græcis Typographum Regium, & Bernardum Turriſanum via Jacobæa in Aldina Bibliotheca &c. *Diu duravit hæc Aldina Bibliotheca. A.* 1581. *in Cornelio Tacito typis elegantiſſimis excuſo inſigne Aldinum invenitur cum inſcriptione in fronte libri*: Pariſiis apud Robertum Colombellum via ad D. Johannem Lateranenſem in Aldina Bibliotheca A. MDLXXXI. *Sic etiam in Mureti commentar. in Catilinarias &c.*

10. Sed redeundum eſt ad Manutium: quamquam quæ hactenus perſecuti ſumus, minime his eum annis otioſum fuiſſe demonſtrant, ſed retinuiſſe hæreditariam provinciam a patre acceptam, ut egregie de litteris benemereretur. Atque illud præclare inter cetera ab eo excogitatum eſt, ut diverſorum clarorum Virorum epiſtolas populari ſermone ſcriptas, collectas, atque uno veluti corpore concluſas vulgaret; quod opus, omnium ipſum inſtituiſſe primum, laudatus Senator Marcus Foſcarenus aſſeveravit [1]. Inſtitutum vero ab ipſo opus Antonius frater, ut diximus, auxit, & amplificatum poſtea eſt etiam addito tertio libro. Anno 1546. uxorem duxit Margaritam Hieronymi Odoni filiam, ſororem Caroli & Rinaldi. Hunc, ideſt Rinaldum *Presbyterum* [2] Paulus vocat, & tria minora ſacerdotia, ſive beneficia, ut appellant, fuiſſe eidem collata ſignificat Cardinali Carpenſi [3], atque ibidem, miros in ſtudiis progreſſus habere affirmat. Extat Rinaldi hujus Philoſophica oratio de animæ immortalitate edita a. 1557.; eumdemque antiquitatis cognitione ornatum, qui Vico & Goltzio veteres nummos ſubminiſtraverit, arbitratur vir doctiſſimus Marcus Foſcarenus [4]. Carolo ſcribens Manutius [5], cariſſimum ſibi eum eſſe teſtatur; de utroque vero hæc habet in epiſtola Bartholomæo Riccio [6]; *Fratres habet uxor mea duos, quos ego ambos unice diligo; contraque ipſi mihi ſingularem non modo benevolentiam, verum etiam obſervantiam præſtant: probi ſunt adoleſcentes, ingenio, modeſtia, virtute etiam ornati, una re minus laudandi, quod inter ipſos parum convenit; orta eſt inter ipſos poſt obitum patris de hæreditate diſſenſio; inde lis, inde odium. Quod niſi ego me interponerem; niſi utrumque prenſarem, rogaremque per parentis manes, per ſolitudinem matris, per exiſtimationem familiæ;*

1 *Hiſt. litt. Ven. pag.435.* 2 *lib.2. ep. Ital. 48.* 3 *ibid. ep.31.*
4 *Hiſt. litt. pag.386.* 5 *lib.2. ep. Ital. 47.* 6 *lib.2. ep. Lat. 5.*

conflictarentur aſſidue turpibus judiciis, gravi jactura famæ, magno rei familiaris detrimento. Ergo ex horum ſorore Margarita Paullus ſuſcepit primò Aldum, cui Genethliacon ſcripſit nobilis poeta Petrus Angelius Bargæus, miſitque Regio cum epiſtola, quæ inter Manutianas Italicas nunc quoque legitur [1], cui epiſtola quæ hanc ibidem conſequitur Paullus reſpondet. Sed mirum eſt mitti XVI. Cal. Decembris anni MDXLVIII. nam idibus Febr. A. MDXLVII. natum eſſe Aldum, idem poſtea teſtatus eſt in epiſtola præfixa Ciceronis libro, *De optimo genere Oratorum*, ubi legitur: *Venetiis Idibus Februar.* 1583. *more Veneto* (erat enim annus communi more 1584.) *quo ego die* 38. *ingredior annum*: Et in epiſtola præfixa Cenſorino *Venetiis Idib. Februar. a.* 1580. (more ſcilicet Veneto, communi a. 1581.) *qui mihi primus dies eſt anni* 35. Addo epiſtolam Paulli Simoni Thomæ [2] ſcriptam menſe Aprili a. 1550. ubi ante triennium Aldum natum affirmat; item aliam Senaregæ [3], in qua narrat, revocaſſe ſe Aldum domum, quod novem ferme annos expleverit. Data eſt autem epiſtola III. id. Januarii a. 1555. more Veneto, quem ferme ſequitur in epiſtolis ſuis Paullus. Hæc vero omnia in alium annum, quam eum quem diximus, convenire minime poſſunt. Quam in ejuſdem rei teſtimonium adduxit Zeno clauſulam epiſtolæ Aldi in *Veterum notarum explanatione*, rem conturbare potius, quam confirmare poſſe videtur. Ait enim: *Venetiis* MDLXVI. (non 1556. ut errore, puto, typographi Zeno) *Idibus Februarii, qui mihi primus dies eſt anni* XIX. Sed apparet, hic quoque typos erraſſe, & legi debere XXI. reſque optime conveniet. Filiolo Aldi nomen, avi ſcilicet ſui, cur eſſe voluerit, explicat pater amico [4], nimirum hujuſmodi nomine quod feniorem illum Aldum revocaret in mentem, quoque ad bonarum

1 *lib. 2. ep. 23.* 2 *ibid. ep. 34.* 3 *ibid. lib. 3. ep. 22.*
4 *lib. 2. ep. Ital. 34.*

rum artium ſtudium excitaretur, aures circum ſonarent: ex qua etiam epiſtola diſcimus, ad illum diem VII. Id. Aprilis a.1550. unicum hunc filium habuiſſe Paullum; atque in ea urbis parte habitaſſe, quæ vulgari nomine *Giudeca* dicebatur. Sed paulo poſt, alterum mater concepit, litteriſque ad Bargæum ſcriptis [1] V. id. Decemb. quarto jam menſe eſſe gravidam Paullus narrat; ubi & de Aldi ingenio, & corporis firmitate, paterna quadam animi mollitia delinitus lætatur. Filiolo poſtea auctum Paullum nuſquam lego, nec dubito tamen; atque in tanto ſilentio hanc habeo ſuſpicionem, filiam tunc ei natam eſſe, de qua collocanda ſæpius poſtea in litteris ſuis agit. Quam vero Paullus fuerit in Aldo educando diligens, ſolicituſque, ne aut pravis moribus animum inficeret, aut perverſa in litteris inſtitutione errorem aliquem imbiberet; declarant litteræ cum Senaregæ, quas nominavimus, tum eæ, quas Hieronymo Odoni Socero dedit, quibus eum illi enixe commendat [2]. Neque hic omitti debet, a.1547. adjeciſſe Paullum animum ad Romanas antiquitates explicandas; ut ipſe poſt, cum librum de legibus ederet, ſignificavit; ad quod etiam opus perficiendum eum hortatur Silveſter Aldobrandinus in egregia illa [3] epiſtola, quam Paullo VII. idus Januarii a.1548. ſcripſit.

O 2 II. Sæ-

1 *Ibid. ep. 39.* Io ſto bene, la Dio mercè, & il mio e dalla voſtra muſa celebrato Aldino non ſolamente parla, ma legge aſſai acconciamente, e moſtra di dover havere, quel che vorremmo, ingegno e gagliardia di corpo.

2 *lib. 3. ep. Ital. 10.*

3 *En ejus particulam dignum, quæ hic inſeratur, quod cum Aldi laudibus præclara vitæ præcepta continent.* Non vorrei, che v' ingannaſſe una certa falſa apparentia delle coſe del Mondo, & di una populare opinione, ma da ſavio conſideraſte, quanti Veſcovi, quanti Cardinali, quanti Signori temporali ſon vivuti in ſomma felleità, vivente l'onorato padre voſtro; i quali per la maggior parte, ſe non tutti, ſono ſotterrati in un eterno obiio e dimenticanza de gli uomini: dove quella virtuoſa ed onorata memoria di M. Aldo vive, e viverà ſempiternamente negli animi de' più virtuoſi ingegni, e più ſubiimi, finchè ſaranno in pregio le buone lettere; le quali in gran parte ſi riconoſceranno dall' induſtria e diligenza

11. Sæpius Paullum Romam cogitaſſe, ſæpius etiam Romanum iter poſtremis præſertim annis ingreſſum eſſe conſtat. A.1543. iterum eò veniſſe, tertiò verò decennio poſt a.1553. ſcribit Apoſtolus Zeno. In litteris ſcriptis VI Cal. Jun. a. 1550. certiorem facit Paullus Hieronymum Dolfinum [1] menſe medio Februario ſe diſceſſurum Venetiis, & Romæ futurum ad medium Majum; additque breviorem hac ratione Romanam commorationem inſtituere, quam poſtulet amor in Bernardinum Maphæjum ſuus, & in Octavium Pantagathum. In editione Veneta epiſtolarum Italicarum Paulli facta a. 1560. epiſtola Andreæ Lauredano de veteribus numis eidem parandis [2], legitur data Romæ VII. idus April. a.1552 ut neceſſe ſit, Manutium etiam hoc anno Romæ ponere. Verùm, ſi poſtremum annum excipias, ideſt a.1553., de Romanis omnibus peregrinationibus aliis annis inſtitutis, nullum ego proferre poſſum certum monumentum. Quivis enim novit, quam multa ſint hominum cogitata, quæ inopinatis ſæpe cauſis intercurrentibus, aut mutata voluntate, infecta relinquunt. Itaque quod volue-

genza ſua. Et io che ho eſperimentato in queſta fortuna il comandare quaſi del continuo alle più nobili città e provincie d' Italia, come ſo ora a tutto queſto Stato, eſſendo a placer mio ed onorato, e temuto; non conoſco vanità maggiore, che paſcerſi di vento, e fumo tale: & ſommi avveduto, ogni altra coſa eſſere una continova peſte de gli animi, e de' corpi di coloro, che reggono, che quella del potere col governo ſuo giovare ad altri, e difender l' innocenza dalle sfrenate voglie della corrotta natura de gli uomini in queſto ſecolo. E ſiate certo, che in queſte apparenti grandezze, fin che elle durano, ſono travagli infiniti, diſpiaceri ſenza numero, fatiche inſopportabili con pochiſſima ſatisfattione; e finite, che elle ſono, non ſe ne miete altro frutto che biaſimi e calunnie, ſotterrandoſi il più delle volte le giuſte e ſante amminiſtrazioni in un mare di falſe querele; torcendo l' attioni degli uomini, e dimoſtrandole fatte per altri fini &c. *lib.* 3. lettere volgari di diverſi nobiliſſimi uomini *pag.* 74. *edit. Manut. a.* 1564.

1 *lib.* 2. *ep. Ital.* 42. 2 *pag.* 7. *lib.* 2. *ep.* 39. *Hujus epiſtolæ partem cum hac ipſa nota loci & temporis profert nobiliſſimus & eruditiſſimus Senator Venetus Marcus Foſcarenus hiſt. litt. Ven. pag.* 386.

voluerit, quod etiam ſe paraverit, non continuo iter perfectum fuiſſe probat. Paulli verò teſtimonium in ea epiſtola a.1552. nullum eſt, ſi antiquior editio, qua etiam nos utimur [1], conſulatur Piſaurenſis a. MDLVI. Etenim non Romæ, ſed Venetiis epiſtola data dicitur: nec verò eſt, quod Venetiis ſcribenti, cogitantique Romam convenire non poſſit; niſi mavis, a typographo, quod in numeris fieri facile eſt, peccatum eſſe, ita ut pro anno 1552., legendus ſit annus 1553. De itinere Romano a. 1553. liquere debet. In epiſtola Franciſco Coccio data Venetiis Prid. Cal. Mart. a.1553. more Veneto (ideſt communi ſupputandi more a. 1554.) præterita æſtate ſe Romæ menſes circiter duos diverſatum fuiſſe narrat [2]. Solere verò Paullum in hujuſmodi epiſtolis annum non a Calendis Januariis, ſed a menſe Martio numerare, & ipſe affirmat Mureto ſcribens (ut videre licet in iis quas vulgamus a.1559 ſcriptis V. id. Martii) atque etiam colligitur ex editis, præſertim ex iis, quibus Cardinalis Maphæii vicem dolet [3]: habent enim adſcriptum diem IX. Cal. Febr. a.1553.; mortuum verò Maphæjum XVII. Calend. Auguſti anni ejuſdem 1553. ex epitaphio ejus conſtat, quod Ciaconius [4], Ughellus [5], aliique retulere [6]. Quamobrem ad hoc iter ſpectare puto epiſtolam [7], quam Roma ſcribit Roberto Gerundæ Nonis Maji, narrans in eo retinendo humanitatem trium Cardinalium Cervini, Poli, Maphæii. Poſtquam Roma reverſus eſt Paullus, anno ſequenti, ideſt 1554. filiolo auctus eſt, ut

 idem

1 *Per Bartholomæum Cæſanum pag.77. lib.3. epiſt.4.* 2 *lib.1. epiſt. Ital. 29.* 3 *ibid. ep.24.* 4 *tom 3. col.737.* 5 *In Epiſc. Populon.*

6 *Conſtituto obitus Maphæi huic diei officere videtur epiſtola Manutii ejuſdem Hugolino Gualteruttio ibid. lib. 1. 31. data XVII. Cal. Maj. anni 1553. nam in ea quoque Maphæi mors commemoratur. Sed vitioſum eſſe adſcriptum diem vel ex eo patet, quod recens ex ea morte importatam ſibi calamitatem deplorat lib.2. ep.29. & 30. datis XI. Cal. Aug. 1553.*

7 *lib.2. ep. Ital. 12.*

idem nunciat Octavio Pantagatho epiſtola data XVIII. Cal. Febr. [1], & X. Calend. Chriſtiano ritu ſacro baptiſmate perfuſum, impoſito Hieronymi nomine, Carneſecho [2]. Hic ille eſt Hieronymus, quem Raguſium miſſum in Dalmatiam, ut a Paullo Boſio inſtitueretur, cum ejus urbis Archiepiſcopus eſſet Beccatellus Manutio amiciſſimus, novennem mortuum luget in epiſtola Johanni Sambuco [3].

12. Hoc quod hauſerat ex filiolo nato gaudium, ſuborta valetudinis incommoda extinxerunt. Erat Paullus gracili corpore, infirmiſque viribus: quare Gabrieli Catiano ſcribens a. 1543. [4] ait valere ſe, ſicut ſolet, hoc eſt etſi non optime, ſic tamen, ſtudiis ut frui liceat; idque ſi perpetuo detur, hac ſua tenuitate contentum fore. Atque ibidem, illud etiam habet, quod eſt animi probi & temperati; illam firmitatem, illa athletarum latera ſe nequaquam appetere, neque ſibi veniſſe unquam in mentem, de natura conqueri, quod corpuſculo ſe finxerit imbecillo: *gratias agam potius*, inquit, *quod effecerit, ut omnibus pene horis adverſæ valetudinis metu ſpectanda mihi ratio ſit; & continentiam, quæ virtus eſt, aut certe ad virtutem ducit, cogar amplecti*. Tenuitate tamen illa, qua contentus erat, frui diu non licuit. Nam hoc ipſo a. 1554., ut antea diximus, tertiana eum febris invaſit. Sed alter fuit multo moleſtior morbus, quo ſe afflictum dolet, deſcribitque Fauſtino Delphino litteris datis X. Cal. Jan. a. 1554. [5]; pituitam ſcilicet, qua vexatus diu fuerat, defluxiſſe in dexterum oculum, ejuſque uſum eripuiſſe. Sperat quidem ſe eo incommodo relevatum iri brevi; ſed anno etiam inſequenti il o eodem laboraſſe, liquet ex litteris, quas Prid. Id. Maj. a. 1555. Præſuli Carneſecho dedit [6], ſignificans, morbum quam conſueverat graviorem eſſe factum, & ſolum ante quatriduum relevari

1 *ibid. lib. 1. ep. 23.* 2 *lib. 1. ep. Ital. 24.* 3 *lib. 4. ep. Lat. 36.*
4 *lib. 1. ep. Lat. 9.* 5 *lib. 1. ep. Ital. 7.* 6 *ibid. ep. 5.*

vari illo cœpiſſe: ita nimirum, qui hujuſmodi mos eſt morborum, minuebatur, & per vices veluti ingraveſcebat. Et Beccatello quidem ſcribit [1] v. Id. Febr. a. 1555. humorem, qui ſuperiore anno largiter defluebat ex oculis, parcius nunc manare, & paulatim exſiccari. Sed neceſſe eſt dicere, iterum moleſtiorem ei factum; cum eodem anno VIII. Cal. Jun. rem veluti novam atque amico gratiſſimam futuram renunciet Octaviano Ferrario [2]; ſe nunc denique morbum, poſtquam cum eo multos menſes pugnaverat, & ſanguinem miſerat, attritis quoque diuturnitate illius viribus, ut ſæpius illi ſuccumbere putaretur, deviciſſe: itaque deſtinaſſe animo, menſe Julio ad balnea ſe conferre, & medio Septembri Romam. Quod deſtinaverat perfeciſſe, & Julio extremo diſceſſiſſe Venetiis, ex epiſtola Davanzati quadam, quam Hieronymus Lagomarſinus vir diligentiſſimus elegantiſſimuſque [3] vulgavit, liquet. Sed vere nihil niſi inducias a morbo illo ſuo impetravit. Etenim Prid. Cal. Dec. quod amicum non viſat, excuſationem affert [4] oculorum; quos habere infirmos jam annum affirmat. Anno etiam ſequenti 1556. v. Calend. Febr. [5] eadem de cauſa prohiberi ſe dicit, quominus lucem videat; atque eadem eſt querela amiciſſimo viro Jaſoni de Nores paullo ante, ideſt XIII. Cal. ſcripta [6]; pituita ſe ab aliquot menſibus affligi, quæ oculis inſederit ita, ut pedem raro e cubiculo, nunquam autem domo efferat: ſexcenta adhibuiſſe remedia, in primis vero ſeveriſſimam victus parſimoniam, quæ efficere aliquid potuerit, non tamen omnia: quamobrem & lucem fugere, & quicquid morbum augere poſſe diceretur, litterarum ſtudio excepto. Hoc etiam anno XV. Calendas Roberto Gerunda affirmaverat [7], biennium oculis laborare, conarique medi-

1 *lib. 3. ep. Ital. 42.* 2 *lib. 1. ep. 10.* 3 *Ad epiſtolas Julii Pogiani tom. 2. pag. 186.* 4 *lib. 3. ep. Ital. 48.* 5 *ibid. ep. 32.* 6 *ibid. ep. 28.* 7 *ibid. ep. 26.*

medicos a litteris eum avertere; a ſe verò, ut eas dimittat, nunquam impetraturos, ſed ut intermittat aliquo temporis intervallo. Ad hoc ergo tempus ſpectare credo, quod Hieronymi Faleti verſus cum ederet a. 1557. eidem præfatur; *De tuis autem erga me officiis quid agam pluribus? Quæ cum & multa ſint & maxima; tum vero illud excellit, quod in hac mea ſatis diuturna oculorum valetudine, venire domum meam quam ſæpiſſime, animumque meum, triſtibus curis affectum, tuo aſpectu ac ſermone recreare ſolitus es*. Erat enim, quod alibi [1] idem teſtatur, *cum natura, tum valetudine & morbo ſubtriſtis*, nec facile ſe ad hilaritatem traduci ſinebat. Cum melius ſe haberet, Venetias iterum reliquit, unde ſe abiturum Carolo leviro ſuo prædicit, jubetque cubiculum ſibi parari hujuſmodi, ut ventorum vim, & frigus arcere poſſit [2]. Si vera eſt nota temporis, quæ nunc in epiſtolis Manutii legitur (in ea enim quam ex diverſis Scriptoribus collectionem inſtituit alia erat poſita) ex plebe Sacii litteras mittit [3] Paullo Contareno, quibus ſe lætitia perfuſum ſignificat, quod in illam ſolitudinem ex hominum frequentia divertiſſet, atque ad ea quæ homini cariſſima ſunt in vita uxorem ac liberos ſuos rediret. Aſulæ etiam fuit: ſed vix eò pervenerat, cum tota pœne ejus familia cœpit ægrotare, ut habet in litteris Fabio Stellæ [4], atque in aliis Hieronymo Lippomano [5]: *Nunc*, inquit, *me cupidum urbis, tuique maxime ac paucorum tui ſimilium, tenet tamen in his locis uxoris meæ morbus, de qua jactor varie tamquam fluctibus, modo ſpe, modo metu...... ſed certe nimis acerbe fortuna mecum egit, quæ me, de me ipſo, ut ſcis, ac de mea valetudine ſollicitum, alienis etiam malis implicuerit. Aſulæ quidem, oppido ſatis eleganti, ubi magnam pueritiæ meæ partem traduxeram, omnes mihi jucunditates, omnia gau-*

1 *lib.2. ep. Lat. 13.* 2 *lib.3. ep. Ital.47.* 3 *lib.1. ep. Lat. 11.*
4 *lib.2. ep. Lat.13.* 5 *lib.1. ep.16.*

gaudia, tum in fratris convictu, tum in veterum amicorum conſuetudine fixeram: cecidit contra. Frater enim ægrotavit diu, neque dum firmus eſt: amicis autem qui poſſum frui, cum uxorem multorum dierum morbo conflictatam, nunc incerta vitæ ſpe animam trahentem, in oculis habeam? Uxore & fratre ægrotantibus, ipſum quoque affectum morbo jacuiſſe, in iiſdem litteris Stellæ narrat, & Franciſco Vargæ [1]; ubi etiam addit, jam ſe minus quam antea delectare, ac pœne diſplicere cœpiſſe totum conſilium illud de lacu Benaco incolendo; & Venetias cogitare. Et Venetias quidem rediit ea via, quam M. Antonio Nattæ deſcribit [2]. Venetiis verò commoratum anno ſequenti 1557. quamquam ejus amiciſſimus Annibal Caro id expeteret, ut Parmam ſe conferret [3], litteræ Chriſtophoro Madrutio [4], & ea, quæ deinde narrabimus, declarabunt: volumus enim hic quæ ad morbum illum Paulli ſpectant, perſequi omnia. Anno 1558. ingraveſcere rurſus cœpit. De pituita Paulli ſcribit eidem Annibali Caro Joſeph Pallavicinius [5]; & ſe affectum male ipſe ſignificat Silvio Antoniano lamentabilibus ſane litteris [6]; *Jaceo nunc & langueo miſerrime, nec mihi cœli mutatio profuit, nec novis remediis locus eſt, quæ jam omnia fruſtra conſumpſi*; eodemque a. 1558. Stephano Saulio [7], ubi de uxoris morbo ſcripſit, hæc de ſuo; *Ego vexor acerrime anniverſariis oculorum doloribus; quos ſanare, cum jam pæne tentata ſint omnia, humanæ artis eſſe non puto: remedia ſunt ab illo uno, qui malis cunctis medetur, cæleſti medico expetenda: is mihi optimam, ut ſpero, valetudinem aliquando reſtituet; ſi hoc minus, muniet me ſaltem ea virtute, qua res adverſæ facile perferuntur.* Spectant hæc poſtrema ad hominis pietatem & patientiam demonſtrandam: quam quidem Deus, reſti-

1 *ibid. ep.1.* 2 *Vide lib. III. ep. Lat. 34. & 35.* 3 *vol 2. ep.86. edit. Comin.* 4 *lib.1. ep.12.* 5 *ibid. vol.3. pag.186.* 6 *lib.2. ep. Lat. 4.* 7 *lib.1. ep.5.*

reſtituta aliquando valetudine non ſine medicorum & eorum celeberrimi Falloppii ope, remuneratus eſt. Itaque ſic Jo. Baptiſtæ Pignæ ſcribit [1]; *Ego me ad litteras, a quibus invitus diſceſſeram, revocare cœpi, adeptus uſum oculorum, quem antea deſperabam, divina primum ope, in qua ſtatuere omnia conſuevi, deinde Gabrielis Falloppii ſcientia ſingulari: cui viro, quanti hanc lucis uſuram, ideſt quanti vitam facio, quanti etiam præclara litterarum ſtudia mihi ſunt, quibus vix ipſa vita pluris eſt, uni plane totum acceptum refero*. Cum in eadem epiſtola ſcribat, Alphonſo Duce creato ſe gratulatum Ferrariæ eſſe; ſequitur, elapſo Novembri a. 1559. [2] hæc ſcripſiſſe, & quæ nuper acciderant narraſſe. Ad idem tempus pertinere videtur (nam de Duareni quaſi recenti obitu mentionem injecit) quod Mureto [3] narrat; *Ego nunc, quod acceptum divinæ benignitati refero, quodque tibi puto fore jucundiſſimum, valetudine utor ſatis commoda, oculis quidem optimis, quod aliquot annis non contigit: itaque cum otium non ferrem (ſcis enim me quieſcere non poſſe) commentaria in reliquas Ciceronis epiſtolas cœpi texere*.

13. Atque hinc nimirum intelligimus his annis, quibus afflicta adeo valetudine, ac potius perdita uſus eſt, parcere ſibi aut ſtudiis ſuis non potuiſſe. Itaque in epiſtola quoque Paullo Contareno ſcripta a. 1557. vigeſimum jam eſſe annum affirmat, ex quo nullum pœne diem intermittit, quin aliquid Latine ſcribat: & Gerondæ, quod ſuperius adnotavimus, ſe medicis, qui perpetuo illi ſtudia interdicta eſſe volebant, vix intermiſſionem aliquam eſſe largitum; denique in litteris Jaſoni de Nores, quibus morbum ſuum deſcribit, ubi dixit quæ valetudini nocent fugere ſe omnia, excipit ſtudium; ibidemque opera ſua affecta atque inchoata, propediem perfecta exitura ſignificat. 1. Commen-

1 *lib. 4. ep. Lat. 45.* 2 *V. Murator. in Annal. Ital. ad h. a.*
3 *lib. 5. ep. Lat. 19.*

mentarium in orationem pro Sextio, quem ſe ait ſcribere in exemplum, quo modo in ceteras commentari oporteat. 2. Commentarium alium in epiſtolas ad Brutum, & Q. Fratrem. 3. & 4. Antiquitatum Romanarum libros duos, ideſt de legibus & Senatu. 5. Epiſtolas a ſe Latine ſcriptas. 6. Quæſtiones antiquas. Cogitabat etiam de arte Rhetorica & de imitatione ſcribere, ut Octavio Ferrario litteris datis VIII. Cal. Jun. a. 1555. [1] affirmat; atque eidem epiſtolæ libellum ſubjicit Italice ſcriptum de Officio Oratoris. Eodem etiam anno Philippo Gualdo alium libellum mittit [2] de quinque partibus Oratoris. Commentarium in orationem pro Sextio ſcripſit hortante atque impellente Bernardino Maphæjo Cardinali; edidit vero poſt ejus mortem Antonio Ælio Polæ Epiſcopo inſcriptum, ut Præfatione ejuſdem docemur. Commentarium in epiſtolas ad Brutum & Q. Fratrem editum vidi a. 1557. cum epiſtola nuncupatoria Alphonſo Caraſæ, in qua latine ſcribendi ſtudium enixe commendat, atque ab obtrectatorum vocibus defendit. Verebatur ſcilicet [3], ne Italici noſtri tanta cura, Latinus paulatim obſoleſceret: qui quidem metus aliorum ſummorum virorum fuit, præſertim Jacobi Sadoleti [4]. Sed nihil hujuſmodi verendum illis temporibus erat, quibus qui unum oſculabantur, alterum quoque adamabant, excellebantque in utroque; ut Bembus, ut Caſtilionius, ut Molza, ut Caſa; nec verendum nunc eſſet, niſi juvenum noſtrorum, ſtudiorum fervor tepuiſſet, atque elanguiſſet induſtria. Eodem a. 1557. Paullus librum *de legibus* edidit (impreſſum iterum biennio minori forma, ut ajunt in 8.) & Cardinali Hippolyto Eſtenſi dedicavit. Erat hic Antiquitatum Romanarum, quas Petri Bembi & Bernardini Maphæii Cardinalium ſuaſu, ſed Maphæii præcipue, ut in præfatione ad commentarium ora-

1 *lib. 1. ep. Ital. 10.* 2 *ibid. ep. 34.* 3 *Vide lib. 1. ep. Lat. 11.*
4 *Vide epiſt. famil. Bemb. lib. 3. ep. 25. Sadolet. lib. 2. ep. 1. 2. &c.*

orationis pro Sextio declarat, perſequi omnes in animo habebat (habebatque jam, ut in præfatione teſtatur, librorum materiem omnium non modo coactam in unum, ſed etiam ſatis diligenter in partes diſtr ibutam) ordine ſibi propoſito, ſexta pars, quam ceterarum veluti ſpecimen emittere primam voluit. Alias partim inchoatas, partim affectas reliquiſſe, tradit Aldus filius in præfatione ad librum *de Senatu*, quem poſt Paulli obitum a. 1580. typis ſuis edidit; quinquennio autem poſt typis Franciſci Zannetti librum *de Civitate Romana*, quibus liber additus eſt *de Comitiis*. Quam diligenter in his ſtudiis Paullus verſaretur, & libri ipſi oſtendunt, quodque ait in *Præfatione ad Kalendarium Romanum*, in Romanis rebus cognoſcendis jam decennium deſudare, & eximia ejuſdem cura colligendi veteres nummos, aliaque vetuſta monumenta, unde conficere, ſive exornare opus ſuum poſſet. Itaque de hoc Antonio Auguſtino viro in hac præſertim facultate præſtanti ſcribit accuratiſſime [1]: De eo etiam libro, ut videret, an hac plane ratione in reliquis pergendum eſſet, eruditorum hominum judicia requiſivit [2]. In illum *Legulejos quoſdam* detrahendi ſtudio incurriſſe, ſcripſerat Manutio Saulius, quos ipſe contemnit. His non annumerandus Cujacius, quem non ſatis honorifice de his libris ſentire, & ſcribere videmus [3]. Conatus tamen Paulli, opuſque ipſum illis temporibus egregium, & ſingulare alii laudarunt, Vincentius Portulaca, Antonius Auguſtinus, Marcus Antonius Natta, Lælius Taurellus, Vidus Pancirolus, quos Saulio reſpondens Paullus recenſet. De latinis epiſtolis, quod erat opus quincto loco a Paullo memoratum, nihil dicendum eſt; ſunt enim in manibus omnium, & præter Latinas Italice

1 *lib.2.ep.Lat.8.* 2 *V.ep.Lat.lib.1.14.* 3 *lib.6.obſerv.c.25.* Idem qui ambitum deportatione in decem annos coerceri lege Julia ſcripſit, dum, ut eſt in proverbio, faber cum ſit, alia tractat, quam fabrilia, edito de legibus libello, Deus bone, quam errat ſæpe!

lice ſcriptæ, quas nos habere diximus editas Piſauri a. 1556., atque ad hunc ipſum annum pertingunt. De his, quas aliorum ipſe Italico pariter ſermone ſcriptas collegit, jam diximus. Sed præter has, Latinas quoque habemus ab eodem editas a. 1556. hoc titulo; *Epiſtolæ clarorum virorum ſelectæ de quamplurimis optimæ ad indicandam noſtrorum temporum eloquentiam*, de quibus quidem hæc placet adnotare, poſtremas, quæ incogniti veluti auctoris proferuntur, eſſe Manutii ejuſdem, inter Manutianas nunc collocatas *libro primo* 11. 9. 10. 8. Sunt illæ poſtea additis aliis nonnullis iterum ab aliis impreſſæ, retento eodem titulo [1], ſive etiam alia quapiam ratione ex diverſis collectæ [2]. Verum ſicuti Paullo hanc laudem tribuunt, ut colligendarum epiſtolarum, quæ populari hoc ſermone noſtro ſcriptæ ſunt, auctor fuerit, ita hanc illi aliam latinarum e diverſis Scriptoribus collectarum ſimiliter aſſerendam puto.

14. Ut vero Pauli ſtudium atque induſtria, ita ejuſdem typographicæ officinæ aſſidua opera, multa his annis edidit; vereque ſcripſit ipſe Ludovico Beccatello [3] a. 1555. nomen non mediocre obtinere; idque totum ſe ei debere confitetur. Manutium ſcilicet, *homo antiquæ probitatis, humanitate ac doctrina præſtans*, ut ipſe eum vocat [4], poſt obitum Maphæii ita complexus fuerat, ut omnem in ſuis commodis atque ornamentis curam, & cogitationem fixiſſe videretur. Unus ſi annus ſumatur, puta 1554., mirum eſt, tam multos una ab officina libros, præſertim cum adeo diligenter a Paullo recognoſcerentur, prodire potuiſſe. Nam cum

1 *Coloniæ Agrippinæ ap. Joannem Gymnicum a. 1586.* 2 *V. epiſtolas clarorum virorum a Johanne Michaele Bruto collectas &c.* 3 *lib. 3. ep. Ital.* 42. La ſtampa lavora con riputazione, ajutata da que' commodi, che le ha dati la benignità di V. S. i quali ſono ſtati così fatti, che gli ſtudioſi delle buone lettere devono ſapere grado non meno a lei, che a me, di tutto quel beneficio, che da queſta mia induſtria ricevono ed aſpettano.

4 *lib. 1. ep. Lat. 5.*

cum nota ejus anni nos quidem vidimus epiſtolas familiares Ciceronis; epiſtolas ad Atticum, ad M. Brutum, ad Q. Fratrem; orationum e,uſdem tomos tres, Rhetoricorum tomos duos; Catullum cum commentariis Mureti; Commentarium Franciſci Luiſini in librum Horatii de arte Poetica; Rapicii de numero oratorio libros v. ejuſdemque carmina; Italica carmina Laurentii Medices[1]; denique *Sancti Joannis Damaſceni adverſus ſanctarum imaginum oppugnatores orationes tres*: nec dubito eſſe alia, quæ videre ipſe non potui. Diximus vero, ab hoc anno 1554. aliam ſubſcriptionem apparere in his Paulli libris, qua non Aldi filios, ſed unice ſe ipſe appellabat, idque adnotaſſe Apoſtolum Zeno. Atque illam quidem ineſſe in epiſtolis, ceteriſque eo anno editis Ciceronis operibus, in quorum calce legitur, *apud Paulum Manutium Aldi filium*; item in Catullo Mureti; anno vero conſequenti in Virgilio, Horatio cum adnotationibus Mureti, Terentio ejuſdem, Tito Livio; denique in omnibus, quos proxime conſequentium annorum viderim, teſtari poſſum. Alii tamen anni prioris 1554. conſuetam notam habent *apud Aldi filios*, vel Italice: *In Vinegia in caſa de' figliuoli di Aldo*, quæ eſt in Laurentii Medicei carminibus; vel tandem nullam, ſed Venetæ urbis nomen dumtaxat & annum, ut ille s. Joh. Damaſceni liber. Neque in hoc tamen arcani aliquid ſubeſſe puto; ſed quamdiu Venetiis fuerunt Aldi filii, ideſt cum Paullo Manutius, atque Antonius, ſimulque eidem operi omnes inſtiterunt, aut ſaltem eſſe Venetiis potuerunt; tamdiu illam inſcriptionem retentam; his a patria diſcedentibus[2], aliam ſubſtitutam, in qua Paullus unice qui ſolus ſubſtiterat nominabatur. Nullam ergo hujuſce commutationis cauſam, quod Zeno volebat, ſuſtinent Tur-

1 Poeſie volgari nuovamente ſtampate di Lorenzo de' Medici.
2 *Vid. ep. Ital. lib. 3. 37. &c.*

Turriſani. Bene autem factum, ut Paullo in tanto opere quaſi ſocius & comes Muretus accederet. Venit enim Muretus, ut dicemus, Venetias eo ipſo a.1554. atque ingeniorum & virtutis ſimilitudo ſtatim utrumque conciliavit. Teſtes ſunt mutuæ litteræ, quibus & conſilia communicant, atque alterius operam alter implorat. Accedunt munera a Manutio, quibus, credo, teſtatam ſuam voluntatem amico eſſe volebat: itaque Muretus hæc adſcripſit manu ſua in Stobæi Eclogis Græcis: *Paulus Manutius M. Antonio Mureto dono dedit* MDLIV.

15. Anno 1555. Paullus poſtquam oculorum, quo diximus, morbo levatus aliquantò eſt, Bononiam ſe contulit, credo [1], ut fratrem exulem videret, & præſens conſolaretur, ſimulque cœli mutatione, atque amicorum conſpectu animum ac corpus feſſum diuturnitate morbi recrearet. Bononia Prid. Cal. Octob. ſcribit Joſepho Tramezino [2], non ſatis valenti corpore ſe diſceſſiſſe a ſuis, cum vero viæ incommoda acceſſiſſent, Bononiæ graviorem factum eſſe morbum, nec dum ex eo fuiſſe recreatum, cum in Beccatelli villam (Pratalbinum hanc eſſe nomine alibi [3] indigitare videtur) ſeceſſit, ibique brevi modica corporis exercitatione adjutum, hilaritate animi, ruris amœnitate, & cœli temperie convaluiſſe; neceſſe tamen eſſe ſibi, ob inſperatum quemdam eventum, menſem ibi commorari: quare Aldi inſtitutionem, & familiam genero commendaſſe. Extat epiſtola Hieronymo Odonio [4], in qua de Aldo, quem matri

1 *Vide lib. 3. ep.17. Ital.* 2 *lib.3. ep.46.* 3 *lib.3. ep.42. 52. & 3. Patet ab eo diſtare eodem aut ſimili nomine loco, quem etiam Marius Nizolius edito Theſauro ſuo nobilem fecit. Vide eum editum ex Prato Albuini anno ab ortu Chriſti* MDXXXV. 4 *lib.3. ep.10.* Le ricorderete, che di rado laſci andare Aldo a caſa, per iſviarlo quanto meno ſi può dalla diſciplina del ſuo diligente maeſtro: e andandovi alcuna volta per le biſogne neceſſarie, guardi ch' egli non traſcorra nell' inſolenza, alla quale pare, che accen-

matri commendatum eſſe vult, multa; addit vero (quod inſperatus ille eventus qualis ſit declarat) Bononienſes, cum eum honorificentiſſime atque amantiſſime ſuſcepiſſent, poſtulaſſe, ut patria relicta, in eam urbem commigraret cum familia. Amicis vero Octaviano Ferrario [1], & Franciſco Martellio [2] narrat, cum de eo actum eſſet, omnium ſuffragia conſpiraſſe, ut aureis nummis (ſcutatos dicimus) 350. in ſingulos annos conduceretur, aliiſque commodis, quæ quadringentis univerſim æſtimentur, nulla alia conditione, niſi ut libris qui utiles eſſent, & urbis nomen augerent, edendis operam daret. Hæc Septembri menſe (de die vix convenire [3] inter ſe litteræ illæ videntur) acta ſunt, & ad conditiones has excipiendas, fratris præcipuè cauſa, qui id volebat [4], Paulli animus inclinabat. Cum tamen, licet ſtipen-

accenni la ſua naturale fierezza di volerlo traſportare: ed è quaſi un' ordinario, che queſto vitio i migliori ingegni accompagna: nondimeno io amerei più toſto, ch' egli aveſſe groſſo e tardo ingegno con la modeſtia, che l' inſolenza con acuto e preſto ingegno. *Idem fere Tramezino*. E ſopra tutto deſidero vi ſia a cuore ricordare al maeſtro di Aldo, che non attenda meno all' inſegnarli modeſtia e bella creanza di coſtumi, che grammatica e rettorica. Peroecchè io amo meglio di vederlo buono che letterato. Il fanciullo ha di molte buone parti e mi porge ſperanza di ottima riuſcita; ma mi dà noja quella ſua più toſto arroganza che fierezza e perchè lo fa alcuna volta uſcire de' termini dell' ubbidienza: e tanto maggiormente ſi vuole tenerlo in briglia, e reggerlo con alquanto ſevera diſciplina, or ch' egli è nell' età, che più facilmente alla diritta via de' lodati coſtumi ſi laſcia rivolgere. Veramente queſto vitio, al quale inchinevole il veggio eſſer per natura, pare, che accompagni, quaſi per un ordinario i più eccellenti ingegni: a me non piace queſta giunta; e per levarla ogni ſtudio porrò. 1 *lib.3. ep.17.*

2 *ibid. ep.3.* Queſta mattina di conſentimento univerſale nel reggimento è paſſato il partito, che io ſia condotto con proviſione di 350. ſcudi l' anno & altri commodi, tanto che la coſa ne va alli 400. l' utile è aſſai grande ... ma l' onore è maggiore, non eſſendomi da queſti Signori verun obbligo impoſto, ſalvo che di aver cura, che ſi ſtampino que' libri, onde poſſa lo ſtudio trarre profitto, e la città riputazione; *data eſt epiſtola Prid. Cal. Octobr. a.1555.* 3 *Epiſtola lib.3. 17. data eſt III. non. Sept.* Queſti Signori Bologneſi jeri mattina con tutti i voti preſero il partito, che io ſia condotto per ſei anni con proviſione di 350. ſcudi &c. 4 *lib.3. ep. Ital. 22. & 34.*

pendio contentus eſſet, alia quædam Paullus poſtularet [1], res diu extracta eſt; de quo ille queri aliquantum videtur ſcribens Palæotto [2]. Anno 1556. Februario menſe [3], res adhuc fervebat; tepuiſſe poſtea, apparet, & tandem eo ipſo anno rejecta: nam ſcribit Bartholomæo Riccio [4]; *vera narras .... mihi, ut ſcribis, condiciones hoc biennio delatæ ſunt multæ, omnes cum emolumento, nulla ſine dignitate: fecit tamen ſive valetudo mea, ſive voluntas, ſeu fati potius, quæ in rebus humanis dominatur, occulta quædam vis, ut omnes rejecerim*. Rejecta conditione, ſemper gratum animum exhibuit Bononienſibus Manutius, ut Mureto de illis ſcriberet; *civitas eſt ad humanitatem nulla propenſior*. Antea Manutius Venetias Bononia redierat, & Venetiis Pridie nonas Novemb. a. 1555. ſcribit Hieronymo Turriſano [5] diutius quam putaverat Bononiæ conſtitiſſe. Neſcio an inter conditiones, quas illo biennio ſibi oblatas ſcripſit Manutius, numerari debeat Peruſina, quam Antonio Merlo [6] ſcribens, ſatis optimam, & ſatis honorificam vocat. Tandem ex his unam amplexus eſt; *Poſtremam* (ait Riccio) *delatam a ſummo Cardinali Hippolyto Eſtenſi, unam avide ſum complexus, unam omnibus antepoſui: nec eſt in meis conſiliis quidquam antiquius, quam ut in illius aula, eximii Principis ac viri præſtantiſſimi, conſeneſcam*. Meminit hujus præterea condicionis in præfatione libri *de legibus*, eamdem rurſus honorificam vocans, magnumque beneficium, quod ſit in ejus familiarium ordinem invitatus. Itaque ibidem, ſe illi, quicquid ſit, & quantus quantus eſſe poſſit, totum addixiſſe ait; quod ut quoquo tandem modo publice profiteatur, librum illum eidem inſcribere; ad ceteros vero antiquitatum libros perficiendos pergere ſtudio pari, voluntate etiam majore. Etſi vero Hippolyti Paullus conditio-

Cl. Vir. Ep. To. II. P nem,

1 *ep.42.* 2 *ep.34.* 3 *ibid. ep.37.* 4 *lib.2. ep. Lat. 5.* 5 *lib.3. ep. Ital. 5.* 6 *lib.4. ep. Lat. 43.*

nem, beneficiumque accepit, nunquam tamen apud eum fuiſſe, aut convictu liberaliſſimi Principis uſum eſſe, teſtatur epiſtola ad eumdem ſcripta [1], *quod*, inquit, *meam ad te veniendi cupiditatem incredibilem*, *peſtilentia primum*, *deinde morbus impedierit*. Peſtilentiam ſæviiſſe in illis regionibus a. 1555, colligitur ex epiſtola Manutii ejuſdem ſcripta Bernardino Lauredano v. Cal. Novembr. a. 1555. De morbo vero Manutii fuſius diximus. Atque in eadem epiſtola deinde Manutius; *Quando a tuo convictu non mea me voluntas, non judicium, aut ulla mentis inconſtantia, ſed corporis imbecillitas, atque hæc anniverſarii, ac pœne jam perpetui morbi vis importuna ſejungit; peto a te, Princeps humaniſſime, id ſaltem, quod in tua, non in fortunæ manu ſitum eſt, tribuas & largiare, ut benevolentia mihi tua, & quæ fuit antea, & quæ, ſi ad te iviſſem, futura erat, eadem conſervetur.*

16. Ut Venetias rediit Manutius, habuit in quo operam ſuam, quam in optimis libris vulgandis ponebat, acrius exerceret. Nam a. 1556. cum initium factum eſſet *Academiæ Venetæ*, quæ hoc ipſo nomine, atque altero *Famæ*, cujus effigiem ſtemmatis loco habebat [2], nuncupabatur; Manutio præter eloquentiæ ſcholam, typorum etiam, qui Academiæ erant, præfectura collata eſt. Erat enim hoc Academiæ inſtitutum, non ſolum, ut præſtantiſſimas ſcientias atque artes docendo juvaret, ſed ut libros qui utiliſſimi videbantur iiſdem promovendis in lucem emitteret: quamobrem Italice primum a. 1558, deinde anno ſequenti 1559. latine index horum librorum vulgatus eſt, præfixo titulo; *Summa librorum, quos in omnibus ſcientiis ac nobilioribus artibus variis linguis conſcriptos, vel antea nunquam divulgatos, vel utiliſſimis, & pulcherrimis ſcholiis correctionibuſque illuſtratos*

1 *lib. 3. ep. Lat. 1.*

2 *Videre id licet in fronte librorum Academiæ Venetæ nomine editorum: habent enim famæ ideſt feminæ volantis, tubaque perſonantis effigiem; alia erat famæ effigies inſigne Octav. Scoti.*

*tos in lucem emittet Academia Veneta. In Academia Veneta a.*1559.[1] Maxime laudandus præclariſſimi utiliſſimique inſtituti auctor Federicus Badoarus; ſimulque dolendum, adeo brevi vel ipſius nomen extinctum, ut poſt A. MDLXI. vix audiatur. Neſcio an Academiæ hujus illuſtrandæ gratia, an viri illius elegantiæ atque amicitiæ id largiens, Annibalis Cari litteris colligendis evulgandiſque animum adjecerit hoc tempore[2]; cum videam antea Badoarum, ad ipſum[3], quaſi exſtimulatorem impulſoremque, allegaſſe.

17. Atque his quidem annis multa habemus, quæ de Manutio dicamus; nonnulla vero aut omnino ignorata, aut non uti erant ab aliis prodita; quæ nos a litteris ipſius ad Muretum nunc primò prolatis docemur. Præter has verò, aliæ extant apud nos manu Manutii, jam typis editæ in vulgus, ſed plerumque ſine anni nota, aut nonnullis deletis, quæ efferri foras illis temporibus, vir prudentiſſimus integerrimuſque noluit. Antiquiſſimæ harum ſunt, quæ leguntur *libro* 3. ordine 5. *Monſtri ſimile*; diem vero adſcriptam habent, *Venetiis Prid. Cal. Sept. a.*1556. Sequitur ordine temporis, quam nunc primùm vulgamus *Mitte ad me tuum Euripidem*: tum alia edita eodem libro III. 4. *Unam Tragœdiam* ſcripta VIII. *Cal. Octob. a.* 1556. quarto loco in autographo eſt epiſtola in editis XI. *Quinctilis Calendæ*; ſed Manutius ſcripſit *Aprilis Calendæ*; & præterea nomen ineſt Faerni; *Ipſe te debes incitare, & eo magis, quod in eo nihilo melius de te, quam in Livio Phaernus de Sigonio ſentit, & habet peracre judicium; ſevere nimis ac faſtidioſe judicat aliena, ſua vero premit, exire non patitur, diu licet evigilata, acer-*

 bus

1 *Indicis Italici, qui rarior eſt, hic titulus, quem exhibet Cl. Marcus Foſcarenus pag.*79. Somma delle opere che in tutte le ſcienze ed arti piu nobili, ed in varie lingue ha da mandar in luce l'Accademia Veneziana, parte nuove, e non più ſtampate, parte con fedeliſſime traduzioni riformate. 2 *Vol.* II. *ep.*55. *Vide inter Italicas Manut.* III. 53. *cui illa Carus reſpondet, etſi alium annum ob Venetum morem præferre videtur.* 3 *Vol.*1. *ep.*160.

bus etiam in ſe ipſum, minimeque indulgens; inferius vero, ubi de interpellatoribus dixit; *quibus velim, nolim, diei horæ dandæ ſunt omnes*. Hæc quoque tempus adnotatum habet IV. *Non. April.* MDLVIII. Quincta eſt in eodem libro, edita 8. *Plane non aſſequeris*, cumque diem adſcripſiſſet Manutius VII. *Cal. April.* MDLVIII. Muretus vocem *Cal.* linea ſubſignavit, ſubjecitque manu ſua, *Id. nam ego poſtridie Nonas ſcripſeram*. Ceteræ, quæ editæ ſunt, ſcriptæ eodem anno 1558. ſunt hoc ordine collocandæ: VII. IX. XIV. XVII. ſed hujus extrema verba edita non ſunt, id. *Vale, & Molino noſtro, cujus illico manum agnovi, ſalutem a me multam. Næ nos aliquid, mi Murete, ſumus, quibus neque Tirones, neque Alexides deſunt. De Aldo meo verbum*. De nobilibus ſcilicet amanuenſibus ſuis gloriatur. Et de Franciſco quidem Molino legenda in editis eodem libro Manutii epiſtolarum altera; de aliis XI. cujus poſtrema verba ſunt: *Hæc ante lucem cubans in lectulo amanuenſi meo, & jam meorum ſtudiorum ſocio dictavi, nobili adoleſcenti Cyprio Herculi Podocatharo .... illa ſuperiora Sebaſtiano Leoni Hiſpano, qui ſe forte obtulerat, dictaveram inambulans, quod eram paullo crudior, nec fere mea manu libenter uti ſoleo*. Atque in alia pariter Mureto inſcripta [1]: *Vix credas, quam non facile mea manu ſcribam, & quam facile cum utor amanuenſi fluat oratio .... Diſceſſus ille meus, magnorum index malorum, ut ab amicis tunc falſa conjectura ductis putabatur, familiares meos, quorum opera uti ſolebam, Faſinardum, Podocatharum, poſtremo etiam Nicolaum Cratenſem mihi ademit. Filium habeo, ſed puerum adhuc, & imbecillum corpore, & occupatum ſatis domeſtica cura, præterea cui dictandum ſit inciſim, & pene ſyllabatim, quod expertus moleſtiſſimum eſſe non ignoras*. Deſunt in editis poſtrema hæc verba, quibus de Aldo puero, qui tamen XIII. annum expleſſet, agitur; credo, quod virum jam eorum ſubpude-

1 lib. 3. ep. 27.

puderet. Ceterum epiſtola illa XVII. caret nota temporis, ſed ex ea, quæ in editis quoque ſequitur, & ſcripta dicitur XI. *Cal. Maj.* MDLVIII. colligitur, hic recte eſſe collocatam. Hanc conſequitur, quam nunc primo damus, *Mitto tria Catulli folia*, deinde in editis XXI. *Nonis Maj.* MDLVIII; ubi vero de nuncupatione librorum agitur, hæc ſunt in ms. quæ in editis deſiderantur: *Propertium cui videbitur Aloyſio Mocenico, Molino noſtro, Petro Podocatharo, vel filiolo meo*. Proxime eſt collocanda XXIII. ſcripta *Prid. Id. Maj.* MDLVIII. quæ pariter integre edita non eſt, ſed omiſſa ſunt hæc, *Tua virtus multum levat; ſi duo præterea, mecum optime ageretur: Sed ubi ſunt?* ἀτὰρ σὺ μοὶ ἐσσὶ πατὴρ ϗ πότνια μήτηρ Ηδὲ κασίγνητος, *quod ſpero perpetuum &c.* Hinc XXII. XI. *Cal. Jun.* XVI. VIII. *Calend. Jun.* MDLVIII. XXIV. *Cal. Jun.* MDLVIII. X. III. *Non. Jun.* eodem anno. XV. VI. *Id. Jun.* 1558. Sed ubi in editis; *Binis jam litteris de Martello*, hic, *binis jam litteris de Columbino*, quod blandientis forte cognomen aliquod pro vero nomine poſuiſſet: eſt etiam aliud, in quo differunt edita a noſtris, cum ſit hic; *ſedabuntur illæ turbæ, quas audio paſſim ab hominibus aliena laude dolentibus excitatas*. XIII. *Aiſne Giannottus ita ſuaſit?* ſic enim ſcriptum eſt; dieſque adſcripta VIII. *Cal. Sext.* 1558. XXV. *Non. Sept.* 1558. Huic ſubjicienda epiſtola edita inter Mureti epiſtolas *lib.* IV. XI. editionis Cominianæ prorſus fideliter, ut nos habemus. Caret nota temporis, ſed ordinem hunc tenere debere, conjectamus ex eo, quod cum hactenus hujus anni omnes locum ubi Muretus degebat deſignent *Padoa a s. Piero in caſa della Fortuna*, qui in inſcriptione exteriori epiſtolæ ſignificatur; hæc, ut ſuperior, *Padoa nel borgo di s. Croce in ca Foſcarini*. Atque hactenus latine ſcriptæ, & omnes ferme vulgatæ. Reliquas nunc vulgamus populari ſermone exaratas, dataſque ad Muretum,

1 *Vol.* II. *pag.* 281.

retum, quo tempore Ferrariæ apud Hippolytum Cardinalem Eſtenſem vivebat. Duas tamen adhuc habemus latinas editas, unam *lib.* III. 27. *Vix credas*, ſcripta XI. *Cal. Sext.* MDLIX. Alteram *lib.* V. 19. *Gaudeo, mi Murete*; quæ ſerius exarata videtur (nil enim habet unde id certo ſciamus) cum jamdiu Muretus Romæ erat, & magnam ſibi famam gratiamque collegerat. Minutiora iſta perſecuti ſumus, quod viri litterariæ hiſtoriæ intelligentes ſciunt quanto uſui futura ſint; ceteri legentes Manutianas epiſtolas ordine hoc & ſuo diſpoſitas, facilius illa quæ narrantur cognoſcent.

18. Nunc ex litteris his hoſtris præcipua, quæ de Manutii factis vel ejus vitæ eventibus colligi poſſunt, indicabimus. Primum eſt anno 1559. Antonium ejus fatrem jam diem ſuum obiiſſe. Apoſtolus Zeno fatetur ſe ignorare ſuperſtes ne Paullo Antonius & Manutius fuerint. Antonium mortuum deploraverat Paullus in epiſtola Saulio anno 1558. ſcripta [1]; ſed verusne nuntius eſſet dubitaverat; nec aliud poſtea erat ab eo dictum, quod rem decideret. Decidit epiſtola, quam vulgamus VI. *Id. Mart. anno* 1559. ſcripta, in qua habetur: *Non credea certo di amarvi tanto; che per quella mia ſciagura, la quale mi priverà della patria, e di gran parte delle mie facoltà, e per la morte di Mr. Antonio mio fratello, e di* 800. Δ. *che per la dote di ſua moglie mi biſogna hora ritrovare, non ho gittato lacrima*. Itaque verum fuiſſe nuncium illum exiſtimo, atque anno illo deceſſiſſe Antonium. Alterum vero eſt triſte quiddam & funeſtum, quod

1 *Lib.* 1. *ep. lat.* 5. Obiiſſe audio fratrem meum Bononiæ, cum valeret optime, repentino morbo oppreſſum: fratrem cum dico, me alterum jure naturæ dico. Verum addo illud; obierit, ſi vera narrantur, frater is qui bonitate præſtabat, valebat ingenio, excellebat induſtria, factus ad omnia maxime omnium videbatur. Itaque obruor dolore: nec, puto, emergam, niſi aut illi melius eſſe cognovero, aut ſi naturæ ſatisfecit, opem tulerit ipſa dies.

quod allatis verbis Paulus deplorat. Illud vero cujuſmodi ſit, intelligere omnino non poſſumus. Video tamen fuiſſe aliquid quod judicio decernendum erat, & Paullum patria poſſet extrudere. Nam in alia epiſtola III. Id. Febr. ſcripta: *Del mio caſo ſi ſaprà l' avvenimento o lunedì proſſimo, o ſabato: gli amici mi danno ſperanza di ſalute; ma io temo fortemente del contrario. Benchè non voglio però, che queſto caſo mi affligga, come per avventura ſi ſtima; in ogni luogo ſi vive, e poca robba mi baſta, havendo avvezza la mia famiglia alla frugalità*. Atque in extrema epiſtola eadem: *Son hora per mia ſicurezza in s. Gio. Polo nelle ſtanze del noſtro humaniſſimo fra Siſto; ma preſto per mutar luogo, anderò da un amico in fino alla fine del giudicio*. Finita fuiſſe cauſſa videtur, cum illa priora menſe Martio ſcribebat, & patria extorris futurus; imo cum v. Cal. Mart. illa, quæ in alia ex noſtris leguntur; *E perchè debbo io dolermi, vedendomi già chiamato a Bologna & a Roma, e potendo haver in una ſolitudine non molto di qua lontana un ocio tranquilliſſimo? &c.* Manſiſſe tamen Venetiis anno 1559. epiſtola in editis 27. *libro tertio* liquidò oſtendit, quæ, ut diximus, ſcripta eſt hoc anno XI. *Cal. Sext.* De anno etiam 1560. & 1561. teſtes ſunt aliæ, quas nunc vulgamus, datæ Prid. Cal. Jun. an. 1560. VI. Id. Sept. & XII. Cal. Oct. an. 1561. nec tamen verum puto, continuum Venetiis fuiſſe Paullum his annis. Diſceſſum enim quemdam ſuum memorat in particula earum litterarum, quam ſupra retulimus; atque inferius in eadem epiſtola adſcriptum erat: *Cum e Foro Julii rediiſſem, quò exieram non tam negocii quam valetudinis cauſa*.

19. Qui proxime conſecuti ſunt anni, hi Manutium Venetiis abſtulerunt. Cum enim anno 1559. nocte poſt Chriſti natalem diem Pontifex Romanus creatus eſſet Joannes Angelus Medices, qui Pius IV. dictus eſt; con-

P 4 tinuo

tinuò actum eſt de inſtituenda Romæ typographica officina, qua & Chriſtianorum Patrum libri, ii præſertim qui multis in locis corrupti ab hæreticis hominibus vulgati fuerant, &, cum Tridentinum Concilium abſolveretur, ejus decreta, pro tanta rei dignitate ederentur. Jamdiu ab anno 1539. cum Romæ cœptum eſſet conſilium, omnes libros Græce ſcriptos, *qui nunc in bibliotheca Palatina aſſervantur*, ait Paullus, prælo ſubjiciendi, eique muneri Antonius Bladus præpoſitus fuiſſet, ad Manutium confugerant, ut idem Marcello Cervino tunc Cardinali ſcribit [1], *ut & eos typos, quibus atramento illitis charta imprimitur, conflandos curaret, & ſi qua præterea ſunt ad opus neceſſaria, maturaret*: quæ omnia ſuo fratrumque ſuorum nomine pollicitus ille fuerat: quin etiam Manutium ipſum *a ſuperioribus Pontificibus ſemel & iterum optima invitatus conditione* fuiſſe, ipſe ſcribit *in Præfatione* ad librum Cardinalis Poli *de Concilio*. Nunc vero rurſum res agi cœpta & perfecta eſt. Hieronymus Seripandus tunc Salernitanus Archiepiſcopus, litteris Roma datis IV. Id. Februarii an. 1560. ſcribit Paullo [2], in Cardinalium Præſulumque conventu, actum fuiſſe de traducenda Romam typographica officina, Concilii Tridentini gratia: itaque ipſum Manutianam propoſuiſſe; & quamquam a nonnullis objectum fuit, aliàs de illo actum, nihilque perfici ob ſalarii magnitudinem, quod poſtulaverat, potuiſſe; ipſum tamen a Pontifice mandatum habuiſſe, ut ad eum ſcriberet; quid reſponderet, ac poſtularet, ad Cardinalem Carolum Borromæum referret. Aliæ ſunt Seripandi litteræ ſcriptæ V. Id. Martii anni ſequentis 1561. [3], ex quibus intelligimus, delectos eſſe a Pontifice Cardinales aliquot, qui rem hanc curarent; inter quos erat Seripandus

1 *Lib. 1. ep. Lat. 7.* 2 Lettere volgari di diverſi nobiliſſimi huomini & eccellentiſſimi ingegni *lib. 3. pag. 62. edit. Manut. a. 1564.* 3 *Ibid.*

dus recèns Cardinalis creatus; hunc Manutii negocium diligenter tractaſſe, eique conſenſiſſe Moronium & Farneſium; nondum tamen Manutii reſponſa propoſita, ſed in alium conſeſſum dilata. Harum litterarum Seripandi meminit Manutius in præfatione ad librum Poli: *Me quidem*, inquit, *Venetiis domeſtico patris mei reſtituendæ antiquitatis inſtituto & honeſte ſatis & commode viventem, nihilque minus quam de migratione cogitantem; quippe cum ab egregiis ſæpe civitatibus atque adeo a ſuperioribus Pontificibus ſemel & iterum optima invitatus conditione, nihil tamen unquam novi conſilii cœpiſſem; tui Pontificatus fama Romam facile perduxit. Nam cum ab ſummo viro Hieronymo Seripando, cui tua ſapientia debitum jampridem ejus integritati atque doctrinæ in Cardinalium Collegio locum tribuit, litteras accepiſſem, in quibus erat ſcriptum, cupere te ſacros omnes libros, vel hominum incuria, vel improbitate corruptos, quam emendatiſſimos pervulgari, velleque in eo opera uti & induſtria mea; ſpatii ad deliberandum nihil ſumpſi: ſtatim reſcripſi... ita me animatum, ita paratum eſſe, tibi ut in omnibus rebus libenter obſequerer, ſuſciperem quæcumque velles, agerem & præſtarem quicquid poſſem*. Sunt tamen nonnulla hic a Paullo ſcripta, quæ ex ſuperioribus Seripandi litteris explicari debent. Quod vero ait, commode vixiſſe Venetiis, non profecto eum ſignificat opibus abundaſſe. Etenim non multo ante, ideſt anno 1558. hæc Saulio ſcripſerat [1]: *At ego ſumptus unius pueri minima mercede conducti, quo in ſcribendo utor, ægre ſuſtineo. Et in his anguſtiis, in hac mea tam tenui valetudine, tam adverſa fortuna &c.* Stipendium ei decretum in annos ſingulos fuiſſe aureorum numorum, ſive ſcutorum ut dicimus, ſexcentorum, ſcribit Zeno. At ego quingentorum tantum fuiſſe puto. Nam Manutius ipſe Henrico & Camillo Cajetanis fratribus [2], quam-

1 *Lib.* 1. *ep.* 5. 2 *Lib.* 2. *ep. Lat.* 12. *Vide & lib.* 2. *ep.* 6.

quamdiu, inquit, *Romæ vixi*, *vel in illo quingentorum ſcutatorum ſtipendio &c.* Suppeditatam præterea ad ſumptus itineris pecuniam, narrat Maſio Latinus Latinius [1]: *Mi Maſi*, *cura ut valeas*, *& Manutium ſcito nondum veniſſe*, *qui tamen brevi profecturus nunciatur*; *& ſunt jam condicionum hinc inde confectæ præſcriptæque ſolemni more tabulæ*, *numerataque*, *ut P. Octavius mihi narravit*, *H. S.* CCIↃↃ. *ad ſumptus itineris inſtrumentique convehendi*. Datæ ſunt hæ litteræ Roma VI. Cal. Junii 1561; nondum ergo tum Manutius ad urbem acceſſerat. Zeno ſcribit, hoc anno ſub finem æſtatis diſceſſiſſe Venetiis, & Septembri menſe Romam perveniſſe. Romæ fuiſſe XIV. Cal. Octobr. ejus litteræ declarant, hoc die Roma Petro Miſcovio datæ [2], quas fortaſſe unas vir ille doctus vidit. Sed aliæ, quas nunc Italice ſcriptas Mureto vulgamus, Roma miſſæ V. Id. Auguſti, maturius aliquanto eum veniſſe omnino teſtantur; imo per æſtatem hoſpitatum eſſe apud Vitelleſchium, qui magno ingenio, nec mediocribus facultatibus præditus juvenis annos natus XIX. deceſſit, ſcribit eidem Pridie Idus Januarii 1562. Utrum vero una cum Paullo Aldus venerit, an paulo poſt hoc eodem anno, ſatis adhuc conſtituere non poſſum. Nam Paullus VI. Id. Nov. hæc ſcribit Joanni Turritiano [3]: *Valeo ſatis commode*; *filius diſcit apud me diligenter*, *nec pœnitet quantum proficiat*; atque aliis litteris [4] Joanni Baptiſtæ Tetio Nonis Decembr. *Vale & ſalve a filio meo*, *cui raptim hæc mane dictavi*, *cum in Vaticanum negotii cauſa properarem*; & rurſus in aliis Turritiano [5] XVI. Cal. Januar. *Filius meus*, *cui te bene ominari gaudeo*, *mea voce jam*, *qua quotidie fere aures ejus antea perſonabant*, *in diſcendo*, *non utitur*: *ſic enim in utraque verſatur lingua*, *ut ſuo jam ſtudio potius*, *quam noſtra proficiat induſtria*. Ex his refutari vide-

1 Epiſtol. Conjectur. & obſervat. *tom. 2. pag. 90.* 2 *lib. 6. ep. Lat. 4.*
3 *Ibid. lib. 6. ep. 6.* 4 *Ib. ep. 8.* 5. *Ib. ep. 9.*

videtur Cl. Zeno, qui anno 1562. Aldum cum matre & ſorore Romam veniſſe affirmat. Verum habet qua ſe tueatur, & rem ipſam in dubium vocet, Aldi ipſius epiſtolam, qua Salluſtium Collegio Romano Soc. Jeſu nuncupans Cal. Octobr. anno 1563. hæc narrat [1]: *Contuli me ad Urbem ſuperiore anno, vocatus a patre, libentiſſime: cupiebam ſcilicet ea præſens intueri, quæ ſæpe legeram &c.* Ceterum in maxima erat expectatione, ſive potius fama Manutius [2], & conſilium Pii IV. probarunt viri id ætatis ſapientiſſimi, qui hoc etiam expetebant, ut ejus typis ſua opera vulgarentur, non ſolum quod correctiora exitura ſperarent, ſed Manutii etiam nomine ſplendoris aliquid & laudis acceſſurum [3]. Conſilium tamen Pii, inſtitutumque typographiæ illius aliud omnino erat; quod in *Præfatione* ad Poli librum loco ſupra allato Manutius declaravit; & paullo poſt ſcribens: *Erat præterea mihi non modo laudabile & honeſtum, ſed illuſtre etiam & glorioſum, vocari a Pio IV. Pontifice ad eam curam, ut ſanctiſſimorum virorum ſcriptis, quibus humano generi ſalutaris doctrina continetur, emendandis, edendiſque*

1 *In editione Romana a. 1563. & Veneta 1567.* 2 *Laudatus Seripandus in epiſtola Jo. Vincentio Pinello, lib. 3. epiſt. Ital. pag. 63.* Io mi ſono aſſai rallegrato .... di congiungervi in amicizia con M. Paolo Manutio, il quale huomo io ſempre ho ſtimato tanto, che quando voglio racconſolarmi delle molte miſerie di queſto ſecolo, non poſſo rivolgermi a penſar ad altro, che all' eccellente dottrina, & agli ſcritti ſuoi; ne' quali vedo quello che molti antichi con molto ſtudio ricercarono, e non trovarono, vera eloquenza, cioè ſapienza congiunta con tutti gli ornamenti del dire. *Julius Pogianus in epiſtola anno ſuperiori ſcripta Octaviano Magio Vol. 2. pag. 66.* Felicem igitur eſſe te ſtatuo, Magi, qui Manutium & Venetiis & tui tam ſtudioſum habeas; de quo quidem ſic exiſtimo, iſtius viri tum doctrinæ, tum Latinæ linguæ elegantia pæne admirabiliores eſſe Venetias, quam ſitu, quam navalibus, quam ſingulari iſta pulchritudine & magnificentia urbis..... Tibi vero judicabis Romam eſſe, ſed illam veterem, Manutii domum, non magis librorum officinam, quam virtutis & eloquentiæ. *Vide & ejuſdem Pogiani epiſtolam ad Manutium Ib. pag. 71.* 3 *Vide epiſtolam Card. Auguſt. Card. Hoſio tom. 3. ep. Pogian. pag. 58.*

diſque praeeſſem: atque addit quod alibi [1] etiam repetit; *Quo in munere, ſi vitam ipſam profundere opus eſſet, egregie mecum actum putarem*. Scripta ergo edenda erant, & de rebus ſacris, & veterum Auctorum; quorum alterum Carus quoque ſignificat [2]; alterum conſtat ex Cardinali Auguſtano [3] ſcribente Varmienſi: *Cum ſæpius egiſſem cum novis impreſſoribus, ut libros tuos edendos ſuſciperent, mihique iidem illi ſemper reſpondiſſent, ſibi non licere, quod tantummodo veterum Scriptorum voluminibus addicta eſſet impreſſio, cœpi conſilium de re ad Pontificem referenda &c.*

20. Nonis Decembr. anno MDLXI. hæc Joanni Baptiſtæ Titio ſcribebat Manutius [4]: *Præla noſtra, comparatis jam fere omnibus rebus, quæ ad imprimendum pertinent, propediem in officio erunt, & a Cypriani epiſtolis, quod felix fauſtumque ſit, initium fiet*. Idem ſcribit Andreæ Maſio Latinus Latinius [5] VIII. Cal. Decembr. eodem anno: *Manutius noſter propediem aliquid excuſum dabit, putoque Cyprianum pluribus in locis in integram lectionem reſtitutum, aditum ad majora molienda patefacturum*. Alibi tamen Latinius, antequam Sanctorum Patrum opera excudantur, ſacros libros, ideſt Biblia, impreſſum iri affirmat; atque ita eidem Maſio litteris datis VI. Cal. April. 1561. [6] *Addo, quod minime expectaras, conductum huc Paullum Manutium, ut ſacros primum libros, deinde etiam ad eos pertinentes, ideſt Virorum Sanctorum volumina excudat. Prima autem erunt, ut audio, ſacra Biblia Latina, deinde Græca; atque ad eam rem Faernus jam cum Sirleto bonam diei partem incumbit; &* Pogia-

1 *lib. 9. ep. 15.* 2 *Annibal Car. Epiſt. Vol. 2. pag. 187.* Ma non ſon già riſoluto per ancora di dar fuori, ſe non quelle poche rime, che mi truovo aver fatte.... E toſto che la piſcina ſi muove, il Manutio darà lor la pinta: voglio dire, che non aſpetta altro che la licenza di poterlo fare: perchè fino a ora ha divieto di ſtampare altro che coſe ſacre... alli XVI. di Ottobre M.D.LXII. 3 *tom. 3. epiſt. Pogiani 14.* 4 *lib. 6. ep. Lat. 8.* 5 *Epiſtol. tom. 2. pag. 100.* 6 *Ibid. pag. 87.*

Pogianus, ſive Otho Cardinalis Truchſeſius Staniſlao Hoſio[1]; *Imprimendi ratio maxima in ſpe eſt, & jam jam aderit Paulus Manutius ad eam rem Romam accerſitus, primumque tum Veteris, tum Novi Teſtamenti libri edentur quam emendatiſſime*. Id tamen verum non fuit. Nam primum opus[2] a Manutio Romæ excuſum anno 1562. fuit liber Reginaldi Poli *de Concilio*, addita Appendice veluti quadam ejuſdem Poli, *de Baptiſmo Conſtantini M. Imp.* Quæſtione: item ſeparatim *Reformatio Angliæ ex decretis Reginaldi Poli Cardinalis Sedis Apoſtolicæ Legati Anno* MDLVI. Editus eſt præterea eodem anno *S. Joannis Chryſoſtomi de Virginitate liber a Julio Pogiano converſus* cum Præfatione ad Cardinalem Auguſtanum ejuſdem Pogiani. Editus & *Gregorii Nyſſeni liber de Virginitate a Petro Galeſinio converſus*, cum Præfatione, ſive epiſtola nuncupatoria Galeſinii Pio IV. Inſuper *De Virginitate opuſcula Sanctorum Doctorum Ambroſii, Hieronymi, & Auguſtini*. Præter hæc antiquorum Patrum opuſcula, typis Manutianis impreſſa eſt eodem anno *Divi Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici in librum B. Job expoſitio*. Atque hic primum additum vidi Diploma Pii IV, cujus hæc ſunt initio verba; *Cum nuper ad hujus almæ Urbis ornamentum, & publicam ſtudioſorum omnium utilitatem, noſtro juſſu inſtituta in hac Urbe fuerit officina librorum, pulcherrimis characteribus, & ſumma cum diligentia imprimendorum, præſertim ſacrorum Eccleſiaſticorumque Scriptorum, accerſito Venetiis & huic negotio præpoſito dilecto filio Paulo Manutio, cùm eruditiſſimo viro, tùm paternæ in hac arte laudis & induſtriæ imitatore, providere, ſicut æquum eſt volentes, ne ejus labor & induſtria, quæ fructum aliis allatura eſt, ipſi uni detrimentum afferat &c.* Ex quibus poſtremis verbis, & reli-

1 *Tom. 2. ex recenſ. Hier. Lagomarſinii pag.* 273.

2 *In Præf.* Atque hujus quidem tanti ac tam præclari muneris initium unde ſumi aptius potuit, quam ab eo libro, cujus argumentum &c.

reliquis, quæ diplomate ipſo continentur, eruitur, Manutii ipſius periculo libros editos. Quod vero ajebat, *præſertim* ſacros Eccleſiaſticoſque Scriptores edi debere, non omnino alios excludit; etſi, ut vidimus, id per ſe facere *novi impreſſores* non poterant. Ceterum hoc ipſo anno 1562. vidimus typis his vulgatum *Claudii Ptolemæi librum de analemmate a Federico Commandino Urbinate inſtauratum, & commentariis illuſtratum*; adjuncto ejuſdem Commandini libro de Horologiorum deſcriptione: fuerat autem prior ille Ptolemæi liber latine inventus a Marcello Cervino adhuc Cardinali, paucis ante annis, ut in præfatione dicitur, quam altiſſimum Reipublicæ Chriſtianæ gradum obtineret. Atque hactenus recenſita minora hujuſmodi opuſcula quaſi experimento quodam ſuo Romana Manutii typographia vulgavit. Majus etiam opus prolatum eſt, *Theodoreti urbis Cyri Epiſcopi in viſiones Danielis Prophetæ Commentarius Joanne Baptiſta Gabio Veronenſi Interprete*. Ex omnibus vero his, quæ anno eodem 1562. prodierunt, intelligimus, in eo etiam curam laboremque verſatum virorum ea ætate eruditiſſimorum, Pii IV. auſpiciis, ut quæ Græce ſcripta erant latine redderentur, & cum quamplurimis communicarentur. Petrus Galeſinius in *Præfatione* ad Nyſſeni librum de Virginitate, quem Pio IV. inſcripſit, ſibi diſtributum hunc librum latine vertendum narrat: *Nam*, ait, *ampliſſimi quatuor Cardinales, quibus hoc a te mandatum eſt, ut Veteres illos in primis de pura Dei Religione ss. Patrum libros edendos curent.... Gregorii Nyſſeni libellum vere aureum, qui de Virginitate eſt, mihi dari juſſerunt, quem latine redderem*. Erant enim toti huic negotio recognoſcendorum, atque interpretandorum operum præpoſiti Cardinales IV, ut Manutius ipſe etiam teſtis eſt [1]. Qui fuerint eorum tres, cognoſcimus

[1] *Lib. 4. ep. Lat.* 1. Cum quatuor ſpectatæ virtutis & innocentiæ Cardinalium, quos huic negotio præfeciſti, nihil deeſſe patiantur.

gnoſcimus ex Cardinali Auguſtano ſcribente Hoſio [1]; egiſſe ſe cum Pio IV. ut ejus *Confeſſio* Manutianis formis excuderetur; *quod*, inquit, *cum facerem, opportune Moronus, Tranenſis, & Amulius Cardinales, qui illi muneri præſident, affuerunt*. Tranenſis nomine venire Joannem Baptiſtam Scottum Cl. Regularem Cardinalem, Archiepiſcopum Tranenſem, omnino conſtat, & adnotavit eruditus earum epiſtolarum editor Hieronymus Lagomarſinius. Amulium impenſe laudat Marianus Victorius *in Præf. ad epiſtolas Hieronymi*: Morono extat epiſtola *libro* x. *prima Paulli*. De quarto valde dubito: Seripandum initio annumeratum inter eos Cardinales, qui de tota hac re inſtituendæ Typographiæ viderent, ex ejus litteris Manutio, quas adduximus, liquet; atque ei etiam adjunctum Farneſium. Verum Seripandus eodem anno 1561. Tridentum Legatus, & Concilii Præſes deſtinatus eſt. Alexandrum Farneſium, & litteratum ipſum virum, & litteratorum hominum patronum beneficentiſſimum, ad quem concurſus eorum omnium fieret, laudat Petrus Victorius [2], atque ejus ætatis alii. Magis tamen arbitror Vitellotium Vitellium fuiſſe; quem in præfatione ſua ad Theodoreti Commentarium in Danielem appellat [3] Jo. Baptiſta Gabius; & cum quo actum eſſe ſcribit Jo. Franciſcus Lombardius [4], ut Hoſii Confeſſio *Romæ cuderetur typis Manutii*.

21. An-

1 *Tom.* 3. *pag.* 38. 2 *Epiſtol. lib.* 4. *pag.* 95. *edit. Florent.* 1586. *Vid. & lib.* 3. *pag.* 45. 3 Quamobrem ſapientiſſimis Cardinalibus mandaſti, ut nulli neque labori, neque ſumptui parcentes hanc eamdem margaritam latino ſermone expoliendam curarent: a quibus mihi hoc tuo nomine munus eſt impoſitum. . . . . teſtis locuples eſt Card. Vitellius, cui mea ſtudia aliquot ab hinc annis ſua liberalitate ſuſtentanti, nihil tam antiquius fuit, quam ut, relictis aliis rebus omnibus, in hanc unam potiſſimum incumberem, ut quamprimum, quod te velle ſenſerat, hujaſcemodi doctrina cum latinis hominibus communicaretur. 4 *Tabular. Eccl. Rom.* Nervis omnibus tentavit cum Cardinali Camerario, h. e. Vitellio, ut Romæ cuderetur typis Manutii.

21. Annus 1563. hic tandem Cyprianum expedivit: ſed idem pariter alios libros, ut qui inſcribitur; *Gregorii Nyſſeni Conciones quinque de oratione Domini*; *ejuſdem conciones octo de beata vita comparanda, omnes a Petro Galeſinio converſæ*. His vero idem Galeſinius præter præfationem vitam Nyſſeni ipſius præfixit. Item *Franciſci Vargas Catholicæ majeſtatis rerum ſtatus a Conſiliis, & ejuſdem apud Sanctiſs. D. N. Pium IV. Oratoris de Epiſcoporum juriſdictione & Pontificis Maximi auctoritate Reſponſum*. Præfatur vero Lectori Manutius, eamque præfationem aliis, quas una cum epiſtolis ſuis edidit, adjunxit. Denique *C. Salluſtii Criſpi Conjuratio Catilinæ, & bellum Jugurthinum*. *Fragmenta ejuſdem hiſtoriarum e Scriptoribus antiquis ab Aldo Manutio Pauli F. collecta*. *Scholia Aldi Manutii*. Nuncupat vero, ut aliàs diximus, hunc librum Aldus Collegio Romano Societatis Jeſu epiſtola data MDLXIII. Cal. Oct. Quæ cauſa tamdiu remorata ſit hanc Cypriani operum editionem, ut cum prima illuſtrare Manutii Romanos typos deberet, multa aliorum opera ſecuta ſit, augurari facilius poſſumus, quam certo pronunciare: idemque de Bibliis, quorum editio dilata amplius eſt, atque ad Xiſti V. & Clementis VIII. tempora rejecta. Nonnulla tamen intervenerunt, a quibus ſi hanc moram inlatam fuiſſe dicamus, non omnino vana futura ſit conjectura. Et primò Faerni, qui cum Sirleto in Bibliis recognoſcendis laborabat, mors, quam ab eodem Latinio diſcimus accidiſſe [1] xv. Cal. Dec. anni 1561. Deinde cum opera illa mendis deformata invenirentur, mira in reſtituendis difficultas inventa eſt: itaque & codices longius advehendi fuerunt, & doctorum virorum abſolutio laborum ſtudiorumque expectanda diutius fuit. Raynaldus in Annalibus narrat [2], Franciſco Avanzato, atque Honuphrio Panvinio Auguſtiniano provinciam commiſſam,

1 *Tom. 1. pag. 99.* 2 *ad a. 1564. num. 53.*

ſam, *ut vetuſtiſſimorum monaſteriorum, & Cathedralium Eccleſiarum bibliothecas luſtrarent in Siciliæ regno, & nonnullis provinciis, ut mſs. Græca, vel Arabica, vel Latina colligerent, quæ typis excudenda mitterent ad M. Antonium tit. S. Marcelli*. Laudem hanc Manutius in præfatione S. Carolo Borromæo tribuit; ut dicat, virum eum ſanctiſſimum totum in eam curam incubuiſſe, ut omnia Cypriani ſcripta mendis antea deformata, tunc *in veterem illam integritatem ac ſpeciem, accerſito etiam Verona miræ vetuſtatis exemplari, accurata doctorum virorum induſtria reſtituerentur*; quæ verba recitavit etiam qui novam s. Cypriani editionem cudit, ſive Baluzii potius exegit [1]; addens, vetuſtiſſimos codices ad eam editionem adhibitos; adeo vero fuiſſe diligentes, qui eam adornarunt, & quicquid ex Cypriani operibus adhuc in bibliothecis latebat tam accurate collegiſſe, ut poſt Manutium & Guillelmum Morellium (qui Manutianæ pauca quædam addidit) nihil repertum fuerit, quod Cypriano poſſet adſcribi. De emendationibus nihil eſt cur hic dicamus. Ex litteris Latinii (quas Cl. Lagomarſinius vidit, earumque loca adnotavit [2]) habemus, tantam ipſum operam in his poſuiſſe, ut quandoque deficeret animoque deſponderet: quod tamen arbitrio ſuo rem moderari non poſſet, noluit a Manutio operi nomen ſuum apponi [3]. Non pigeat hic adnotare, in Cypriani operibus re-

1 *In Pref. pag.* 3. 2 *tom.* 2. *pag.* 273. 3. *tom.* 2. *epiſt. pag.* 100. Sed præter alia impedimenta id non multo ante acceſſit, ut in reſtituendo Cypriano, ſi quid mihi liberi temporis relinqueretur, collocarem &c. *pag.* 105. Cyprianus tamen dormit, dormietque etiam dies aliquot, dum mihi plus otii ſit, atque aliquarum operarum præſidio ſubiever in obſervandis quatuor Vaticanis codicibus, quos mihi certum eſt prius diligenter excutere, quam abſolutam mihi diligentiam in eo Scriptore, quoad ejus fieri poterit, reſtituendo poſuiſſe videar. Ubicumque autem locus aliquis impeditior incidit, vel librariorum incuria, vel rei ipſius jampridem male intellectæ obſcuritate corruptus, præter hos, qui ad manus ſunt codices, etiam eos conſulendos puta-

cenſendis illuſtrandiſque ante hoc tempus egregie verſatum eſſe Marcellum II. antequam ſummum Eccleſiæ Magiſtratum adminiſtraret. Erat enim vir cum ſapiens, tum reſtituendorum purgandorumque ſanctiſſimorum monumentorum cupidiſſimus; & totum hoc opus, quod demum ſub Pio IV. apparuit, jamdiu ab illo excogitatum, & cœptum eſt, ut Julius Pogianus in epiſtola nuncupatoria libri Chryſoſtomi *de Virginitate* præfatur. Habemus nos in Collegii Bibliotheca Cypriani opera a Gryphio edita Lugduni anno 1537. in cujus libri margine variantes lectiones adnotatæ ſunt; & manu neſcio cujus, antiqua ſcriptura, initio hæc leguntur: *Emendavit Marcellus Papa II. ex collatione trium Codicum Cypriani opera: ubi igitur codex unus aut plures variabunt, numeris diſtinguetur*. 1560. XI. *Cal. Mart.* Ex die adſcripta patet, in hunc librum ab alio, quam a Marcello variantes lectiones, & fortaſſe a Latinio, aut ab aliquo, qui Pii IV. juſſu opus emendandi Cypriani ſuſceperat, tranſlatas. Sequitur in noſtro libro. *Ex Bibliotheca Beneventana codex miræ vetuſtatis ab A. Aug.* (ideſt Antonio Auguſtino celeberrimo illo antiquitatum cùm civilium, tùm Eccleſiaſticarum indagatore) *Ep. Alifano* 1559. *obſervatus eſt: atque ex eo cùm epiſtolarum ordo, tum tractatuum ſumptus eſt*. Ibidem autem præter has variantes, & Annales quidam Cyprianici habentur, & lexicon ſive, ut ibi dicitur, *Verba peculiaria Cypriano*. Ex quibus quidem licet cognoſcere, quanta cura, atque induſtria viri eruditiſſimi tunc Romæ in recognoſcendis PP. operibus verſarentur.

putavi, qui Bononiæ, Florentiæ, Neapoli, Beneventi reperiuntur; ita ut nulla reſtituendi Cypriani ratio a me omiſſa videri cuiquam poſſit. *Pag.* 109. De Cypriano puto, te neſcio quid præclarum expectare, ſed fruſtra: laboratum eſt a me diligenter ac ſumma fide, multa reſtituta ſunt, additus etiam pæne juſtus epiſtolarum liber. Verumtamen mihi fieri ſatis non poteſt ..... Quæ res fecit, ut ne nomen quidem meum a Manutio paterer ullo modo adſcribi.

rentur. Quam curam pariter in Græcis ſcriptis latine reddendis adhibuerunt; ut ex Galeſinio [1], Pogiano [2], aliiſque hoc tempore Patrum Interpretibus cognoſcere poſſumus.

22. Anno 1564. alii Patres editi, opera præſertim Galeſinii. Ipſius enim cura & labore habemus, *Divi Eucherii Epiſcopi Lugdunenſis Commentarii in Geneſim, & in libros Regum*. Hoc nimirum præcipuum eſt Eucherii opus; nam reliquos ejuſdem libros verſa pagina indicat; *Romæ apud Paulum Manutium Aldi F.* MDLXIIII. *Salviani Epiſcopi Maſſilienſis de vero judicio & providentia Dei libri* VIII. *Maximi Taurinenſis homiliæ. Paciani Barcilonenſis de Pœnitentia & Confeſſione. Sulpicii Severi ſacræ hiſtoriæ libri duo. Dorothei Tyrii de Prophetis & Diſcipulis Domini. Haymonis Halberſtattenſis ſacræ hiſtoriæ epitome. Adjunctis in tres poſteriores Petri Galeſinii notationibus. Index nominum & rerum inſignium. Romæ* MDLXIV. *Apud Paulum Manutium Aldi F. In Ædibus Populi Romani*. In præfatione ad Eucherium affirmat, ſummo hoc Reip. tempore impenſe curari, ut non ſolum eorum Patrum monumenta, quæ hactenus latuerant, proferantur, verum etiam quæ ſemel edita ſunt & prolata iterum in lucem revocentur, quod eis vel hominum perverſitas, vel temporis vetuſtas, quæ omnia conficit, interitum afferre poſſit: & divino quidem conſilio eveniſſe, ut cum ſuperioribus proximis annis, quo tempore Vienna a Turcis obſidebatur, cum omni ejus oppidi agro vaſtato, & vicis direptis templum D. Leopoldo conſecratum inflammaſſent; Bibliotheca, in qua Eucherii volumina aſſervabantur, neque fuerit incendio combuſta, neque ſceleratis hominum manibus violata. Ad Salvianum vero idem Galeſinius s. Carolo Borromæo ſcribens præfatur, gratias illi agens, quod in ejus familiam adſcriptus ſit, & ſimul ſignificans,

1 *Præfat. ad Nyſſen. lib. de Virg.* 2 *Præfat. ad Chryſoſtom. lib. de Virg.*

cans, aliorum Patrum opera habere ſe in manibus, quæ latine vertat & illuſtret, præſertim Gregorii Nazianzeni, cum Eliæ Cretenſis & Nicetæ Sarronii Scholiis; quibus abſolutis ad Baſilium ſe convertat. Præcipuum tamen opus Manutianorum prælorum fuit hoc anno *Canones & Decreta Sacroſancti Oecumenici & Generalis Concilii Tridentini ſub Paulo III. Julio III. Pio IV. Pontificibus Max. Romæ apud Paulum Manutium Aldi F.* MDLXIV. Præter exemplum privilegii Pii, brevis præponitur epiſtola Manutii ipſius lectori, in qua poſtquam de Concilio ipſo, ejuſque utilitate, & Pii laudibus nonnulla dixit, jubet a ſe Concilii ipſius hiſtoriam univerſam expectari; quæ tamen ab eo nuſquam eſt edita. Utrumque autem legitur tum in eo Concilii exemplo, quod majori forma, ſive ut ajunt *in folio*, tùm quod minori ſive *in quarto* editum eſt eodem anno 1564. Editus eſt etiam *Index librorum prohibitorum, cum Regulis confectis per Patres a Tridentina Synodo delectos, auctoritate Sanctiſs. D. N. Pii IV. Pont. Max. comprobatus. Romæ apud Paulum Manutium Aldi F.* MDLXIV. *In ædibus Populi Romani*. Atque ex his inſcriptionibus admonemur, ædes Populi Romani ſive Capitolinas Manutianæ typographiæ fuiſſe aſſignatas. Itaque quandoque, omiſſo Manutii nomine, ædes hæ ſolæ nominantur; ut in operibus s. Hieronymi a Mariano Victorio Reatino recenſitis [1]: & tamen Victorius, ubi de neceſſitate recognoſcendorum, rurſuſque imprimendorum operum PP. quæ fuerant ab Hæreticis hominibus edita, egit, Paullum ipſum magna cum laude nominat: *Huic autem neceſſitati optime Sanctitas tua, Pie quarte, proſpexit,* Ro-

1 *Tomo 1. qui eſt primus epiſtolarum. Sed ſunt ſeparatim epiſtolæ impreſſæ tùm eadem majori forma, ſive in folio, ita tamen perpetuò reſpondentibus ſibi paginis, ut libri frons ſola, ideſt prima pagina commutata videatur, in qua Paullus nominatur.* Apud Paulum Manutium Aldi F. In ædibus Populi Romani MDLXV. *tum minori forma, ſive in 8. eadem hac inſcriptione.*

Romam Paullum Manutium Aldi filium advocando, ut ſuis præclariſſimis typis, toti orbi jamdiu ex patris memoria celeberrimis, & ſua doctrina & ſedulitate etiam illuſtratis, ſanctorum veterum libros correctos ederet ac pervulgaret. Diu duravit in Romanis libris hæc inſcriptio, atque in ædibus populi Romani impreſſoria officina, mortuo etiam Paullo [1], donec eam ſive obſcuravit, ſive intermortuæ gloriam aliò tranſtulit typographia Vaticana a Xiſto V. inſtituta [2], cui in vulgandis ſacris libris ſucceſſiſſe videtur Cameræ Apo-

 ſtoli-

1 La politica di Ariſtotele ridotta in modo di Parafraſi dal R. M. Antonio Scaino. In Roma nelle caſe del Popolo Romano MDLXXVIII. ſei diſcorſi &c. Gennadii Scholarii Patriarchæ Cpni Defenſio v. capitum &c. Romæ in ædibus Populi Romani MDLXXIX. Statuta almæ Urbis Romæ auctoritate SS. D. N. D. Gregorii Papæ XIII. P. M. a S. P. Q. R. reformata & edita. Romæ in ædibus Populi Romani MDLXXX. Theodoriti Ep. Cyri oratio vere aurea de Caritate. Romæ in ædibus Populi Romani MDLXXX. *Item Decretum & Decretalis a*. 1582. *Statuta Roma a*. 1590. *Epiſtola Decretales Romanorum Pontific. a*. 1591. *Collectio Scriptorum Liturgicorum Hittorpii* 1591. *Statuta nobilis artis agricultura Urbis* 1595. *In his tamen poſtremis alius pleramque nominatur typographus Georgius Ferrarius*. 2 *In Vita s. Bonaventura prafixa ejus operibus editis* Romæ ex typographia Vaticana MDLXXXVIII. *a Petro Galeſino*; Divino conſilio typographiam Vaticanam inſtituiſti, Pater beatiſſime ... ... cum ad ſacros codices reſtituendos, ſanctorumque PP. monumenta inſtauranda &c. *Petrus Toſſinianenſis Epiſcopus Venuſinus in epiſtola nuncupatoria eidem Sixto V. Operum s. Gregorii M. editorum* Romæ ex typographia Vaticana *anno eodem* 1588. Quotus igitur quiſque eſt de re Catholica bene ſentiens, qui excellenti iſto tuo beneficio non lætetur? cum typographia in ipſo Vaticano palatio divinitus erecta, tamquam arx munitiſſima ſit veritatis Orthodoxæ non ſolum tuendæ, verum etiam propagandæ; ex eaque proditura ſint emendatiſſima PP. ſcripta &c. *Anno ſuperiori* 1587. *prodierat ex typographia Vaticana* Tomus ſextus s. Ambroſii Ep. Mediol. operibus adjunctus, *cum prodiiſſent tomi ſuperiores ex typographia Dominici Baſa, excudente Zannetto. Baſa creditam Vaticanam typographiam, qui in ea re inſumpſerit* 40. *circ. aureorum millia, ſcribit Rocca Bibl. Vatic. pag*. 414. *Diu floruit hac Vaticana typographia, & poſt eum annum, quo ex eadem exiit ille Rocha liber*, 1591., *prater s. Bonaventura opera, quibus finis impoſitus a*. 1596, *editus eſt a*. 1593. & 1598. *tomus* 2. & 3. *Operum s. Ephrem Syri: in primis vero Biblia ſacra vulgata editionis a*. 1592. 1593. 1598. *Concilia Generalia* 1607, 1609. *Denique habeo s. Damaſi Opera edita* Romæ typis Vaticanis 1638.

ſtolicæ typographia [1], quæ tamen multo ante patefacta erat, eamque Paulli tempore, & jamdiu ante Paullum Antonius Bladus Aſulanus [2] regebat. Inſigne vero Paulli aliud opus Romæ editum, Romanum Breviarium [3].

23. Non ſolum Romæ, ſed Venetiis eodem anno 1564. & conſequentibus impreſſos Manutianis typis libros habemus, in iiſque anno 1564. *Calepini Dictionarium* [4], *Caii Julii Cæſaris Commentarii*, cum Joannis Michaelis Bruti epiſtola nuncupatoria *Illuſtriſs. Æthereorum Academiæ*, & ſcholiis [5]: anno 1565. Jacobi Taurelli grammaticum quemdam librum [6], ac libros Ciceronis de Philoſophia: anno 1566. *Catullus cum commentario Achillis Statii Luſitani* [7]. Acceſſerunt ibidem editi libri Aldi ipſius: & primò Elegantiarum liber jam ab anno 1555. vulgatus, nunc etiam publico bono impreſſus; deinde *Orthographiæ Ratio ab Aldo Manutio Paulli F. collecta. Venetiis* MDLXVI. Hanc quoque vulgaverat anno 1561. eodem titulo. Sed multo erat brevior, carebatque iis acceſſionibus, quas poſtea habuit, *De veterum notarum explanatione &c.* Potuit aliquando rem ibi typo-

1 *Editi ſunt reliqui tomi, ideſt 3. & 4, Conciliorum* Ex typographia Rev. Cam. Apoſt. 1611. & 1612. *Hieremias Guelſus in epiſtola Scipioni Burgheſio præfixa operibus S. Gregorii M.* Ex typographia Cameræ Apoſtolicæ *editis a.* 1613. Quare, *inquit*, cum hactenus quidem pleraque Chriſtianæ Religionis, & Ss. PP. monumenta ex liberali hac officina in lucem edita &c. 2 *Aſulanum ſe vocat in Statutis* Civitatis Reatæ *a.* 1549. *& in regulis Cancellariæ an.* 1547. *in oratione* de Vita Cajetani *a Flavio ſcripta &c. Vide epiſtolam præfixam Statutis Romæ an.* 1567. *quo anno mortuus. Videtur tamen alius fuiſſe antiquior Antonius Bladus*; cum in Bulla facultatis R. P. D. Philippi Archinti Epiſcopi Burgi S. Sepulchri SS. D. N. Papæ Vicarii Generalis *edita an.* 1542. *legatur* Romæ apud Hæredes Antonii Bladi Impreſſores Camerales. 3 *Habeo in fol.* Breviarium Romanum ex Decreto Sacroſancti Concilii Tridentini reſtitutum Pii V. Pont. Max. juſſu editum: cum Privilegio Pii V. Pont. Maximi. Romæ MDLXX. In ædibus Populi Romani. Apud Paulum Manutium. 4 Venetiis MDLXIV. Apud Paulum Manutium Aldi F. 5 Venetiis MDLXIV.

6. Jacobi Taurelli Faneſtris exquiſitior patronymia. Venetiis MDLXV.

7 Venetiis MDLXVI. In ædibus Manutianis.

typographicam curare Aldus, quem eò profectum fuiſſe, narrat Mario Corrado Paulus[1] VI. Id. Novembr. a. 1565. *Quam vellem filius adeſſet, qui Venetias profectus eſt; præſtaret aliquid opinor: hæc enim ſtudia tractat naviter, & Grammaticos, de Orthographia cum ſcriberet, evolvit omnes;* & Jo. Baptiſtæ Titio v. Cal. Novembr. ejuſdem anni[2]. *Filius abeſt, Venetias profectus ante aliquot dies, inde Aſulam: quo in oppido frater meus ab omni remotus graviore cura, tranquillo animo ita ſibi vivit, ut rem domeſticam non contemnat.* Inde tamen non multo poſt, neceſſe eſt dicere, rediiſſe Romam: nam rurſus idem Paulus Non. April. anno 1568.[3] *Filius abeſt, Venetias anno ſuperiore cum matre negotii cauſſa profectus*: atque anno ante, VII. Id. Mart.[4]; *Nec filius adeſt profectus Venetias cum matre ante aliquot dies.* Quod quidem ideo adnotare placuit, quod de altero hoc Aldi itinere tacuit Zeno. Romæ ergo erat Aldus Idibus Decemb. MDLXVI. quando hæc Mucio Calino Paullus[5]; *Julius Jacobonius vivit conjunctiſſime cum filio meo, ut fere ætate & ſtudiorum ſimilitudine junguntur.* Venetiis vero, ſive Aſulæ erat Pridie Cal. Octobr. anni 1569. quo die ſcribit Roma Paullus Jo Baptiſtæ Olivo[6] Aſulam; *Vale, & uxori, filioque, quorum in ſalutem ſita mea ſalus eſt, humanitatem & diligentiam, ſi nondum convaluerunt, eamdem præſta.* Poſtea etiam Venetiis Id. Octob. 1570. nuncupat Julio Glorierio Nicolai Clenardi Inſtitutiones linguæ Græcæ, indidemque Scholia in Cæſarem[7] Hieronymo Matthæjo Cal. Novembr., in quibus quidem libris Aldus notam appo-

1 *Lib. 7. ep. Lat. 7.* 2 *Ibid. ep. 6.* 3 *lib. 8. ep. 20.* 4 *lib. 9. ep. 7.* 5 *lib. 7. ep. 21. Vide & ep. 17. IV. Cal. Sept.* 6 *lib. 9. ep. 16.*

7 *Apoſtolus Zeno affirmat, Caſarem & Vellejum Paterculum cum ſcholiis edidiſſe anno 1571. Vellejus hoc anno editus, extat Romæ in Barberina. Cæſarem habeo non ſolum eo anno inſignitam, ſed etiam ſuperiori, ideſt anno 1570. qui & in fronte Caſaris adnotatur, & in diſtincta fronte ſcholiorum, atque eum annum epiſtola etiam habet.*

ſuit [1], conſtituitque, qua dignoſci legitimi Manutianæ editionis a ſpuriis poſſent. Paulli vero præcipuum opus, quod Romæ vulgaret his annis, fuit Romanus Catechiſmus; in quo etiam latine ſcribendo adjumento fuiſſe auctoribus, quibus id muneris datum eſt, Zeno, aliique nonnulli ſcripſerunt [2], quos Cl. Lagomarſinus refutavit [3]. Prodiit Catechiſmus ille majori minorique forma [4], latine atque Italice editus [5] eodem anno MDLXVI. cum Pii V. qui Pio IV. ſucceſſerat, novo Privilegio, in quo Pauli diligentia commendatur. Atque idem liber conſequentibus etiam annis [6] ab eodem Manutio impreſſus eſt.

24. Anno MDLXX. Roma Manutium amiſit reverſum Venetias. Extruſit eum urbe morbus, quo diu afflictatus eſt. At fuerunt ne aliæ, præter morbum cauſſæ? Malene adeo & duriter habitus, quemadmodum nonnulli ſcribunt, ut coactus omnino fuerit in patriam remigrare? Erit fortaſſe, qui hic Manutium vix ſibi ipſi conſtare putet. Et primis quidem annis læta omnia de ſe nunciat amicis. Primò, præpoſitum eſſe muneri edendorum ſacrorum librorum *non contemnenda conditione*, narrat Joanni Turritiano [7]. Deinde Idibus Novembris anni 1561. hæc Andreæ Silvio [8]; *Velim, ſi quid ego apud te ſum, vel potius ſi tibi ipſe carus es, ad Urbem te conferas ineunte vere; nuſquam certiora aut majora bonis artibus propoſita ſunt præmia: aliis in locis tamquam peregrina procul adſpicitur virtus; hic ſtatim colitur, ut do-*

1 *Nimirum Aldi ſenioris effigiem cum epigraphe* Editio Aldi Manutii Paulli F. A. N. *atque hac admonitione Lectori*: Qui libri cum Aldi Junioris nomine, ſeniorisque effigie in poſterum edentur, eos tantum ſcito Manutianæ editionis eſſe. 2 *Zeno ad Fontan. & Cl. Marcus Foſcarenus p. 349. alios allegans.* 3 *ad vitam Gratiani p. xix.* 4 *in fol. & in 8.* Romæ in ædibus Populi Romani apud Paulum Manutium MDLXVI. 5 *ab Alexio Filiuccio Ord. Præd.* In Roma MDLXVI. *In his inſignia ſunt Pop Rom. atque Aldi, additis notis, quibus Pauli Manutii nomen indicatur* P. M.
6 *Vidi editum* Romæ in ædibus Pop. Rom. apud Paulum Manutium MDLXIX.
7 *lib. 6. ep. 6.* 8 *lib. 6. ep. Lat. 7.*

ut domeſtica complexu excipitur, fovetur ſinu. Sed poſtremis etiam Romanæ hujus commorationis, ideſt VI. Cal. Oct. 1569. Jacobo Gorſcio [1]: *Nam de ſtatu rerum mearum mihi ipſi, auctori ſatis bono, velim credas, non modo Romæ eſſe me, verum etiam libenter eſſe, exiſtimatione integra, re familiari aucta potius quam imminuta.* Item Antonio Furnario eodem anno XVIII. Cal. Febr. *Et valemus, & ſatis jucunde vivimus, re domeſtica ita jam conſtituta, ut adoleſcenti filio, quem unicum habemus, cogitandum de virtute potius, quam de fortuna videatur* [2]. Quid ergo, cum Joanni Cratoni ſcribens [3]: *vitæ illud duriſſimum genus* vocat, multaque ait tuliſſe *indecora prorſus, indignaque ſtudiis ſuis, ætate, axiſtimatione ante parta?* Quid cum aliàs Romana illa tempora exagitare homo ceteroquin moderatus videtur? Primò, quod idem alicubi fatetur, & valetudinariis hominibus evenire quotidie videmus, ut cibos omnes amaros experiantur; ita quæcumque accidebant acerbiora morbus faciebat. Deinde, quod ſpes magnarum rerum antea conceperat, & majorum illorum, quæ Silvio dicebat, Romæ bonis artibus propoſita eſſe præmia: ea quia conſecutus non eſt; quia ſuo arbitrio typographicam rem omnino adminiſtrare non poterat, ſed a IV. Cardinalium voluntate pendebat; ideo credo illa paullo duriora Manutio excidiſſe. Acceſſit, quod in ipſa profectione non minimum exulceraſſe eum animum videtur, ut viaticum ſcilicet non impetraret, ſive (ita enim vocat [4]) *annuam ordinarii ſtipendii ſolutionem*: ut quemadmodum Pius IV. Pontifex venientem ad Urbem inſigni viatico donaverat; ſic Pius V. omni virtute ac laude præſtans ab Urbe diſcedentem non modo ſimili, ſed majore etiam munere proſequeretur: *in quo*, inquit, *ratio videbatur habenda ætatis meæ*,

1 *lib. 9. ep. 15.* 2 *ibid. ep. 22.* 3 *ibid. ep. 5.* 4 *lib. x. ep. Lat. 1.*

meæ, habenda valetudinis, habenda etiam meritorum meorum. Cum ergo hoc non obtinuiſſet, nec quicquam profeciſſet Sirleti, Moroni, & Cornelii, quibus alendorum in Urbe ſtudiorum, moderandique gymnaſii publice demandata cura hoc tempore fuiſſe videtur [1], ſumma contentio, Paulli animus exacerbatus eſt; cujus ſunt illæ querelæ [2]: *Verumtamen ingraveſcenti hominem ætate, non ſolum infirma, ſed etiam ægra valetudine, imparatum a re domeſtica, cum filia nubili, ab urbe Roma, cujus nomen omnia pollicetur, poſt decem annorum labores, ſuis ſumptibus in patriam redire, iis fortaſſe, qui hæc ſolent animadvertere, admirationem aliquam pariet*. Idem tamen intelligebat, *Optimi Pontificis anguſtias, temporum difficultatem excuſare* [3]; atque alibi [4] prorſus ingenue: *In diſceſſu*, inquit, *commoda quædam ſperabantur; nec defuit intercedentium dignitas, auctoritas, gratia: ratio temporum eſt adverſata, Pontifice natura liberaliſſimo, Turcicum bellum, & præſentis, futurique ſumptus neceſſitatem excuſante*. Sic etiam, etſi ſibi venti reflarent [5], qua Pontifex eſſet voluntate ac ſanctitate explicat Corrado: *Optimum*, ait [6], *qualem ætas noſtra non vidit, Pontificem habemus, qui ſi diu vixerit, quod a Deo precari non deſinimus, ſpes eſt magna, hæc quæ fluunt poſſe contineri*. Ceterum non video, qua auctoritate Zeno, aut alii, pactum Manutio ſtipendium egre perſolutum dicant; aut his, quas noverat, temporum anguſtiis, quingentorum ſcutatorum ſalario [7] contentus eſſe Paullus non deberet; cum præſertim, quod ex diplomatibus Pontificum conſtat, ex impreſſis libris redire illi non exiguum aliquid poſſet. Ipſæ ejus querelæ accuſare potius hominem videntur: *Decem*, inquit [8], *annorum laboribus vix tria ſcutatorum millia, ideſt*,

1 *V. eand ep. & 2.* 2 *Ib. ep. 2.* 3 *Ib.* 4 *lib. IX. ep. 7.* 5 *Vide lib. XI. ep. 15.* 6 *lib. 7. ep. 15.* 7 *Vide lib. X. ep. 6. Ibid. ep. 12.* 8 *lib. X. ep. 14.*

ideſt, quantum ad filiam collocandam requiratur, colligere potuimus. Quamobrem verum liquet eſſe, quod Gorſcio ſcripſit, difficillimis etiam temporibus rem familiarem auctam potius, quam imminutam. Sed virum bonum nomen ipſum Urbis cœperat, quod, ut ajebat, *omnia pollicetur*; & erat, quod ingenue fatetur nonnunquam [1], Romam eo quidem conſilio profectus, domeſticis ut rationibus conſuleret: atque idem alibi [2]: *Laborabam domeſticis incommodis, fratrum meorum culpa, nec ſpes erat emergendi, niſi nova conſilia caperentur. Vocabar a Pontifice Max. quo nihil videri poterat honorificentius; fructum autem quis non expectaret? Cohortabantur ampliſſimi viri, quorum erga me ſingularem benevolentiam multis rebus antea perſpexeram, læta denique, copioſa, ampla ab omnibus omnia promittebantur: Quid agerem? credidi & ſperavi*. Altero ergo anno, quam Pio IV. Pontifice Romam venerat, præter conſtitutum ſtipendium aliquid petebat amplius [3]; fulciri ſubſidio aliquo fortunas ſuas, quod ætas ingraveſcens, quaſi extra ordinem multa deſideraret, multa in laboribus & ſtudiis valetudo requireret imbecillior; caritas præterea liberorum ſuorum. Idem ferme Carolo Borromæo: atque eodem anno (quod quidem ex filii morte colligere licet) hoc querebatur [4]: *Mihi unicum eſt vectigal induſtria mea, qua liberos alere, tueri familiam cogor .... vetus illa principum virorum benignitas exaruit*. Anno vero ſequenti ideſt 1563. [5] hæc habet Franciſco Morando: *De rebus meis, hoc unum quo lætari poſſis accipe; frui me multorum benevolentia; cetera ſatis frigent. Cauſſam conferamus in tempora; nam ab hominibus libenter culpam averto. Pontificis quidem præſtantem animum ita variæ, itaque graves diſtrahunt curæ, ut ignorare multa cogatur, multa etiam delegare aliis, qui præter*

1 *Ib. ep.* 7. 2 *lib.* 9. *ep.* 5. 3 *lib.* 1. *ep.* 1. 4 *lib.* 4. *ep.* 36. 5 *lib.* 6. *ep.* 18.

ter ſuum negotium nihil curant. Non ergo mortuo ſolùm Pio IV. Manutii res frigere cœperunt.

25. Sed præter hanc, cauſſæ fuere aliæ duæ; multitudo occupationum, quibus a ſtudiis ſuis abſtrahebatur, & morbo afflicta valetudo. Frequentes ſunt illæ in ejus epiſtolis voces; *obrui ſe nogotiorum fluctibus* [1]; magnis *aſſidue diſtineri curis* [2]; magna *negotiorum onera ſuſtinere* [3]; *ſic urgeri, ut reſpirandi facultas non detur*. *Tu ſolus ignoras* (ajebat Decio Brancaleoni [4]) *quibus diſtinear curis? quantis rerum oneribus premar? quam nunquam vacem?* Quare cum Bonifacii Cajetani Principis nomine poſtularetur ejus filio magiſter, ſe Joanni Turritiano id agenti, excuſavit [5]. Id tamen conceſſiſſe, poſtea, operamque ſuam ad Henricum, & Camillum (hoc enim erant nomine) contuliſſe, idem declaravit cum ſcripſit [6], ex diſciplina præceptiſque ſuis maximum illos *in ea via, quæ ad eloquentiam ducit, feciſſe progreſſus*. Habemus & nos hujuſce rei teſtimonium, monumentumque quantumvis pretii, fratrum ſcilicet Cajetanorum epiſt. mss. cùm eidem Manutio, tùm aliis miſſas, quæ Manutianæ eloquentiæ neſcio quid olere videntur. Dolebat vero ſic avocari a litterarum ſtudiis: *Ego*, ait Jo. Baptiſtæ Titio [7], *quamquam tum aliis rebus, tum officio ſalutandi moleſtiſſimo quotidie fere diſtineor, jucunde tamen ſatis vivo; ſi modo homini ſcientiæ cupido ſine librorum uſu, quo careo perinvitus, jucundi quidquam eſſe poteſt*: & Joanni Turritiano [8] de ſtudiis ſuis; *Ab his me ſæpe vel ſalutandi neceſſitas, vel amicorum avellit interpellatio; ita traducuntur dies: honeſte, inquies, fateor, addo etiam ſatis jucunde..... verumtamen cum illa tibi non ignota ſtudiorum noſtrorum ſuavitate voluptatem nullam comparo*. Id primò æquo animo ferre viſus eſt Manutius: itaque Andreæ Goſti-

1 lib.6. ep.17. 2 ibid. ep.12. 3 lib.8. ep.8. 4 lib.6. ep.24. 5 ibid ep.9. 6 lib.10. ep.12. Vide & lib.9. ep.1. 7 lib.6. ep.8. 8 ibid. ep. 9.

Goſtinio, ubi hoc nunciavit [1]: *Cum hic honeſtiſſimorum hominum & benevolentia, & conſuetudine fruar; nec mihi quidquam in mentem venerit optare ac petere, quod a ſummo Pontifice Pio IV. non facile ſim conſecutus, angit me tamen, quod ſtudiis noſtris ..... ita divellar, ut ex iis quæ pro communi utilitate non pauca eram exorſus, pertexere nihil liceat*; ſubdit: *Quocirca tibi jam, tuique ſimilibus, qui mihi voluntate pares, doctrina & otio præſtant, cogor tradere vigiliam meam; idque facio libentiſſime, qui publici commodi rationem ipſam per ſe, non cum mea laude conjunctam plurimi ſemper fecerim*. Poſtea vero tulit ita moleſte, ut, quemadmodum Horatio Cardaneto ſcribit [2], interdum ſibi Roma diſpliceret, & agreſtem ſolitudinem urbanæ celebritati libenter anteponeret; & Camillo Palæotto, poſtquam ad ea redierat [3]: *Quotidie magis gratulor, quod illa reliquerim, hæc ſim adeptus.... quod ea nunc denique ſtudia recolere mihi liceat, a quibus disjunctus tot annos vixi, vel potius plane non vixi: quæ enim mihi poteſt eſſe vita ſine litteris*? Multa ſcilicet moliebatur communi ſtudioſorum utilitati, quæ quia perficere non poterat, ideo vehementer angebatur: ſed præcipue commentarios in epiſtolas Ciceronis, quos nunc abſolutiſſimos habemus. Eos Romæ Januario menſe a. 1566. ferme ad exitum perductos habebat: itaque, ſi eſſet otium, pollicebatur, daturum ſe propediem abſolutos [4]: eoſdem vero biennio poſt finitos idem ſubindicare videtur [5]: nam Franciſco Plantedio affirmat, ſe dediſſe amico deſcribendos, atque ejus operam caſum quemdam interpellaſſe; editurum ſe vero eos, vel Romæ, vel certe Venetiis. Venetiis editos vidi apud Aldum a. 1579. [6], nec credo ſeriùs multo, quam perfectos abſolutoſque dimiſerat: nam Cratoni ſcribens XI. Cal. Maji a. 1572. eos ſe adhuc habere in manibus aperte ſignificat; *Com-*

1 *lib.6. ep.17.* 2 *lib.7. ep.10.* 3 *lib.10. ep.7.* 4 *lib.7. ep.10.*
5 *lib.9. ep.14.* 6 In Barberinæ Indic. extat editus a. 1577.

Commentarios in epiſtolas, quæ familiares vocantur, convitio jam prope efflagitatos, debere ſtudioſis diutius vix poſſum: id nunc cogito ad quem mittantur, an ad eum qui me ornavit ea dignitate, cum qua nullas opes confero? Tu ſtatue[1]. Cogitabat etiam de imitatione ſcribere; ſed eam cogitationem abjeciſſe poſtea videtur: quamobrem Cardaneto[2]; *Illa de Imitatione ſinamus jacere: ſpiſſum opus eſt, & longi temporis, nec fortaſſe noſtrarum virium; &, ut vere dicam, ſperare vix audeo, quam animo, & mente formam videre videor, eam quæcumque eſt, oratione, & ſtylo ſatis explicare poſſe*. Quod Paulli valetudinem ſpectat; eam ſatis commodam primò Romæ expertus eſt. Itaque IV. Id. Martii a.1562.[3] amico mandat, ut alteri ſcribat, nihil eſſe novum in rebus ſuis: *niſi*, inquit, *hoc novum videtur, mihi, cum hoc cœlo, cujus multi gravitatem non ferunt, adhuc quidem optime convenire*. Verſa tamen poſtea res eſt: *Ego ab interitu Pii IV.* ſcribit VIII.Id. Febr. a.1566. Antonio Furnario[4], *valetudine utor incommoda; ſtomachus calore deſtitutus, officio concoquendi male fungitur*. Eodem anno IV. Non. Januarii jacere ſe in lecto, cum tamen leviter ægrotaret, narrat Cardaneto[5]: atque VIII. Id. Caſellio[6], *valere ſe parum commode*. Sed multo gravior factus eſt morbus a.1568. Itaque doluit poſtea, biennio maturius non diſceſſiſſe Roma: *non incidiſſem*, ait[7], *in eum morbum, quo valetudinem in perpetuum fere perdidi*. Neceſſe eſt autem, vel initio a.1570, vel extremo anno ſuperiori vires illius auctas; cum Calendis Maji anni ejuſdem affirmet[8], *quinctum jam menſem morbo laborare*, & Calendis Septembris[9] Auguſtino Angelello ſcribat: *Puto, te ab Onophrio Gilio tui amantiſſimo certiorem non ſemel eſſe factum invaletudinis meæ, qua nonum jam menſem ita laboro, ut neque ratione victus*,

1 *lib.11.ep.9.* 2 *lib.7.ep.10.* 3 *lib.6.ep.12.* 4 *lib.7.ep.13.* 5 *ibid. ep.10.* 6 *ibid. ep.11.* 7 *lib.10.ep.12.* 8 *lib.9.ep.4.* 9 *ibid. ep.9.*

ſtus, neque ullo remedii genere adhuc quidem allevari potuerim: itaque miſere jaceo &c.: quibus ſimilia illa, quæ Venetias cum rediiſſet, Cratoni nunciat Octobri menſe [1], febrim *poſt novem tandem menſes diſceſſiſſe*. Cur vero Idibus Augusti gravem *jam quatuor fere menſium* morbum appellet [2], niſi vices quaſdam, ut ſolet, paſſa eſt ejus infirmitas, aut error eſt in numeris, equidem ignoro. Paullum ergo, quod ipſe his verbis refert [3], *ab urbe Roma gravis morbus ac diuturnus extruſit*.

26. Nam cum anno 1570. expertus eſſet, cum Romano cœlo ſibi jam convenire non poſſe, atque autumnus adventaret, cujus varietatem, & inconſtantiam, ne ferre ſua imbecillitas poſſet, metuebat [4], Venetias ipſe quidem cogitabat, atque id ſibi primum & præter cetera exoptabat; ſi vero per Pontificem, vel per quotidianam febrem patriam petere longo terrarum ac maris intervallo disjunctam non liceret, accedere ad Sabinos colles, quos florere audiebat regionis amœnitate, cœli temperie, omnium rerum, quas hominum victus cultuſque deſiderat, ubertate. Cum ergo miſſionem a Pontifice poſtulaſſet, etſi, illius muneris, ſuſceptæque provinciæ, ut idem ait [5], menſes non pauci ſupereſſent, abeundi tamen poteſtatem petenti clementiſſime conceſſit: quam quidem Pontificis benignitatem, & ibi, cum ſcriberet Franciſco Cicerejo, Manutius agnoſcit, & Camillo Palæotto [6] narrans adventum ſuum Venetias, ubi propinquos, familiares, notos pariter atque ignotos redeuntem excepiſſe voluntate ſumma affirmat. De diſceſſu fixum conſilium erat Cal. Septembr. de die nondum ſtatuerat; ſolùm, ut hiemales imbres tempeſtateſque vitaret ante Calend. Octobr. [7] cogitabat. Verùm Septembri men-

1 *ibid. ep.5. Vide & ep.18.* 2 *ibid. ep.21.* 3 *lib.9. ep.5.*
4 *lib.10. ep.1.* 5 *lib.10. ep.10.* 6 *ibid. ep.7. Adde lib.9. ep.9.*
7 *ibid.*

menſe dediſſe ſe in viam, ægrum, diſſuadentibus medicis & amicis, hoc quoque habet in litteris Andreæ Antonino [1], quod confirmat in epiſtola Joanni Caſelio [2] data Venetiis a.1570. XVIII. Cal. Jan. *Urbem Romam ante duos menſes difficili diuturnoque coactus morbo reliqui*. Itaque quod alibi [3] decennium Romæ fuiſſe ſcribit, cum ab Auguſto menſe a.1561. ordiendum ſit, nondum completum fuiſſe, liquet. In itinere Piſaurum uſque morbus ingraveſcere viſus eſt: maris vero aſpectu, *quaſi jam in oculis*, ait Paullus ipſe [4], *diu expetita patria eſſet, propinqui boni ſpe animus corpori medicinam fecit; febris abiit antequam Piſauro ſolveremus: ita Venetias, refecti cibo, paullò firmiores appulimus*. Non caruiſſe tamen iter incommodis, alibi [5] idem fatetur; *quibus*, inquit, *ita conſumptus humor omnis eſt, ut nimia ſiccitate vitæ periculum impendeat*; additque, in revocanda potiſſimum τῆς κοιλίας εὐλυσίᾳ medicos laborare. Eumdem morbum in ea, quam mox nominavimus, epiſtola deſcripſit [6]; & in alia Franciſco Morando [7]; *Morbi reliquiæ ſuperſunt magis prope timendæ, quam morbus ipſe; qui enim valere poſſim, aut etiam quid non timeam, cum attenuatum exſiccatumque corpus naturali munere fungi ſua ſponte nunquam poſſit? quæ res, neque moleſtiæ parum habet, &, ſi inveteraverit, periculo non vacat*. Atque ex hac poſtrema epiſtola intelligimus; id enim diſerte habet, etſi febris abiiſſet, non tamen ob reliquias has morbi convaluiſſe: itaque Gauderina balnea cogitabat, quæ quater antea ſumpſiſſe ſe dicit, nec unquam ſine fructu; & ſperabat [8] ſublatis cauſis, quæ morbum pepererant & alebant, ſedulitate ac fideli ſuorum cura, adjuvante etiam ipſius cœli, quod in lucem editus primùm hauſerat, benignitate, brevi omnino convaliturum. Cauſas tamen non omnino præcidere omnes pote-

1 *ibid. ep.5.* 2 *ibid. ep.13.* 3 *lib.9. ep.5. & lib.10. ep.6. & 11.*
4 *lib.10. ep.5.* 5 *lib.9. ep.3. Vide & lib.10. ep.3.* 6 *lib.10. ep.5.*
7 *lib 9. ep.6.* 8 *lib.9. ep.7.*

poterat: nam ocium quale volebat, vel poſitus procul ab urbe, non nanſciſcebatur, *identidem interpellantibus, aut hominibus aut negotiis*; & erat rerum domeſticarum impedita ratio, quam nondum expediverat [1]. Accedebat Veneti cœli gravitas, quam ſibi [2] timendam ducebat, atque illa anni tempeſtate frigoris injuria, & præterea vinorum aſperitas, quam tenui corpore, imbecillo ſtomacho ferre non poterat. Calendis ergo Januarii anni 1570. (Veneto more, ſed noſtro 1571.) de migratione cogitabat, ruſque ſpectabat, ad quod etiam natura eum ſua, & conſiliorum ratio invitabat. Extat ejus Camillo Palæotto præclara villulæ, ſive ruſticæ cujuſcumque vitæ commendatio, quam cum deſiderare ſe dicat, hæc habet inter cetera præclare dicta [3]; *Si accideret, ut iſtic exulare perpetuo cogerer, modo te interdum ſocio, modo cum libellis; præclare mecum actum putarem; multam ſalutem urbibus, multam honoribus, in quibus ceteri inſaniunt, libenter dicerem: quid enim expectem amplius? didici jam, & magna mercede ſum expertus, quam inania ſint illa, quæ communi deceptus errore præclara duxeram; magnæ urbes magnas occupationes, ne dicam miſerias habent: ſi quem delectat ambitio, ſi quis augendæ rei familiaris cura tangitur; ſi ſententiam in curia dicere, aut a multis in foro ſalutari, inter ſumma ponit; urbem amet: me quidem poſthac æmulum rivalemque non habebit unquam: ætas noſtra ad otium vergit; vides quam fluxa ſint omnia; quam facile hunc & illum florentes opibus, florentes ætate repentina mors auferat, ut hoc ipſum, quod ſpatii nobis relinquitur, totum in lucro deputandum eſſe videatur. Ac fieri quidem poteſt, ut diu vivamus: ſed, obſecro, quid erit, cur nos diu vixiſſe lætemur inter domeſticas curas, inter hominum fraudes, infidelitates, inſidias, addo etiam publicas calamitates, quibus anguntur boni viri, quales nos & eſſe, & haberi volumus? Amplectamur igitur ſtudia noſtra;* remo-

1 *lib.10. ep.8.* 2 *lib.10. ep.9.* 3 *lib.10. ep.8.*

remota ab arbitris loca, amœna, ſalubria quæramus; vulgi ſtultitias ineptiaſque vitemus; animos excolamus, ut eas fruges ferant, quas nec cœli calamitas corrumpat, nec malus vicinus furto ſubtrahat, nec belli ſævientis impetus devaſtet.

27. Ocium ergo & ſolitudinem ſecutus contulit ſe in oppidum Plebis Sacci; ubi Novembri menſe multis diebus fuit [1], & quò migraturum ſe eſſe ſæpius valetudinis animique gratia, & ne ſtudia colenti interpellatores moleſti ſint, prædicit Antonio Furnario [2]. Venetias tamen redierat IX. Cal.Decembr., ubi etiam fuiſſe Decembri menſe, & Januario ſequentis anni ejus nos litteræ docent [3]. Atque eædem etiam, Plebem Sacci repetiviſſe, unde Calendis Maji Palæotto ſcribit a.1571. Vitam, quam ibi degeret, amiciſſimo Ferrario ante oculos ponit [4], ſinere ſcilicet ſe, ut animus quaſi quibuſdam exſolutus vinculis, libere vagetur, & voluptate paſcatur honeſtiſſima; nullas hic eſſe, quibus angatur, curas, nullis implicari negotiis; licere id quod antea nunquam licuit, prorſus nihil agere, nam vehi curru, oppida inviſere propinqua, amicorum villulas obire, convivari etiam interdum, ſuaviſſimiſque epulas condire ſermonibus, hoc ipſum vocare nihil agere; nec tamen omnino verum eſſe: nam qui valetudine parum firma operam dat, ut ſuaviter, jucunde, & honeſte ſimul vivat, eum profecto nihil agere, ſibi non videri. Addit tamen, quod hoc ipſum, quod de ſe narraverat, evertit; *Sed in hoc tamen vitæ genere, libros, communes delicias noſtras abjeciſſe me penitus nolim exiſtimes: nobiſcum ubique ſunt, comites nunquam moleſti, loquentes, ſilentes, cum volumus, & quoad volumus.* Hieme media Venetiis conſiſtens, cum & cubiculo ſe incluſiſſet anguſto, & luculento camino aſſidue uteretur, nihi-

1 *Vide lib. 9. ep. 24. datam* III. *Non. Novembr. a.* 1570. *lib.* 10. *ep.* 10. VII. *Id. Nov. ep.* 11. VI. *Id. Nov. &c.* 2 *lib.* 9. *ep.* 24. 3 *lib.* 10. *ep.* 12. *&* 15. *lib.* 9. *ep.* 8. 9. 13. 14. *&* 15. *&c.* 4 *lib.* 10. *ep.* 11.

nihilominus frigoris vim prohibere non potuerat [1]. Itaque ſequenti autumno Genuam, ea potiſſimum cauſa ſe contulit, ut villulis pulcherrimis, jucundo placidi maris aſpectu, & quod in primis ejus valetudo requirebat, verno cœlo hieme ſumma frueretur. Has enim cauſas conſilii ſui aperit eidem Palæotto [2]; aliaſque addit, cur Venetiis non vivat; *Exercitationibus*, ait, *dum utor, confirmari me ſentio: at iis uti Venetiis, præſertim ſub dio, vel ob anguſtias viarum, vel ob infinitam prope civium peregrinorumque frequentiam, non licet; huc illuc impellimur; ſæpius alieno motu, quam noſtro movemur, vix ut interdum, ac ne vix quidem, ſi lubrica via eſt, conſiſtendi facultas detur. De vinis quid loquar? Diuturna me conſuetudo Romanis, omnium facile primis aſſuefecerat; ſimilia non quærebam, ſed quæ prorſus diſſimilia non eſſent; periit omnis induſtria. Carnis mira penuria: vitulinam quidem, quæ differat a bubula, reperire, felicitatis eſt*. Cum ergo amœnitatem & ſalubritatem ſequeretur; atque utramque Genuæ, utramque Regii, quò peramanter in ſuburbanum ſuum ab Horatio Malagutio invitabatur, eſſe videret, animo tamen ſpectaret Benaci oram (quam ocellum Italiæ vocat) Aſulano ſuo ſatis propinquam, interea Mediolani conſtitit; & quia propter anni tempus diſcedere non licebat, cum imbres aſſidui vias corrupiſſent; Paullus vero is eſſet, qui vel leviſſimis incommodis frangeretur; & quia jucundiſſima duorum ſpectatiſſimorum virorum Bartholomæi Capræ hoſpitis ſui, & Octaviani Ferrarii veterrima ſibi neceſſitudine conjunctiſſimi, conſuetudine perfruebatur. Fuit Mediolani ſex amplius menſibus [3], ideſt ab extremo Octobri, ad Majum menſem a. 1572. Hic etſi valetudine frueretur non optima, imo, ut idem ait [4], quæ ab optima aberat aliquanto etiam longius, quam a deterrima, divelli a ſtudiis non poterat. Abditus ergo in

R 2 litte-

1 *lib.* 11. *ep.* 3. 2 *ibid.* 3 *lib.* 11. *ep.* 8. 4 *ibid. ep.* 5.

litteras, in explanandis Ciceronis orationibus operam omnem poſuit; quod ſcribit [1] ſibi propoſitum fuiſſe ante multos annos. De hoc ego opere interpretor, quod ante biennium ex oppido Plebe Sacci Furnario narrabat [2]; *Locus ipſe me vacuus interpellatoribus, & hæc vivendi arbitratu meo, omnium dulciſſima, optata antea potius, quam ſperata libertas invitavit, ut ordirer id, quod, niſi ſedem hic ſtatuo, aut certe niſi in hoc ſeceſſu, & in hac pæne ſolitudine..... majorem anni partem conſumpſero; vereor, ne ſero admodum, fortaſſe etiam pertexere nunquam liceat: opus eſt nec temporis, nec laboris exigui*. Venetiis erat eodem anno 1572. XI. Calend. Maji [3], & recens rediiſſe tunc videtur; cum narret Cratoni, qua primum hora in patriam redierat, unde abſuerat menſes aliquot, quæſiviſſe ſtatim ex filio de Cratone. Erat ergo tum filius Venetiis; ubi etiam remanſerat cum matre, quando in Plebem Sacci ſe contulerat Paullus. De Venetiarum enim, non Romæ urbe illa ejuſdem Paulli intelligenda ſunt [4]; *Uxor & filius in urbe, commoda uterque valetudine; illa rem domeſticam; hic officinam, emendandorumque librorum curam adminiſtrat egregie*; quod ex aliis locis liquet [5]. Solam filiam Roma diſcedens in cœnobio ſacrarum Virginum reliquerat; quam biennio poſt, ut eam acciperet, & in patriam reduceret, ad urbem reverſus eſt.

28. Si epiſtolarum illarum inſcriptionibus fidendum eſt, Romæ jam erat Manutius V. Calendas Julias MDLXXII. [6], quo die reſpondet Ciofano gratulanti, quod Romam veniſſet, valeatque poſt itineris laborem ſatis commode: fidendum vero hic eſſe, ſuadet Manutii ipſius teſtimonium in epiſtola dedicatoria Commentarii in orationem pro Archia, in qua Pridie Cal. Octobr. ſe excuſat, quod tribus fere menſi-

1 *ibid. ep. 9.* 2 *lib. 10. ep. 11.* 3 *lib. 11. ep. 9.* 4 *lib. 10. ep. 11.*
5 *ibid. ep. 15.* 6 *lib. 12. ep. 15.*

menſibus Jacobi Boncompagni domum non venerit [1]. Æſtatis etiam magnam partem exegiſſe ſe in Urbe alibi ſignificat: nam Cajetanis fratribus ſcribit [2] VI. Cal. Sext. ſibi eſſe in animo circiter Id. Sept. fractis jam caloribus, qui eo anno maximi acciderunt, cum filia in patriam reverti: atque Horatio Cardaneto [3] Id. Sext. qui Peruſiam eum in itinere ut diverteret invitabat, ſe excuſat; *Sed exiguo comitatu, cum filiam virginem ducam, tot dierum viam conficere, quam honeſtum ſit, tute cogita. Accedit illa moleſtia, quod duas lecticas diurna mercede conductas, quaternis ſcilicet ſcutatis in die, ultra præſcriptum a lecticariis tempus remorari non licebit*. Ex quibus etiam intelligimus, quæ eſſet ratio itineris; item, quod ſuperius vidimus, atque alibi etiam Paullus declarat [4], filiam ad nuptias reducere domum voluiſſe. Paulli tamen conſilia intervertit Gregorius XIII. Pont. Max. *præclare*, ut Paullus ait [5], *in optimas artes animatus*; qui cognito ejus adventu, læti animi ſigna oſtendit, negotiumque Cardinalibus dedit, ut ita cum eo de manſione agerent, ne diſcedere paterentur. Idem Palæotto narrat [6] VII. Id. Septembr. *Ego*, inquit, *non expectatis imbribus jam ſarcinulas collegeram, ut in viam me darem.... ſed vicit conſilium meum Cardinalium voluntas, quorum opera eſt effectum, ut Gregorius XIII. Pont. Max., qui tamen ſua ſponte liberales diſciplinas miro quodam ſtudio amplectitur, fovet, alit, honorifico me ſtipendio retinendum putaverit. Hic igitur cogimur conſiſtere, libenter ut Romæ, in ſumma celebritate & amico-*

 rum

1 *Scrupulum aliquem movebat epiſtola* 1. *lib.* XI. *data* X. *Cal. ſcriptaque, ut videbatur, Venetiis Jacopo Boncompagno. Ceterum in die adſcribendo neglegentem Manutium fuiſſe, illa ad eum declarant amiciſſimi hominis Mureti lib.* 4. *ep.* 1. Nolo enim facere, quod tu qui interdum pro Majo Aprilem pro X. XVII. ponis. Itaque interdum videor mihi accipere litteras tuas XX. diebus ipſis poſtquam ſcriptæ ſunt. Interdum contra ſex aut ſeptem diebus antequam ſcriptæ ſunt, perferuntur. 2 *lib.* 11. *ep.* 10. 3 *ibid. ep.* 12. 4 *ibid. ep.* 15. 5 *lib.* 12. *ep.* 10. 6 *lib.* 13. *ep.* 6.

eum copia, inviti, ut a te disjuncti, cujus conſuetudine non ſemel aut iterum, ſed perpetuo æſtivis menſibus, amœna regione, jucundo otio cum communibus muſis frui cogitabamus. Stipendium, quod ei conſtitutum eſt, *ſatis per ſe tenue* Jo. Cratoni ſcribens [1] vocat; atque in eo facilitatem ſuam reprehendiſſe nonnullos; ſed idem ſubjicit, *cum liberalitate, & otio* maximum ſibi videri; nihil enim eſſe ſibi impoſitum oneris; litteris ut in ſolitudine frui licere; tantùm conſueviſſe unum aut alterum Cardinalem bis in menſe, terve ſummum, vel quia eum diligebant, vel quia virtute excellebant, ſalutare. Ita etiam Palæotto ſuo [2] narrat, ſe hominem a rebus gerendis alienum, valetudinis incommodæ, non magni animi, id libenter unum agere, ut in litteris totus ſit, & quidem in urbe Roma, ut in deſerta ſolitudine, interpellante nemine: *Quod beneficium*, ait, *optatum antea potius quam ſperatum, nunc a Pontifice optimo ac liberaliſſimo, ad excitanda doctrinarum ingenuarum ſtudia mire propenſo, Gregorio XIII. acceptum meminero, & prædicabo, dum vivam; fortaſſe etiam ſcripta mea me mortuo loquentur, & obſcurum poſteris eſſe non ſinent.* Opera quæ tunc moliretur eidem aliàs [3] exponit, poſtquam ocium ſuum narravit; *In publicum niſi neceſſaria re coactus nunquam prodeo, domeſticis me finibus teneo, & cum libellis, ideſt cum amoribus & deliciis meis jucundiſſime vivo*: non ſolum ſcilicet commentarium elucubraſſe in orationem *Pro Archia*; ſed abſolviſſe jam in reliquas omnes, duabus exceptis *Pro Ligario & Dejotaro*, opera nunquam niſi per morbum intermiſſa. Commentarium illum in orationem *Pro Archia* ſeparatim editum vidimus *Romæ apud Joſephum de Angelis* MDLXXII. nuncupatum *Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo juveni Jacobo Boncompagno* litteris datis Pridie Cal. Octobr. ejuſdem anni 1572. in quibus quidem litteris tribus menſibus ait ſe orationes explicaſſe decem. Aliud

1 *ibid. ep.* 10. 2 *lib.* 12. *ep.* 5. 3 *ibid. ep.* 4.

liud etiam ſe explanare eſſe aggreſſum, & ut ſe principia dederunt, videri ſibi aliquid præſtare poſſe, addit in eadem epiſtola Camillo Palæotto; quod niſi Antiquitatum Romanarum opus illud ſit, aut Concilii hiſtoria, quale fuerit, ne divinare quidem poſſum.

29. Dum Romæ viveret, ad Kalendas uſque Decembres ſatis ut poterat, valebat: itaque ſcribit Cratoni [1]; *Cœlum idem experior quod antea, humidum, grave, inæquale: nec tamen valeo deterius, quam in patria, vel quia ..... bilaritas animi corpori medicinam facit, vel quia domeſticæ tricæ ſollicitum non habent, vel fortaſſe etiam propter vina, quæ ſunt hic ex omni genere optima: pituita carere jam non poſſum ſexagenarius, laborem ſcribendi aut legendi fere nunquam intermittens*. Verum anno ſequenti 1573. gravi afflictatus eſt trium fere menſium morbo, ut Idibus Decembr. idem ſignificat [2]: itaque in autumnum, quem *anniverſarium hoſtem valetudinis ſuæ* [3] vocat, incidit ejus initium. Depulſa vi morbi, nequaquam priſtinæ vires redierunt; & capitis infirmitas, ut habet in litteris Zamoſcio [4], non modo litterarum, ſed prope uſum quotidiani ſermonis adimebat. Cœptum eſt conſilium illud a Medicis, ut lævum crus educendis humoribus aperirent [5]. Melius ipſe de ſe tunc ſperabat, ſed magno litteratorum hominum dolore, magno bonarum litterarum damno ſpes fruſtra cecidit; cum nihil remiſſa vis morbi paullatim eum conſumpſerit, confeceritque Prid. Non. April. anni ſequentis MDLXXIV. Reliquit decedens Paullus filiam, quam non multo ante collocaverat in matrimonium: id enim XII. Cal. Mart. a. 1573. Camillo Palæotto nunciat [6]; *Unicam filiam inter ſacras virgines educatam, non hebetem ingenio, nec paucis, niſi me fallit amor, virtutibus inſtructam, juveni optimo ſatis honeſti loci, haud*

R 4 po-

1 *lib.12. ep.10.* 2 *ibid. ep.6.* 3 *ibid.* 4 *lib.12. ep.11.* 5 *ibid. ep.6.* 6 *lib.12. ep.4.*

poſtremi ordinis in jure civili, *addo etiam*, *quod hodie potiſſimum requiritur*, *a fortunæ bonis non imparato*, *meis reclamantibus*, *de ſententia tamen fidelium amicorum deſpondi*. Matrimonium jam ſecutum Idibus Decembris ejuſdem anni illud indicat, quod poſtea eidem ſcripſit [1]; *oleis tuis*, *quibus me*, *quocumque loco ſim*, *carere non pateris*, *in quo tuam benevolentiam agnoſco*, *fruar cum filia*, *& genero*: *ſimul enim vivimus*, *& plane vivimus*. Bene ex hujuſmodi locis diligentiſſimus eruditiſſimuſque vir Apoſtolus Zeno exiſtimat, calumniam depelli, quam minus caute nonnulli [2] filiæ Paulli moribus ſtruxerunt. Patris mortem funuſque Aldus filius præſens luctu, & lacrimis proſecutus eſt. Nuper enim Venetiis, auditis Paulli valetudinis incommodis, advenerat. Eò remeaſſe libri ab eo editi oſtenduut, Locutiones epiſtolarum Ciceronis, & Epitome Orthographiæ *Venetiis a.* 1575. *apud Aldum*; etſi magno deſiderio teneretur vivendi Romæ: quod ejus epiſtola, quam nunc primò vulgamus, quinquennio poſt patris mortem ſcripta declarat; idque ipſe poſt amciſſimi Mureti mortem, cum ei ſuffectus fuiſſet, impetravit. Sed nimium multa de Paullo, ut de Aldo tacere hic omnino debeamus. Nec Paulli ipſius opera ſigillatim recenſemus, aut laudes fuſius perſequimur. De illis, ut occaſio tulit, diximus; nonnulla ab obitu Manutii vulgata ſunt, præſertim Antiquitatum libri, quos pariter nominavimus, ii qui ſuperfuerunt; nam ceteros periiſſe adnotavit Cl. Foſcarenus [3]. In his etiam ſunt Adagia, quæ olim Eraſmus ediderat, atque Apophtegmata. Quid in his Manutius effecerit, nolim hic quærere. In fronte operis ipſius [4], *Paulli Manutii ſtudio atque induſtria*, *doctiſſimorum Theologorum conſilio atque ope*, ab omnibus mendis, quæ pium & veritatis catho-

1 *ibid. ep.6.* 2 *Imperial. in Muſ. hiſtor. pag.108.&c.* 3 *Hiſt.litt. Ven. pag. 370.* 4 *Edit. Florent. apud Junctas a.1575.paullo enim diverſa eſt inſcriptio edit. ven.* 1585. ex Unitorum ſocietate.

catholicæ ſtudioſum lectorem poterant offendere, vindicata dicuntur; additurque, hunc *laborem a ſacroſancti Tridentini Patribus Manutio mandatum* comprobaſſe Gregorium XIII. Gregorius in diplomate ſimile quid innuit [1]: quin etiam hoc opus cum Aldus Gregorio XIII. dedicaret epiſtola ſcripta Venetiis Cal. Maj. MDLXXV. & patris mortem deplorat, & de opere ipſo hæc habet; *Cumque ab eodem Concilio eidem Patri meo demandatum fuiſſet munus perpurgandi librum de veteribus utriuſque linguæ Proverbiis ..... feciſti, ut pater meus emendationem ſuſciperet, quam cum doctiſſimorum Theologorum ope, tuo juſſu abſolviſſet, paullo poſt ipſe moritur*. Nihilominus & aliud omnino, quæ ibi ſequuntur, Locatelli, & Manutii ipſius teſtimonia [2] ſignificare videntur; & Manutii illud expendens Muretus [3], ubi opus ipſum, ſive operis emendationem acriter ſane ac vehementer inſectatus eſt; *Nunc*, ait, *quicumque rudem illam & indigeſtam molem congeſſit (Paullum enim Manutium fuiſſe nemo mihi unquam perſuaſerit, qui etiam brevi ſcripto teſtatus eſt, ſe ea tantum, quæ imprimenda acceperat, aliis imprimenda dediſſe; credo quod ipſe non ſatis digna pleraque judicaret, quæ typis ſuis excuſa legerentur) ille igitur &c.* Apophtegmata correcta atque emendata Matthæo Senaregæ inſcripta ſunt ab eodem Aldo litteris datis Venetiis Idib. Nov. MDLXXVI. Quod pertinet ad Manutii præconia, ea conjunctim cum ſinixterioribus de ipſo judiciis apud

1 Cum dil. f. Paulus Manutius dil. f. Thomæ Manriquem noſtri S.P.A. Magiſtri conſillo atque ope Adagia, necnon Apophtegmata ab omnibus mendis, quæ pium & veritatis Catholicæ ſtudioſum lectorem offendere poterant, expurgari curarit &c. 2 Ego F. Euſtachius Locatellus O. P. Ep. Reggii atteſtor, quatenus precibus R. F. Thommæ Manrique olim M. S. P. Adagia Eraſmi perlegi & caſtigavi ..... & ſic caſtigata & expurgata eidem R M.S.P. oſtendi, quæ demum ipſo approbante Paullo Manutio excudenda tradita fuerunt juxta ordinem C. Tridentini &c. Cum a R. F. M. Manrique olim M. S. P. Adagia Eraſmi caſtigata ..... Ego Paullus Manutius receperim, illa Philippo & Jacopo Junctis Florentiam imprimenda tranſmiſi &c. 3 *Var. lect. lib. 12. cap. 16.*

apud multos legere potes,præſertim Thomam Pope-Blount [1], Teiſſerium [2], Morhofium [3]: quibus addi multa in ejuſdem commendationem poſſunt, præſertim quæ Hieronymus Ferrarius de eo adhuc juvene (anno ſcilicet 1541.) ſcripſit in epiſtola, qua emendationes ſuas in Philippicas Ciceronis Paullo dedicavit: item quæ Speronus Speronius in Dialogo *de Hiſtoria*, ubi eum loquentem inducit; etſi alibi, ideſt *in fine part.* I. *Apologiæ* non ſatis eleganter editos ab eo dialogos ſuos quæri videatur. Nos eo contenti erimus, quod de Manutio habet Muretus, ſcripſitque cum adhuc viveret anno 1559. [4] *Præclare ut ſolet Manutius: de quo viro merito dubitari poteſt, pluſne ipſe Ciceroni, an ipſi Cicero debeat: nam & ipſe tractandis aſſidue Ciceronis ſcriptis eam aſſecutus eſt eloquentiæ laudem, qua vincit omnes: & cum ad ingenium, quo excellit, addidiſſet eam diligentiam, eamque laborum perpeſſionem ac tolerantiam, qua vires, ipſamque adeo valetudinem ſuam, magno noſtro omnium, quotquot eum, quia plane novimus, plurimi etiam facimus, dolore proſtravit; incredibile eſt, quot ab errorum millibus eos libros feliciſſime vindicarit.* Hoc, licet ab aliis allatum, & ab amiciſſimo viro perhibitum teſtimonium, ideo attuli hoc loco, quod de perdita etiam illius valetudine loquitur, atque ita loquitur, ut cauſam in litteras, earumque nimium amorem conferat. Atqui hoc publice eo tempore non dixiſſet vir ſapiens Muretus, ſi ea fuiſſet morborum cauſa, quam iniquior in Manutium Imperialis [5], eique creduli nonnulli protulerunt. Manutii vero pietatem ac religionem cum multa demonſtrant, in ejus ſcriptis epiſtolis præcipue, perſpicua impreſſa veſtigia, tum in Auctoribus corrigendis, &, ſi qua liberiora exciderant, omittendis cura; quemadmodum, ut unum aliquem proferam,

1 *Cenſur. celebr. Auct. pag.* 718. 2 *tom.* 3. *pag.* 1. *edit. Lugd.* 1715. 3 *lib.* 1. *cap.* 23. *Polyh.* 4 *lib.* 1. *cap.* 6. *var. lect.* 5 *in Muſ. hiſt.* 1. *all.*

ſeram, nec ita vulgo cognitum, Laurentii Medicei Italicis carminibus, a quibus jam impreſſis, quod in illis recognoſcendis dempta eſſe nonnulla voluerit, ideo paginarum numerus interruptus apparet [1].

§. 2. *De Dionyſio Lambino, & Petro Morino.*

1. LOngiores in Manutii rebus exequendis fuimus; quod accidit partim rerum multitudine, & hominis præſtantia, ac fortunæ varietate, partim hiſtoriæ illuſtrandæ ſtudio, quam multis in locis perturbatam, aut non ſatis confirmatam videbamus. Sed hanc longitudinem, in Lambino & Morino brevitas orationis compenſabit. Lambini vero ingenium, & ad litteras præclara quædam indoles oſtendit, acutos homines ſolerteſque naſci ubique, *craſſoque ſub aere* poſſe. Natus eſt enim ille Monſtrolii [2] oppido ad Oceanum, *aere craſſo & turbido*, ut Scævola Sammarthanus [3], aliique de eo prodiderunt. Eſt autem Monſtrolium hoc *in Ambianorum, & Morinorum finibus*, ut idem Lambinus ait [4], ideſt in Picardia provincia: ſed cum in limite etiam Arteſiæ ſit poſitum, hinc *Belgam* eum Muretus [5] vocavit. De tempore, quo natus eſt, diſſideo a reliquis omnibus, nec ſine bono auctore, ut arbitror, ideſt Lambino ipſo; qui in epiſtola quam primam ejus vulgamus annos circiter XXXVI. tunc natum ſe affirmat. Atque hic numerus ita expreſſe, ita diſtincte & nitide erat Lambini manu ſcriptus, ut cum multa ejus alia oculos aliquando vexarent, hic primò ſtatim apparuit. Jam vero epiſtolam illam anno 1556. ſeriùs a. 1557. ſcriptam, multis argumentis probare poſſum: his vero præcipuis; quod Muretus

1 *V. Apoſtolum Zeno ad Fontanin. de Italic. eloqu. tom. 2. pag. 59.*
2 Montreuil ſur mer. 3 *in elog. lib. 2. V. Mejer. Præfat. ad Politic. Ariſtot. Ghilini Teatro &c.* 4 *Orat. qua præfatur ad Philippic. p. 14.*
5 *in litter. Lambino collect. Bruti pag. 387.*

tus biennio ſcriptam ſignificat poſtquam ipſe primo commentarium ſuum in Catullum ediderat; edidit autem anno 1554. Deinde quod ſcripta ſit Romæ altero anno quam Pariſiis fuerat Lambinus. Si ergo anno 1556. aut 1557. annos 36. natus erat Lambinus; neque ortum ille habuit niſi anno 1520. aut qui hunc proxime attingit, nec quando mortuus anno 1572. (ut inter omnes convenit) annos numerabat niſi 52. non 56. ut Bailletus, aliique prodiderunt. Ipſe de ſe, ſuoque in litteras amore in epiſtola ad lectorem operibus Ciceronis præfixa: *Neque enim umquam inſitiari verebor, me unum ex iis eſſe, qui ſe ab iis voluptatibus, quæ nobis ſunt cum pecudibus communes, longiſſime removerunt, eaſque artes ab ineunte ætate coluiſſe, quæ homine ingenuo digniſſimæ ſunt: cum primum aliquid in litteris videre coepi, incredibili earum amore ita flagravi, ut rei familiaris cura neglecta artibuſque vendibilibus & quæſtuoſis ſpretis ac rejectis, eas potiſſimum ſecutus ſim, quæ propter ſe, non propter fructum aliquem expetuntur. Itaque cum in optimo quoque Scriptore & Græco & Latino evolvendo ac legendo aliquot annos in Gallia conſumpſiſſem, in Italiam profectus ſum acerrimis ingeniis ſemper florentem, ex qua orti eruditiſſimi homines terras omnes humanitatis participes, immortali ſui nominis gloria paullò ante noſtram ætatem compleverunt, Bembi, Sadoleti, Bonamici, Amaſæi, Victorii, Caſæ, Pantagathi, Manutii, Faerni, Sirleti, Sigonii, Zanchi, Commenduni, Robortelli, Luiſini, Taurelli, Panvinii, Urſini, Bargæi, ſexcenti alii.*

2. Quod ait, ſe in Italiam ex Gallia veniſſe, factum eſt anno 1549. cum Cardinalem Franciſcum Turnonium comitaretur. Et diſceſſiſſe quidem Toloſa VI. Cal. Quinctil. eo anno ex epiſtola Joannis Maludani [1] conſtat; ex qua etiam apparet, aliquamdiu ibi apud Memmios, quorum ſtudia

[1] *Int. Epiſt. Clar. Vir. Bruti pag.* 345.

ſtudia Maludanus octo jam annos regebat, verſatum [1]: quò nimirum ſpectant verba illa: *Memmii fratres, mei amores & duplex cura, te ſalvere jubent: quoties cibi gratia accumbimus, ſuccurrit illud* εἷς, δύο, τρεῖς, τέταρτος δὲ ποῦ. Antea, anno 1547. a Laurentio Strozzi Epiſcopo Biterrenſi expetitum, ut eo duce in ſtudiis humanitatis uteretur, Petrus Caſtellanus Matiſconenſis Antiſtes, eidem Lambino ſignificavit, eique fuit auctor, ut hanc occaſionem benemerendi de juvene (erat enim annos natus XXI.) præterlabi ne ſineret [2]. Ubi quidem notandus eſt error Sammarthanorum [3], qui ſolum a. 1548. Laurentium eam Eccleſiam regendam accepiſſe tradiderunt. Utrum delatam conditionem acceperit? equidem ignoro. Neceſſe eſt tamen, ſi accepit, brevi cum Biterrenſi Antiſtite fuiſſe; cum a. 1549. ut diximus in familiam Cardinalis Turnonii cooptatus eſſet. Hoc tum factum, ex epiſtola ejuſdem Maludani [4] colligimus. Apud Turnonium deinceps diu fuit, & fere quoad ille vixit [5]. Cum Turnonio ergo Romam venit, Romæque erat, cum Purpuratorum Patrum comitia celebrata ſunt, in quibus a. 1550. VI. Id. Febr. Julius III. Pontifex eſt creatus: itaque amicus Maludanus ab eo accepit morbi Pauli III. nuncium, & Cardinalium, qui in conclavi erant, numerum; quæ pariter cum ab alio, ideſt a Sibilleto accepiſſet, nec tamen concordarent, lepide Lambinum illudit [6]: *Ille ſcribit, Paulum III. Pont. Max. ſex dies ægrotaſſe, tu tres; ille Cardinales in conclavi* XLII. *fuiſſe, tu* XL. *Quæ res fecit, ut de cetero minus mirer, ſi quando in veterum incidam hiſtorias diſcrepantes*. Anno etiam ſequenti Lambinum Romæ manſiſſe cum Cardinali ſuo ex Joachimi Perionii epiſtola habemus data VI. Id. Sextil. [7], & ex alia Lambini ipſius

Non.

1 *Ibid. pag.* 365. 2 *Ibid. pag.* 333. 3 *tom.* 2. *veter. edit. p.* 425. *Sed emendatum hoc vidi in nova tom.* 6. *col.* 367. 4 *Epiſt. Brut. p.* 354. 5 *Mortuus eſt a.* 1562. 6 *In epiſt. Bruti pag.* 359. 7 *Ib. pag.* 340.

Non. Jun. in qua tamen [1]: *De reditu noſtro*, inquit, *in Galliam nihildum certi tibi meis litteris ſignificare poſſum. Exiſtimo tamen, nos Septembri menſe de Italia relinquenda cogitaturos*. Sed rediiſſe illum non puto, cum & Turnonium Julius III. non libens Italia, imo Roma tunc excedere pateretur, & ad fœdus ſanciendum cum Henrico II. a. 1552. eodem auctore inductus ſit. Scribit Ludovicus Donius d'Atticby [2], circa a. 1553. Turnonium ad Lugdunenſes ſuos veniſſe (nam ejus urbis Epiſcopatum anno 1551. XIII. Cal. Auguſti ſuſceperat [3]) eaque in urbe manſiſſe biennium, ad annum 1555. quo juſſus eſt cum Carolo Lotharingo Cardinali extra ordinem Romanam ſuſcipere legationem. Lambinum certe anno 1555. aut 1556. Pariſiis fuiſſe, ex epiſtola prima, quam vulgamus, facile colliges; ait enim, quiddam ſibi dixiſſe Adrianum Turnebum, *cum anno*, inquit, *ſuperiore Lutetiæ eſſem*, imo idem initio ejuſdem epiſtolæ diſerte narrat: ſcriptam vero eam epiſtolam biennio, poſtquam Muretus anno 1554. commentarios ſuos in Catullum vulgaverat, teſtis eſt idem Muretus [4].

3. Atque idem hic annus 1557. ſive, ut magis arbitror, ſuperior 1556. viros hos doctos & eruditos arctiſſime junxit, quam neceſſitudinem mutuis officiis & litteris diligenter cultam, plagii ſuſpicio quædam diremit. Cum enim anno 1559. ſuos Variarum Lectionum libros Muretus vulgaſſet, hos legens Lambinus, putavit, ſe ibi reperiſſe multa quæ erant ſua, in commentariis ſcilicet ad Horatium ſcripta; quos commentarios Muretus partim Lambini rogatu, partim ſua ſponte legerat. De eo ergo per litteras, quæ vulgatæ ſunt a Bruto [5], queſtus eſt cum Mureto Lambinus. Quid rei ſit, non auſim hic definire. Sunt enim,

1 *Ibid. pag. 373.* 2 *Flor. Hiſt. Card. tom. 3. pag. 96.* 3 *Vide Gall. Chriſt. rec. edit. tom. 4. col. 183.* 4 *Comment. in Catullum ed a. 1558. pag. 75. 2.* 5 *pag. 413.*

enim, qui Muretum reum faciunt, Niceronius [1] præſertim; ſunt, qui Lambinum non modo hoc loco & Mureti cauſa, ſed aliàs etiam plagii damnent [2]. Atque ut taceam Giphanium [3], quem Niceronius, quod Lambini inimiciſſimum eſſe vult, hujus rei produci teſtem non pateretur; Simeon Boſius [4]: *Hæc*, inquit, *ego quondam Lambino; qui ea ſuo more edidit, longe aliter quam dicta fuerant, ſuppreſſo auctoris nomine*. Et vero naviter fuiſſe impudentem Muretum oporteret; ut anno 1569. ideſt vivo Lambino, Giphanio ipſi ſcriberet [5]: *Equidem poſſum, mi Giphani, oſtendere tibi, ſi hic ſis, litteras ipſius manu ſcriptas, quibus mihi gratias agit, de locis quibuſdam ſibi explicatis, quos ipſe poſtea queſtus eſt, a me ſubreptos eſſe: & eas litteras diligenter adſervo, non ut edam (neque enim tanti eſſe duco) ſed ut oſtendam interdum amicis, ſi quando de me, & Lambino ſermo incidit*. Ex quibus quidem poſtremis verbis illud etiam colligitur; cur editis a Lambino litteris, quibus hoc ille plagium Mureto exprobabat, hic eo vivo (quod Niceronius opponit) tacuerit, & ſolum mortuum mendacii & impoſturæ accuſarit. Noluit ſcilicet vir probus & mitis litem de eo intendere; quod non tanti eſſe ducebat; præſertim cum anno 1561., quo ſunt illæ litteræ typis editæ, Cardinalis Turnonius viveret, qui in clientelam ſuam Lambinum jampridem acceperat; Muretus vero Cardinalem illum multis ab eo beneficiis acceptis maxime obſervaret. Mortuis autem Turnonio & Lambino, cum ſe occaſio offerret edendi litteras ſuas, amplexus eſt eam Muretus, ut de hac re breviter aliquid Nicotium, qui epiſtolas ſuas poſtulabat, doceret. Itaque ſcripſit, ut Niceronius exiſtimat, de Lambino [6]: *Hoc*

1 *Tom.* 27. Memoires *pag.* 163. 2 *V. Thomaſium de plag. litter.* §. 448. 480. 3 *lib.* 2. *ep.* 74. 76. *&c. Mureti edit. Comin. &c.* 4 *in lib.* 1. *Cicer. ad Att.* 5 *lib.* 3. *ep.* 7. *Muret.* 6 *Eſt hæc prima epiſtola in editione Mureti epiſtolarum Pariſienſi anni* 1580. *in Cominian. lib.* 2. 1.

Hoc autem æquiore animo paſſus ſum exſtare aliquas epiſtolas meas, quod quædam multis jam ab hinc annis edita ſunt pro meis, de quibus ſcribendis ego ne per ſomnium quidem unquam cogitavi. Confinxerat eas is ipſe, qui tamquam a me ad ſe miſſas divulgaverat, homo eruditus ille quidem, ſed improbus, & natura nocendi ac malefaciendi cupidus: cum plurima, & maxima officia, quibus a me affectus erat, ſummis injuriis compenſare vellet. Qua de re olim a me graviter objurgatus, multis cum lacrimis a me veniam petiit, laqueo digna commiſiſſe ſe faſſus, cum ei ſermoni Hadrianus Turnebus & Johannes Auratus præſentes intereſſent. Acrius ſane ac vehementius, quam Muretum decebat, in Lambinum invectus eſt, ſi de Lambino loquitur. Sed facti veritatem quod pertinet, teſtem ipſe producit non modo Turnebum, qui jam obierat, ſed Jo. Auratum, qui tunc vivebat: quos quidem Lambinus ipſe [1] *viros doctos, ſibi notos ac familiares, Galliæ atque adeo totius Europæ principes, collegas ſuos* appellat. Quod autem Auratum quoque teſtem Niceronius rejiciendum putet, quod Muretum patriæ neceſſitudine & cognatione aliqua contingeret; id eum injuria facere, veritum ſcilicet, ne cauſa Lambinus ſuus cadat, exiſtimo. Nec vero is erat Muretus, ut ad commendationem operis ſui pauculis illis, quæ Lambinus nominavit [2], emendationibus ſive animadverſionibus indigeret. Contra vero, ſe nonnulla ſubminiſtraſſe Lambino profeſſus aperte fuerat [3]; ut ſi ex hominibus cauſa extimanda ſit, dubium eſſe non poſſit, eam obtenturum Muretum. Sed, ut dixi, nolo huic

1 *In Epiſt. ad Lucret.* 2 *Sunt lib. I. var. Lect. 8. II. 12. III. 8. 9. IV. 15.* 3 *Lib. VI. var. lect. cap.* 8. Hanc correctionem a me acceptam Dionyſius Lambinus vir acutiſſimo ingenio acerrimoque judicio præditus recuiit in Scholia in eos libros ſua. *Lib.* VIII. 13. Hoc ex me poſtea auditum Dionyſius Lambinus homo ſingulari doctrina & acerrimo judicio præditus ita probavit, ut interpretationem Ariſtotelei loci ſuam, ad meam correctionem accomodarit.

huic me dirimendæ cauſæ admiſcere; præſertim cum ſine utriuſque culpa fieri id facile potuerit, ut alteruter ſua crederet & propria, quæ in mentem alteri etiam vel ſua ſponte, vel admonito olim ab alio, ſed earum rerum oblito poſtea, venerant. Illud ſolum, ut dixi, in hac re moleſte fero, adeo contra Lambinum exarſiſſe Muretum, ut in libro ſuo *Variarum Lectionum* loca illa omnia, in quibus eum laude eum appellaverat, calamo deleverit (etſi poſtea cum rurſus ederentur retinuit), & in adjunctis libris, quem ſatis liberaliter commendaverat, acriter perſtrinxerit [1]: licet Lambinus cum Lucretium ederet anno 1563. librum illi IV., præfixa epiſtola, qua & amiciſſime appellat, & hominem *ſumma ſecum neceſſitudine conjunctum, omnique doctrina liberali præſtantem*, dilaudat, dedicavit; addens etiam in eo ipſo multum illi debere, quod & princeps ad illud opus ſuſcipiendum ac perficiendum ſtimulos admoverit, vulgata Lucretii exempla cum exemplaribus antiquis ac mſſ. conferentem aſſidue adjuverit; denique, *tu*, inquit, *ſæpe ex obſcuris & propemodum obliteratis veteris ſcripturæ veſtigiis veram lectione n (quo ingenio, quoque acumine es) ſagaciſſime odorabaris*. Profectas haſce laudes ex metu quodam, quod Mureti iram vereretur, cenſet Giphanius [2]. Ego eum Scaligero [3] virum eum bonum puto: quamquam, quod Giphanium etiam ipſum virum certe doctum [4] adeo offen-

1 *Var. lect. lib.* XVIII. *cap.* 7. At Lambinus quam multa de ſuo addidit? Neque mirum; non enim librariorum errata tollebat, ſed Ciceronem ipſum, ſi quando non ſatis commode locutus videretur, corrigebat. *Vide lib.* 1. *cap.* 19. 2. *edit. &c. Ita in* 1. *Eth.* At Lambinus Arretini errorem, quamvis ſedulo monente me, ne id faceret, ſecutus, ſuam, ut aliis quoque locis, Philoſophiæ inſcientiam prodidit. *Illum etiam appellare videtur cum ſcribit*: Qui Plautum commentario onuſtum emiſit, pluribus locis emendatum non facile dixerim. 2 *lib.* 2. *ep.* 76. *Mur.* Laudat te, quem ita tamen accepit. Scit ſcilicet quem laudet, & cur; metuit, ne offendat ſolido. 3 *Scaligerian.* 2. 4 *Marcus Velſerus lib.* 8. *rer. Auguſtan. edit. Venet.* 1594. *pag.*

derit, & Lucretium cum commentaretur, ſæpius eidem maledixerit [1], non ſatis deſiderare hominis probitatem modeſtiamque poſſum.

4. Sed ut ad ejus facta redeamus; Cardinalis Turnonius, quemadmodum idem Lambinus in litteris, quibus Horatii Satyras & Epiſtolas eidem dedicat, ſignificat, anno 1555. Romæ erat, ex Gallia nimirum redux, & Roma ſcriptis litteris Henricum II. Regem de induciis cum Hiſpaniarum Rege gratulatus eſt. Idem, auctor Paullo IV. fuit, ut ab armis diſcederet, & fœderi ſanciendo operam daret. Quod cum non impetraſſet, veniam Roma abeundi poſtulavit, *Voluntate*, ait Lambinus, *& conceſſu ipſius Pontif. Max.... ex Urbe diſceſſiſti: triennium & eo amplius Roma abfuiſti, menſes circiter quindecim in Umbria, ſex Venetiis, in oppido Corneliano annum commoratus es. Inde longo itinere, valetudinis cauſa ſuſcepto, ad aquas Lucenſes de Medicorum ſententia profectus es.* Hæc quoque Lambini, qui Cardinalem comitabatur, itinerum ratio fuit. Itaque cum triennio & eo amplius Turnonius Roma abfuerit ante Pauli IV. mortem, quæ XV. Cal. Septembr. accidit; Julio menſe aut Auguſto Roma diſceſſit Lambinus. Ergo ante hunc diem primam ex epiſtolis noſtris conſcripſit anno ipſo 1556. Inſequentibus annis Venetiis, ſive in Corneliano diverſatum, oſtendunt aliæ, quas Brutus [2] edidit. *Venetiis A. D.* XVII. *Cal. Maj Anno* MDLVIII. libros X. Ariſtotelis ad Nicomachum latine a ſe verſos dedicat Cardinali Turnonio; quo ille tempore, ut ibidem præfatur, *in urbe totius Italiæ*

pag. 177. Hubertus Giphanius juris ſcientia omnique politioris litteraturæ laude clarus; nam hoc teſtimonium veritati, non amicitiæ damus. *V. & Barthium lib.* 5. *Adverſ. cap.* 10. *Joſephum Scaligerum in Copam &c.*

1 *Illum ſpectare cenſetur præf. in Cicer.* Hoc reſpondebo.... a nemine ſui laboris fructum impudenter atque injuſte in me transtuliſſe: quod nuper in meo Lucretio quidam omnium mortalium petulantiſſimus, atque impudentiſſimus fecit.

2 *pag.* 378. *Vide &* 343.

liæ pulcherrima, opulentiſſima, quietiſſima, pacatiſſima a priſtinis curis aliquantulum laxamenti nactus reſpirabat. Vertit autem, auctore eodem Cardinale, qui eos Græcos cum legeret, Lambinum quaſi interpretem & ſcholiaſtem adhibere ſolebat. Hos vero Lambinum hoc tempore in Italia vulgaſſe, ipſemet affirmat [1]; *Ibi* (in Italia) *libros Ariſtotelis de Moribus ad Nicomachum Latinos a me factos non eo conſilio ut ederem, ſed partim ut ampliſſimo & clariſſimo cuidam viro, cujus eram familiaris, morem gererem, partim multorum eruditiſſimorum virorum hortatu typis mandavi ac divulgavi*. Divulgati autem ſunt hoc titulo; *Ariſtoteles de Moribus ad Nicomachum libri decem, nunc primum e Græco & Latine & fideliter, quod utrunque querebantur omnes præſtitiſſe adhuc neminem, a Dionyſio Lambino expreſſi. Ejuſdem Dionyſ. Lambini in eoſdem libros annotationes, quibus cum obſcuri loci multi illuſtrantur, depravatique emendantur, tum quid inter hanc & ceteras horum librorum converſiones interſit, aliqua ex parte oſtenditur. Venetiis ex officina Eraſmiana apud Vincentium Valgriſium* MDLVIII. Poſtea & ſæpius alias editi, & a. 1565. *Lutetiæ ap. Vid. Guil. Morelii, de integro*, ut ibidem dicitur, *ab eodem recogniti, & multis locis correcti*; adjecta epiſtola Lambini ipſius Juſto Turnonio Cardinalis fratris filio; in qua hujus atque aliarum duarum editionum, quæ hanc præceſſerant, rationem reddit. Sunt vero in omnibus verſus Mureti in Lambinum, & epiſtola pariter Mureti in ejuſdem operis commendationem *purioris ac politioris Philoſophiæ ſtudioſis* data *Non. Mart.* 1558. *Patavio*. Sed poſtea laudum harum pœnituiſſe Muretum credo; cum videam in exemplo horum librorum, quod etiam manu correctum a Lambino habuiſſe videtur (ſunt enim emendationes nonnullæ manu ſcriptæ) multa in eum notat; ut *pag.* 17. ubi Lambinus vertit; *Si cui ſint liberi omni vi-*

1 *In præfat. ad Cicer.*

ni vitiorum genere cooperti, *vel cujus amici*, *qui eſſent viri boni*, *exceſſerint de vita*; Muretus: ἢ φίλοι ἢ ἀγαθοὶ ὄντες, *de liberis ipſis loquitur* [1]; *& pag.* 33 ad eum locum: *talem virtutem*, *quæ in voluptatibus ac doloribus verſatur*, *ad res optimas agendas idoneam eſſe*, adſcripſit Muretus: *non intelligit*. *Pag.* 48. ubi Lambinus *de jacturis*, *quæ orta in mari tempeſtate fieri ſolent*, Muretus: *malim jactu dicere*; *etſi utroque Juriſconſulti utuntur*. *Pag.* 84. vertit Lambinus: *eaque magis in hominibus innaſcitur*, *quam profuſio*; Muretus, *profuſum apud Ciceronem lego*, *profuſionem nondum legi*. *Pag.*154. *De his igitur nunc dicendum &c.* adnotat Muretus, *omittit illud* ἐπιστήσασι, *quod non intelligebat.* Plura etiam in Scholiis notavit [2], in quibus quædam alia manu quaſi Lambini reſponſa apparent, atque his Muretus quædam præterea reponit; ut *pag.* 343. cum reprehendiſſet Perionium Lambinus quod dixiſſet; *ſuſtinet audire*, ſcribens; *hos loquendi genus Latinum eſſe non puto*, *nedum Ciceronianum*: manu Mureti ſcriptum invenitur; *Quintiliani eſt*, *& Celſi*, *& Plinii*,

1 *Cui tamen animadverſioni in edit. a.* 1565. *Lambinus reſpondit pag.* 7. *num.* 47. 2 *Pag.* 288. *ad illam Lambini adnotationem lib.* 1. *n.* 23. *ubi Horatium affert*, *Muretus margini adſcripſit* De alio genere hominum loquitur, *& inferius ad Lambini verba* ſtultum igitur & ridiculum mehercule hoc hominum genus &c. *Muretus hanc notam appoſuit*; ſtultus tu ipſe & ridiculus, qui de ejuſmodi hominibus Ariſtotelem loqui putes. *Pag.* 307. *ad Lambinum dicentem*: imperitiam dixiſſem, ſi mihi videretur uſitatum; *Scribit Muretus*, Salluſtii eſt, & Juriſconſultorum, & Lactantii. *Pag.*322. *Lambinus*, φαντασίαν ... Perionius æſtimationem dicit novo & barbaro nomine; *Muretus*, æſtimationem non puto neque novum eſſe, neque barbarum ἀντὶ τῆς ἀξίας ἢ τιμῆς. *Pag.* 361. *Lambinus*: non annotarem id, quod leve ac puerile eſt, niſi quidam amicus meus dubitare ſe dixiſſet, an latine dicatur, ſe ipſum exanimare &c. *Muretus* Calepinus auxilio eſſe poterat. *Pag.* 368. *ubi Lambinus Baſilium ait*, *Margiten poema non Homero*, *ſed Pittaco adſcribere*, Vide locum Baſilii, ut intelligas hoc homine nihil eſſe ineptius. *Pag.* 409 *pro* Aſpaſio *ſubſtituit* Euſtratium. *Pag.* 414. *ubi Lambinus ſe aſſentiri ait Petro Victorio*: Idem notarat Felicianus decennio ante Victorium &c. *Nonnulla ex his emendavit Lambinus*; *& poſtrema illa verba lib.* 1. *adnot.*23. *quæ eſt in alia edit.* 24. *delevit*.

nii, *& Ovidii*, *& Suetonii*; alia manu vero, in qua Lambinum videre mihi videor; *quid tum poſtea*, *Murete*? hinc, Mureti certe manu; *Sequitur*, *etſi Ciceronianum non eſt*, *latinum tamen eſſe*, *quod tu antea negaveras*.

5. Anno 1559. cum Lucæ eſſet Lambinus, credebat, brevi fore, ut Romam cum Cardinali proficeſceretur; *propterea quod*, ait, *hic Pontifex aqua inter cutem*, *morbo inſanabili*, *præſertim in ſene*, *afflictus & pæne confectus*, *nullis medicamentis excitari*, *nec recreari poteſt*: quod verum fuit; deceſſit enim Paulus IV. eodem anno xv. Cal. Septembr. ut diximus. Hoc quoque Lambinus in præfatione, ſive epiſtola illa ad Cardinalem Turnonium tradit, poſtquam ad aquas Lucenſes veniſſe eum dixit: *Ubi*, inquit, *cum de Pontificis Max. obitu certior factus eſſes*, *tibique inſtarent*, *non ſolum tui*, *verùm etiam alieni*, *& tamen tui amantiſſimi*, *ut Romam ad Comitia Pontificia mari contenderes* (*nam te terra iter facere adverſa tua valetudo prohibebat*) *vix tandem pervicerunt* .... *Te ſuaſore atque adeo auctore*, *vir eximia virtute*, *doctrina*, *morum integritate*, *vitæ religione ornatiſſimus Pius IV. omnibus omnium Cardinalium ſuffragiis Pontifex Max. declaratus eſt*. *Cui quid ego nunc dicam*, *quam carus ſis? quanti te ille & Romæ præſentem fecerit*, *& nunc abſentem faciat?* .... *Neque vero ille unquam adduci potuiſſet*, *ut te a ſe dimitteret*, *niſi triſtibus iiſque crebris e Gallia allatis ad ſe de religione litteris*, *ac nunciis commotus*, *cum cuperet florentiſſimo potentiſſimoque regno*, *pro ſuo paterno in omnes Chriſtianos amore conſulere*, *te unum ad eas partes aptiſſimum eſſe judicaſſet*; *cum præſertim Rex ipſe Franciſcus II*, *& mater*, *Conſiliariique Regis te quotidianis litteris a ſe flagitarent*, *eamque ob cauſam triremes IV. in portum Oſtienſem*, *partim velis prævectæ*, *partim remis appulſæ eſſent*; *quarum erant duæ regiæ e portu Maſſilienſi profectæ*; *reliquarum duarum altera a Coſmo Florentiæ Regulo*, *altera a Civitate Genuenſi rogatu Regis*

erat miſſa. Ita te Pontifex Max. Pius IV. a ſe diſcedere, atque in Galliam reverti paſſus eſt. Tempus, quo rediit in Galliam Turnonius, idem paulò ſuperius ſignificavit: *Quis fuit nuper tuus in Galliam ex Italia reditus?..... quo te vultu Rex Franciſcus II. paucis antequam diem ſuum obiret diebus; quo Catharina Medicea mater ejus excepit?* Obiit Franciſcus II. Non. Decembr. anni 1560. Videtur ergo autumno ejuſdem anni ex Italia in Galliam rediiſſe Turnonius, & cum Turnonio Lambinus. Lugduni tamen ſubſtitiſſe magnam partem anni 1561. ejus epiſtolæ teſtantur Lugduno datæ Nonis Februar. [1], Idibus [2], XII. Cal. Mart. [3], Calend. April. [4], Prid. Non. April. [5].

6. Reverſum in Gallias, conſtat Lambinum factum eſſe Pariſiis latinarum litterarum Profeſſorem Regium. Munus tamen illud brevi tempore obtinuit, ad Græcas litteras docendas tranſlatus. Significat hoc idem Lambinus in oratione quadam, quam anno 1562. Pariſiis editam vidi, atque ipſe ſe tertiam habuiſſe affirmat, ita eam orſus: *Nihil erat AA. quamobrem tertiam apud vos ex hoc loco orationem haberem; etiamſi poſteaquam huic regio publice docendi muneri præpoſitus ſum, nova res intervenit. Nam, ſive, unde hæc nata ſit commutatio, ut qui paullo ante litteras Latinas docebam, is nunc Scriptores Græcos vobis interpretari incipiam, ſcire vos oportet &c.* Tempus quo id factum, habemus ex oratione Leodegarii a Quercu, qui Lambino ſucceſſit, *habita*, ut in titulo ipſo dicitur, *initio ſuæ profeſſionis anno* 1561. X. *Cal. Jan.*; Nam in illa Leodegarius narrat: *Ad* VI. *Idus Novembres Guilielmus Ruſæus.. & Jacobus Amiotus..... per litteras ſignificarunt, Michaelem Hoſpitalem Clariſſimum Galliarum Cancellarium a Rege impetraviſſe, ut ego in Lambini, ille in Turnebi, Turnebus in Vicomercati locum ſufficeremur.* Vico-

1 *Ep. Brut. pag.* 438. 2 *Ibid. pag.* 445. 3 *Ib. App. pag.* 27. 4 *Ibid. pag.* 10. 5 *Ib. pag.* 19.

Vicomercatum non inter Regios profeſſores eſſe deſiiſſe, ſed alium obtinuiſſe locum diſcimus ibidem, cum regios, qui eo tempore erant, Profeſſores numerat [1]. Sub finem ergo anni 1561. a Latinorum Scriptorum interpretatione ad Græcos Lambinus tranſiit. Quando vero primùm latinorum ei interpretatio tradita ſit, nunc quærendum. Elici id poſſe puto ex alia oratione, quam eodem anno 1562. habuit Lambinus, cum Philippicarum Demoſthenis explicationem eſſet orſurus. Nam cum initio (ut titulus ipſe orationis ſignificat [2]) publicam calamitatem deploraſſet, contuliſſetque priſtinam ſcholarum celebritatem, cum ea quæ tunc erat vaſtitate; ut cum olim Rege Franciſco I. & Henrico II. ad viginti ſtudioſorum adoleſcentium millia numerarentur; atque in illa, qua docebat, aula, modo trecenti, modo quadringenti, interdum quingenti & ſexcenti aſſidui auditores comparerent; anno ſuperiore centenos vel ducentenos auditores vidiſſet; illo vero anno, *bello impio conflato, peſtilentia ſæviſſima coorta, quingentos adoleſcentes bonarum litterarum, bonarumque artium ſtudioſos reperire* vix poſſet; in gymnaſium vero vix auderet ſperare *quinquaginta aſſiduos auditores quotidie ad ſe aut quemvis alium e collegiis audiendum conventuros*: Ubi, inquam, hoc ille executus eſt, ad privatam quamdam calamitatem ſuam deſcendit, mortem nimirum fratris filii ex peſtilentia,

 quem

1 Duo linguæ ſanctæ Interpretes Mercerus & Quinquarboreus . . . Duo autem Philoſophorum & Aſtrologorum enarratores Vicomercatus & Hamelius.... regius vero aureuſque Poeta Joannes Auratus . . . . Jacobus Goupylus medicorum Coriphæus, & Petrus Ramus eloquentiæ ac Philoſophiæ graviſſimus profeſſor . . . Adrianus Turnebus noſter amor, noſtræ gentis ornamentum &c.

2 Dionyſii Lambini Monſtrolienſis Græcarum litterarum Doctoris Regii oratio poſtridie Idus Dec. pridie quam Philippicarum Demoſthenis explicationem orſus eſt anno 1562. in aula gymnaſii Samarobrinenſis habita, in qua primùm publicam calamitatem deplorat; deinde privatum ſuum incommodum caſumque adverſum commemorat; poſtremo pauca de re, & de Olynthiacis orationibus, a quibus initium fecit, præfatur. Pariſiis MDLXIII.

quem, ait, paucis poſtquam in Doctorum regiorum numerum adſcriptus fuerat menſibus, Monſtrolio Lutetiam evocaſſe, ut in gymnaſio Pleſſæo erudiretur; mortuum autem poſtridie Cal. Octobr. poſtquam annum integrum, & eo amplius Lutetiæ fuerat commoratus. Rationibus ergo ſubductis invenitur, Lambinum paucis menſibus ante Octobrem anni 1561. regium Doctorem eſſe factum. Quod quidem optime convenit cum reliquis ejus vitæ actibus, atque eo præſertim, quo Lugduni Idibus Aprilibus, Horatium Carolo IX. & Cardinali Turnonio dedicavit.

7. Commentarii illi in Horatium, ſi Sanmartanum audimus, magno in precio ſunt apud viros doctos, eoſque multum Joſeph Scaliger laudavit [1]. Vidimus eos quinquennio poſt, ideſt anno 1566. editos *Venetiis apud Paullum Manutium Aldi F.* cum additamentis nonnullis Jo. Michaelis Bruti; qui quidem Brutus in epiſtola iiſdem præfixa ſcribit Franciſco Rainerio; *Cum intelligerem, Lambinum in carminibus Horatii interpretandis non ſolum doctrinæ cujuſdam reconditioris, ſed ingenii, atque eloquentiæ laudem magnam retuliſſe &c.* Fatendum eſt tamen, multis in locis diſplicuiſſe Mureto, qui in editione eorum Tornæſiana [2] multa in margine manu ſua notavit. Et continuo quidem in epiſtola lectori locum illum *libri mihi reperti ſunt diſcrepare*, quòd barbare, credo, id aut non ſatis Latine, ei dictum videretur: & in vaticinio illo Maludani, ubi numerat *terquingentas ſexagintaque meſſes*, Muretus adſcripſit; *Adiit igitur hanc vatem aliquot annis poſt mortem ſuam*. Majoris momenti ſunt, quæ in ipſis commentariis confixit. *Ode* 2. *candenti humeros amictus* dici poſſe putavit Lambinus, quod proxime poſt *candenti* aſpiratio ſequatur, exemplumque attulit ex *ode* 18. *oſſibus & capiti inhumato*: Hic ergo Muretus; *quaſi ſcribatur*

1 *Vide & Baillet in Grammat. num.* 377.

2 *Lugduni ap. Joannem Tornæſium* MDLXI.

tur biuumatus. Ad inſcriptionem odis 6. *Ad M. Viſpanium Agrippam*, ubi Lambinus ait, Viſpanium nomen addidiſſe ex libro Rainutii Farneſii Card., Muretus *Dionem videlicet non legerat, neque Tacitum, neque ..... viderat*. Ad locum odis 7. *Albus ut obſcuro*, ubi Lambinus *albus notus λευκόνοτος &c.* Muretus; *Ex Luiſino; cujus librum ab hoc lectum eſſe, ſatis aliunde conſtat, ut ex illo loco; nec regna viri ſortiere talis*. Initio commentarii in odem XI. ſcripſit Lambinus *omnes ..... conjunctè legunt Scirenefas*. Muretus *non puto*. Initium ſequentis odis ait Lambinus videri ex Pindaro expreſſum, *quod quidem*, inquit, *& Muretus nuper, & alii jampridem adnotarunt*. Muretus *qui?* indicans ſcilicet, nullum præter ſe illud animadvertiſſe. Ad commentarium od. 20. ſoloeciſmum notat: nam ſcripſit Lambinus *vinum Calenum ventriculo utilior, quam Falernum*; Muretus; *Nota, quod vinum Calenum eſt utilior, quam Falernum*; quod quidem miror in ſequentibus editionibus etiam Bruti remanſiſſe [1]. Ad odis 38. illud *ſedulus curo*, Lambinus, *ordo eſt ſedulo curo*; Muretus; *imo illud ſedulus refertur ad puerum*. Ad lib.2. od.2. cum ad illud *quiſquis ingentes oculo irretorto &c.* longiorem diſputationem inſtituat Lambinus, adnotat Muretus; *Nullo modo probat, retorquere oculos eſſe id quod vult, ſi diligenter conſideres*. Ad odem 7. ſcribit Lambinus *Venus, ideſt talus Venereus*; Muretus, *ita loquitur, quaſi unus aliquis talus Venerem efficere poſſet*. Ad id quod ſcripſit de Attalo ad od.17, Muretus; *Atqui Attalo Aſiam bello captam populus R. muneris loco poſſidendam dederat. Vide Valerium cap.8. lib. 4. & qui ibi a Corrado citantur*. Ad lib.3. od.4. *Nequitiam* ſignificare intemperantiam & libidinem rerum venerearum ſcripſerat Lambinus; at Muretus; *hic*

[1] *Correctum poſtea vidi in edit. Pariſ. 1567. pag. 59. ubi tamen inſigne eſt typographi erratum in epiſtola dedicat. Carolo IX. in qua annus adſcribitur 1541.*

hic neque intemperantiam, neque libidinem rerum venerearum ſignificat; anzi la dappocaggine, l' eſſer da niente. Ita non recte ab eo intellectum & expoſitum locum od. 27. *Pater, o relictum filiæ nomen* ſignificat, addens expoſitionem ſuam; *O Pater, cujus mihi nunc, niſi nomen, nihil relictum eſt*: Et in Epodo od.2. cum ſcripſiſſet ad verba illa *hæc ubi locutus* Lambinus; *nonnulli ſubaudiunt verbum ſum*, Muretus appoſuit; *ideſt, tu ita intelligebas, niſi admonitus a me eſſes*. Ad odem 5. Lambinus, *Prætextam ſignificat, qua utebantur pueri uſque ad annum decimumquartum: deinde ſumebant togam virilem, quam puram appellabant*. Muretus *hominem antiquitatis peritum*! Et fortaſſe Muretus Aldi Manutii ſui ſententiam imbiberat [1], exacto anno XVI. ineunte XVII. togam puram datam, quæ pariter fuit ſententia Gruchii [2], Scaligeri [3], Pamelii [4], Salmaſii [5] &c.: poſtea bene probavit Card. Noriſius [6], eamque certam ſibi pene ſententiam eſſe dixit, adoleſcentes florente Rep. ac ſub prioribus Cæſaribus, expleto decimoquinto ætatis anno, ac decimoſexto inito virilem togam ſumpſiſſe: quæ ſententia etiam fuiſſe antea videtur Sigonii. Paullo verò inferius cum de bulla loquens attuliſſet Lambinus illud Virgilii, *It pectore ſummo flexilis obtorti per collum circulus auri*, Muretus adſcripſit; *hic quidem torquis eſt, non bulla*; & ad odem 14. ubi Lambinus ex Athenæo Phrynes hiſtoriam adduxit, dixitque eam Hyperidem oratorem, tamquam Veneris Sacerdotem oleo perfuſiſſe, ἐλέω χρησαμένους *vide ſtuporem hominis*, ait Muretus. Ad odem 17. illud *tuis capillus albus eſt odoribus* expoſuit Lambinus; *tui odores, tua unguenta mihi canitiem attulerunt*; Muretus, *imo odores vocat ſacra magica, quod in eis multa aromata urerentur, ac ſuffimenta fierent, ut apud Theocr.*

1 *epiſt. de Toga in quæſit. per epiſt. pag.11.* 2 *lib.2. de Comit. cap.3.* 3 *ad a.1964. Euſeb.* 4 *ad cap.16. Tertullian. de Idol.* 5 *ad Lamprid. in Commod.* 6 *lib.3. de Judic. cap.19.*

Theocr. pharmaceutria ἐκ θυέων καταθύσομαι. Alia etiam adnotavit ad partem alteram commentariorum, qui ſunt in ſatyras & epiſtolas. Pauca hic ſubjiciam, quod hæc non inutilia, ſed ad aureum illum auctorem intelligendum prodeſſe multum, putem. Ad illud lib. 1. ſat. 3. *aut tacitum appellet*, hæc adnotavit, non tam ad reprehendendum Lambinum, quam ad Horatium illuſtrandum; *Fortaſſis rectum eſt appellat, ut ita dicat Horatius appellere aliquem, quomodo dicimus Gallice abborder quelcun*. Illud ſatyræ 4. *inſevit pater optimus mi* ait ſe ita reſtituiſſe Lambinus, cum antea legeretur, *inſuevit pater optimus hoc me*. Muretus; *Ineptus hic corrupit locum, quem emendaſſe ſe jactat. Ita uſus eſt Tacitus verbo ſueſco libro* 2. (Annalium nimirum cap. 52.) *ut Tacfarinas lectos viros & Romanum in modum armatos attineret, diſciplina, & imperiis ſueſceret: & Columella verbo inſueſco lib. 6 cap. 4. maxime tamen habetur ſalutaris amurca, ſi tantumdem aquæ miſceas, ut ea pecus inſueſcas*. Illud ſatyræ ſequentis *pœue arſit m. d. t.* admonet reſtituiſſe Lambinum *ex ingenio*: quod ſæpe eidem alii, maxime in Cicerone, objecerunt. In commentario ad ſatyram 5. libri 2. reprehendit, quod illud initio Tireſiæ, *narrationem* vocet. Ibidem ad illud, *divinare etenim*, Lambinus protulerat nonnullorum explicationem, a quibus ſe dixerat diſſentire: Muretus vero; *tu antequam a me admonitus eſſes, ita explicabas: ita autem, ut ego, exponit & Boethius lib. 5. de conſolat. Philoſ. quem vide*. Ad ſatyram 8. & locum illum *ſuper ipſum*, animadvertit Muretus *ſuper ſequente vocali, ſupra ſequente conſonante*: quod tamen perpetuum non eſt. Ad epiſtolam primam *Prima dicte mihi*, cum Lambinus ſcripſiſſet; *Ex hoc loco argumentantur quidam, epiſtolas poſtremo loco ab Horatio eſſe ſcriptas, & poſtremo loco eſſe locandas*; Muretus ſubjungit; *quod ineptum eſt: neque ſciri certo poteſt, quo ordine poemata ſua ſcripſerit. Certe quaſdam odas ſcripſit jam ſenex, ut indicant* illa

illa ,, lenit albeſcens animos capillus litium & rixæ cupidos proterve. Non ego hoc ferrem calidus juventa Conſule Planco ,, ode 14. *lib.* 3. *& illa ,, Brachia & vultum , tereteſque ſuras Integer laudo : fuge ſuſpicari , Cujus octavum trepidavit ætas Claudere luſtrum ,, ode* 4. *lib.*2. *& ejuſdem libri ode* 11. *,, Cur non ſub alta vel platano , vel hac pinu jacentes ſic temere , & roſa canos odorati capillos ..... potamus uncti ,, ? Neque non illa ſenectutem olent ,, Vixi puellis &c. ,, & illa ode* 11. *lib.*4. *,, Age jam meorum finis amorum ; non enim poſthac alia calebo femina ,, . Quin & odem primam libri* 4. *conſtat ab eo prope quinquagenario ſcriptam : at ultimam epiſtolam hujus libri ſcripſit annos natus* 44. *,, Me quater undenos ſciat impleviſſe Decembres Collegam lepidum quo duxit Lollius anno ,,* . Ad eamdem hanc epiſtolam, & verba *nemo adeo ferus eſt*, cum Theognim allegaſſet , Muretus , *non intelligit , quid Theognis dicat* . Denique , ut cetera taceam, ad libri ſecundi poſtremam epiſtolam, ubi *puræ ſunt plateæ* ait Horatius , & Lambinus vocem illam *puram* explicat , addit Muretus : *Virgilius in* XII. *Sed ſtipem Teucri nullo diſcrimine ſacrum Suſtulerant , puro ut poſſent concurrere campo . Ovid.*3. *Metam. in extremo , Purus ab arboribus ſpectabilis undique campus : La galera , quando il Padron vuol dormire in luoghi sì fatti , manda una fregata a vedere s' è netto il paeſe, over s' è brutto ; cioè ſe ci ſon corſari , o no* . Prætereo vero plurima, quæ huc tantum ſpectant, quid a Mureto Lambinus in illis commentariis, quid ab aliis mutuatus ſit [1]. De

1 *Ita ad odem lib.* 1. 13. *ubi explicat* impreſſit memorem dente labris. *Muretus ad illam commentarii partem ducta tranſverſum linea adſcripſit* meum. *Ode ſequ. ad dicta in illud* Tu niſi ventis debes ludibrium , *pariter appoſuit* meum . *Ad odem* 15. *ubi explicat vocem* melior *proponit Lambinus emendationem quamdam loci Plutarchi in Pyrrho : Muretus adnotavit* Sirleti eſt . *Ode* 18. *explicat Lambinus quid ſit* crepare . *Hic quoque notat illa* meum . *Ad od.*31. *ad verba* vina ſyra reparata , *Muretus* ex commentario meo in Catullum . *Ad commentar. od.*16. *lib.*2. *ſubſignavit verba Lambini illa* : Atque hæc quamvis non ita magni ponderis , quidam cum ſciret a me

De his commentaris ſuis Lambinus in epiſtola illa præfixa Ciceroni; *Ibidem* (in Italia) *Q. Horatium Flaccum cum exemplaribus antiquis, quorum magna eſt in eis locis copia, comparavi, eoſque duces atque auctores ſecutus, multos in eo poeta locos & mendoſos emendavi, & implicatos explicavi.*

8. Atque addit de reliquis operibus ſuis: *Idemque in Lucretio perfeci, aut certe conatus ſum. His rebus, ſecunda hominum voluntate abſolutis, cum aliorum multorum, tum maxime Errici Memmii C. V. ſupplicum libellorum in Regia magiſtri hortatu, cœpi in M. Tullio Cicerone, cujus me perſtudioſum fuiſſe, qui me penitus noverunt teſtes mihi eſſe poſſunt, idem cupere præſtare.* Subdit de veteribus libris a ſe inſpectis, & ſtudio, quod in his impendit *biennium cum anno dimidio, & paulo amplius*. Et Ciceronem quidem vulgavit a. 1566. [a], atque Errico Memmio dedicavit. Triennio ante, Lucretium univerſum nuncupavit Carolo IX; ſingulos vero libros diver-

me occupata ſibi injuſtiſſime arrogavit &c. *credo quod ſe ſpectaſſe crederet*; *& ad odem ſequentem ubi ſcripſit*; Quidam vir doctus, cum hunc locum legiſſet apud me Venetiis, & ſciret, me hos commentarios tum editurum, cum recudiſſem, & limaſſem; XII. caput libri 2. variar. lectionum ſuarum ex his concinnavit. *addidit Muretus*, mendacium impudentiſſimum, *& paulo poſt, quando de Gya agit Lambinus ex Apollodoro*, E meis variis lectionibus. *Ad commentarium in odem 5. lib. 4. ubi ad verba* laudantur ſimili prole *Catulli locum profert*; hoc ego notaveram in illum locum Catulli; *& ad* vitem viduas, *ubi ſimiliter Lambinus ait, alibi ſe aliquot ex Catullo exempla annotaſſe*; *Muretus*, e meis commentariis ſumpta, ubi hæc omnia melius quam hic explicantur. *Ad od.* 9. non poſſidentem multa, *ſcribit Muretus de illis, quæ ibi dicit*. A Badio hoc ſumpſit. *Ad ſat. 1. lib. 1.* demoveat lucro *Varronis locum affert Lambinus*, *Muretus*, ex me hæc, non ex Varrone ſumſiſti, gaudeo autem; quod locum hunc, uti a me poſtea emendatus eſt, tibi non oſtendi,, cui ſi ſit terræ traditus orbis, Furunclo tamen &c. *Paulo poſt ubi* non tuus hoc capiet, *dicit Lambinus*: alii hoc interpretantur propter hoc, ſed minus recte; *Muretus*: Ego ita tibi interpretatus ſum, & in ſententia maneo. *Ad ep. 2. lib. 1.* quæ ſe commendat tonſa cute *Lambinus Mureti quamdam interpretationem affert*: *Muretus*; nunquam quicquam tale dixi, imo in contrariam ſententiam diſputaveram quadriennio ante in Catilinarias.

a Pariſiis in Ædibus Rovillii via Jacobæa ſub ſigno concordiæ MDLXVI.

diverſis, Errico Memmio, P. Ronſardo, Germano Valenti Pimpuntio, Mureto, Adriano Turnebo, Jo. Aurato. Præter hos,quos eo loco veteres auctores ab eo recognitos nominavit, edidit a. 1569. *Æmilii Probi, ſeu Cornelii Nepotis lib. de vita excellentium Imperatorum*, adjunctis ſatis longis commentariis. Ita vero eum librum inſcripſit, qui nunc Cornelii Nepotis nomen paſſim obtinet, quod alia eſſet tunc multorum opinio; ipſe vero contrariam ſe amplecti in præfatione fatetur, & Cornelio adjudicat illud opus. De Ariſtotelis libris ad Nicomachnm ab eo latine verſis ſuperius diximus. Vertit etiam libros Politicos, ſive, ut titulum ipſe fecit, *de Reip. bene adminiſtrandæ ratione*, ediditque a. 1567. [1], atque eodem anno Alcinoum *de Doctrina Platonis* ſcholiis ornatum. Inter claros interpretes merito ab Huetio recenſetur Lambinus, atque ab aliis laudatur [2]; imo Theodorus Zuingerus verſionem Ariſtotelis rurſus editam, Græcoque textu auctam eidem, magna cum operis laude, dedicavit. Minora non perſequimur, præſertim orationes, quas multas habuit vulgavitque, *De utilitate linguæ Græcæ, & recta Græcorum latine interpretandorum ratione*: eam Philippo Huralto Chivernio dedicavit a. 1572. Jampridem habita fuerat; ſed ceſſaverat typographorum opera, iique niſi coacti, & ſententia lata damnati Regis edicto parere noluerunt. *De Philoſophiæ moralis laudibus*: eam dedicavit Jo. Baptiſtæ Menillio; quem quidem impenſe laudat, quod contra Societatis meæ homines acerbe invectus ſit, Galloſque ſit adhortatus, ut eos e Gallia exterminarent. Aliæ ſunt, *De laudibus litterarum* Errico Memmio nuncupata; *De recta linguæ Græcæ pronuntiatione &c.* quam dedicavit Ludovico Turnonio, *De rationis principatu & recta inſtitutione* inſcripta Errico Engoliſmæo: præter eas, quas ſupra commemoravimus.

1 Lutetiæ a. 1567. apud Joannem Benenatum.
2 Baillet, Thomas Mejer &c.

mus. Item adverſarias Demoſthenis, & Æſchinis orationes, quas Latinas fecit. Carmina ejus etiam nonnulla leges in deliciis Poetarum Gallorum [1]. Poſtremo vitæ ſuæ tempore verterat ſe ad Plautum emendandum atque illuſtrandum. *Cum verò ad decimam tertiam comœdiam veniſſet*, ait Jacobus Helias, is qui in Græcæ interpretationis munere Lambino ſucceſſit [2], *incidit in morbum, qui ei & ſcribendi & vivendi finem attulit; ejus enim corpus non tam ſenio, quam aſſiduo labore confectum, animam diutius continere non potuit*. Sunt qui animi ægritudine morbum contraxiſſe eum ajunt [3], cum audiſſet Petrum Ramum occi[illegible], ſibique metueret a Carpentario, qui ſubmiſiſſe hom[illegible]es ad Ramum [illegible]truncandum dicebatur. Accidit id a. 1572. Quadriennio poſt editus eſt Plautus, ſuppletis in Lambinii commentariis, quæ relictæ erant lacunæ, ab Jacobo Helia. Hunc Germanus Lambinus Dionyſii filius Germano Valenti Guellio dedicavit. Utcumque varia fuerint hominum judicia de Lambino [4], mirum eſt, tam multa aggredi, & perficere potuiſſe hominem, qui magnam vitæ ſuæ partem peregrinando traduxerit, nec diu vixerit, fuerit etiam, cum quietus erat, publicis prælectionibus, & docendi munere occupatus. Hoc ipſe Errico Memmio indicat [5]: *Nam, obſecro te, qui locus quieti relictus eſt in vita, tam, ut ita dicam, motoria & turbulenta?..... Hæc igitur mea per annos ferè duodecim vita fuit. In Italiam ex Gallia bis profectus ſum cum Cardinali, toties cum eodem in Galliam ex Italia redii: ſemel pedibus; iterum navibus. Prætermitto, quoties nos Roma Venetias, quoties Venetiis Romam vel Pontifex Max. vel Rex tranſtulerit. Quem Latii, aut Etruriæ, aut Umbriæ, aut Galliæ tranſalpinæ angulum non peragravimus? Quoties mari Tyrrheno*,

1 *Par.* 2. *p.* 385. collectore Ranutio Ghero. 2 *In Præf.* 3 *Varillas hiſt. Car.* 1 x. *lib.* 9. *Thuan. Baillet &c.* 4 *V. Teiſſier tom.* 2. *pag.* 419. 5 *epiſt. Brut. pag.* 435.

no, quoties Adriatico navigavimus? quoties Tiberi; quoties Pado? Sed quid de Italia loquor? In noſtra Gallia, licuitne unquam menſem unum ſtabile domicilium certo in loco collocare? Nec operam ipſe ſuam in ſuis tantummodo operibus elaborandis limandiſque, ſed in aliis quoque aliorum libentiſſime collocavit. Extat Petri Angelii Bargæi epiſtola, qua ſe ejus amori, humanitati, (ſic enim loquitur [1]) judicio, labori denique, quem in ſcriptis ſuis corrigendis emendandiſque ſuſcepit, debere plurimum profitetur; atque ibidem *tanti viri excellentes virtutes* perpetuò ſe prædicaturum ſignificat; additque præclarum de Lambino teſtimonium; jamdudum ſibi fuiſſe perſuaſum, eſſe neminem, cui ille *vel humanitate vel eloquentia cederet*.

9. Venio nunc ad Morinum. Multi hoc nomine viri docti commendati nobis ſunt; omnibus tamen, quos notiores habemus, Petrus antiquior [2]; nec ipſe tam notus eſt ſuis, qui pauci ſunt, libris (qui etiam diſſipati ſparſimque editi facile interiiſſent, niſi collectos Jacobus Quetif Pariſiis a. 1675. vulgaſſet [3]) quam opera in aliis recognoſcendis poſita, divinis præſertim litteris, & Conciliorum Patrumque monumentis. Natum eſſe Petrum Pariſiis anno 1531. Quetif narrat, atque ex eo Du Pinius [4], & Niceronius [5]. Cum tamen Morinus ipſe ſcribens a. 1595. menſe Quintili Cardinali Franciſco Toleto, narret, ſe *ſexageſimum tertium* agere *annum ætatis* [6]: idemque menſe Sextili anni ejuſdem ſexa-

1 *Append. litter. Brut. pag. 3.* 2 *Natus a. 1532. mortuus 1608. Joannes Morinus natus a. 1591. mort. 1659. Joannes Baptiſta Medicus, & Mathematicus natus a. 1583. mort. 1656. Ludovicus Medicus & Philoſophus natus a. 1635. mort. 1715. Stephanus natus 1625. mort. 1700. Omitto Simonem Morinum* fanaticis *annumerandum, ignis etiam ſupplicio damnatum a. 1663. Recentiores etiam Guillelmus, & Robertus Morinus, minus quam ſuperiores celebres.* 3 *Hoc titulo*, Petri Morini Pariſienſis Preſbyteri & Theologi, Vaticanique olim Sholaſtici & Secretarii, Vaticanæ Typographiæ Præpoſiti opuſcula & epiſtolæ. 4 *Biblioth. tom. 17. pag. 12. edit. Amſt. 1711.* 5 Memoir. to. 25. p. 10. 6 *edit. Quetif ep. 23. p. 347.*

ſexageſimum quartum [1] numeret, colligi videtur a. 1532. Quintili aut Sextili menſe natum. Natum autem eſſe patre *egregio Juriſconſulto* ipſe etiam prodit ſcribens Silvio Antoniano [2]. Addit alibi [3] de opibus ſatis copioſis, & magno liberorum numero, quos pater ſuſceperat, & ratione tuendæ rei familiaris; ſe vero, ut paterni inſtituti hæres eſſet, atque eumdem vitæ curſum teneret, Philoſophia & Juriſprudentia apprime erudiendum curaſſe [4]. Cum tamen puero id eſſet ingenium, quod forum odiſſet; & politiores litteras, linguarum præſertim ſtudium adamaret; in has totus incubuit, uberrimo admirandoque fructu. Nam & præter Latinam, Græcam quoque, Hebraicam, Syriacam, Arabicam linguam didicit; & ſacræ omne genus litteraturæ complexus eſt. Erat tunc Italia, quemadmodum Dupinius ipſe hoc loco [5] tradit, litteratorum hominum frequentia nobilis, ut litterarum quoddam veluti emporium, hominum vero eruditorum theatrum haberetur. In hanc ergo e Gallia commigravit Morinus; atque a. 1555. annos ipſe natus 24. apud Paulum Manutium Venetiis erat: hinc vero Vicentiam accerſitur.

10. Sed rem totam, & quod vitæ genus deinde quadriennio ſecutus ſit dum in Italia fuit, idem explicat ſcribens Nicolao Prouſt ſororis ſuæ filio [6]; *In tranſpadana*, inquit, *Ciſalpinæ Galliæ regione Vincentia eſt urbs ditionis Venetiarum. Villa ibi ſuburbana eſt Cricoli nomine perquam amœna, abeſtque ab urbe quingentos circiter paſſus, in qua olim proceres Vicentini Academiam inſtituerunt, ingenuarum artium magiſtram, eique rectorem Bernardinum Parthenium præfecerunt. Anno autem D.*1555. *cum Venetiis eſſem apud Paulum Manutium, Vin-*

1 *ep.*25. *pag.*353. 2 *ep.*31. *pag.*369. 3 *ep.*44. *pag.*401. Ac pater meus, quamvis multos ſuſcepiſſet liberos, quorum magnus numerus honeſto viro paupertati eſt, nihil tamen deminuit &c. 4 *ep.* 31. *pag.*369.
5 *L. all.* 6 *Epiſt.* de vita & ſcriptis ſuis *pag.*1.

centiam accerſitus ſum, qui Græcas litteras, & Coſmographiam Academicis explicarem, cum Parthenius Virgilium explicaret, & Ciceronem, & Rhetorica Ariſtotelis, & Petrarcham. Cum vero ibi eſſem, ſuaſu cujuſdam amici, Ferrariam ſum profectus, ac vixi aliquot annos apud Ill. Card., Ferrariæ Ducis Herculis fratrem; quoad a Patre meo domum ſum revocatus anno 1559. *Ad quem cum ſcripſiſſem, cupere me Romam proficiſci, ubi nunquam fueram, nequedum Apenninum tranſcenderam, præciſe juſſit me redire; aliàs me Romam eſſe iturum*. Atque hinc, quanta in eo eſſet ingenii vis, quanta ille litterarum laude floreret, perſpici facile poteſt, qui ea ætate annos natus 24. ad munus Græcarum litterarum docendarum & Coſmographiæ in nobili Academia, &, ut ſunt res omnes recentes, apprime virenti, fuerit a Vicentinis evocatus. Atque ibidem ipſe, ubi Parthenii iterum mentionem fecit, *ſenis*, ut eum appellat, *valde docti, & eloquentiæ ac poeſeos laude clari*, qui inſtituendæ juventuti præerat, ſubdit de ſe; *Ego vero, qui Latinarum litterarum, & Græcarum, ingenuarumque artium, ac Philoſophiæ peritus habebar, vixdum ex adoleſcentia tum egreſſus eram*. Quam autem vera hæc fuerit de eo fama, nihil neceſſe eſt probare pluribus; unicum afferam, quod inſtar eſſe omnium poſſit, Mureti de eo teſtimonium; quid nimirum de Morino vir doctiſſimus ſcripſerit a. 1559. cum primò variarum lectionum libros ediderit: *Hæc*, inquit [1], *cum jam ſcripſiſſem, venit ad me Petrus Morinus Pariſienſis, adoleſcens utrinſque linguæ peritiſſimus, idemque omnium artium, quæ quidem ingenuum hominem decent, ſcientia mirifice inſtructus: quicum ego, quamdiu hic fuit, mea omnia joca ſeria, ut dicitur, libentiſſime communicabam: cum prope aſſidua quadriennii conſuetudine raram quamdam in eo, & exquiſitam eruditionem pari conjunctam bonitate cognoſſem*. Quam arcta Mureto cum Morino con-

1 *lib. 1. var. lect. cap. 19.*

conſuetudo intercederet, litteræ ipſæ, quas nunc vulgamus, declarant; ex quibus etiam conſtabit, quantum apud Hippolytum Eſtenſem Cardinalem gratia valeret Morinus; qui nimirum Muretum ipſum ſua commendatione, in ſapientiſſimi Principis aulam familiamque induxerit, aditumque muniverit. Quod vero Muretus, prope aſſiduam cum eo ſibi conſuetudinem intercelliſſe ajebat quadriennium; ab anno, opinor, 1555. repetit, quo Morinus apud Manutium erat, conſuetudinemque vocat aſſiduam, quam ſi minus præſentia ſua, litterarum frequentia atque abundantia quadam amoris abſentes retinebant. Quod demonſtrant eædem hæ litteræ noſtræ amantiſſime, & familiariſſime ſcriptæ. Atque ex his etiam elicias, non aſſiduum Vicentiæ, Ferrariæ, Venetiis fuiſſe Morinum. Atque illud fateor me ignorare, utrum ad ſuſceptam hoc tempore peregrinationem quamdam referendum ſit iter Regium uſque ſuſceptum, an vero in regreſſu ad patriam, eò diverterit. Regii enim ſe fuiſſe hoc a.1559. ipſe ſignificat in oratione quadam Regii Lepidi habita a. 1571. annos XIII. numerans ex quo olim huc advenerit Ferraria, Marcellorum familiaritate, & hoſpitio dies complures uſus [1].

II. Revocatus in patriam fuerat Morinus, ut ſtirpis perennitati conſuleret ducta uxore; a quo tamen cum maxime abhorreret, nihil ab illo impetratum eſt, niſi ut parentum ſolatio Pariſiis ſubſiſteret illis vivis; mortuis vero Romam regrederetur. Hoc item in epiſtola illa de vita ſua: *Itaque,*

1 *Pag.*122. Hoc tamen tacitus nullo modo præterire poſſum, me tredecim circiter ab hinc annis, cum Ferraria huc veniſſem, hominis honeſtiſſimi e gente Marcellorum familiaritate, & hoſpitio complures dies uſum eſſe .... in quo ego homine eam vitæ morumque religionem, eam ſanctimoniam ac doctrinam perſpexi, ut ejus memoria (nam hic paucis annis Venetiis, cum in ſanctiſſimo Jeſuitarum ſodalitio eſſet, ad ſuperas ſedes ex hac vita migravit) in animo meo ſemper infixa effecerit, ut Regienſes homines, ubicumque in eos incidiſſem, ſumma benevolentia, & charitate complecterer.

que, ait, *quinquennio poſt parentibus meis mortuis ab amicis Romanis invitatus, Romam veni poſtremo Pii IV. Pontificatus anno Ch.* 1565. & paulo poſt, *Nec me pœnitet, quod cum mihi domum reverſo pater uxorem dare voluiſſet puellam nobilem & locupletem, amitæ meæ Mariæ de Brion privignam, ac præterea bonorum ſuorum præcipuam partem mihi deſtinaret; eam conditionem tacitus recuſavi, quod ſuſcipienda mihi fuiſſet pragmatica vita, a qua ſemper abhorrueram*. Addit, Roma Lauretum contendiſſe Religionis cauſa, eodem quo Lutetia vectus fuerat equo, atque inde per Piſaurum, Ariminum, Ravennam navigaſſe Venetias, Venetiis Patavium veniſſe & Vicentiam, ut amicos videret. Atque ab hoc nimirum tempore Silvio Antoniano ſcribens [1] Theologicis ſe totum ſtudiis dedicaſſe ſignificat. Hæc enim illo anno, ideſt 1595. habet de ſtudiis eloquentiæ; *Hæc eadem tametſi non tam feliciter amavi ſtudia, & Philoſophiæ Juriſqueprudentiæ præceptis, auctore patre meo egregio Juriſconſulto informatus, contuli me, relictis pragmaticis atque cauſidicis, ad Theologiæ copioſiſſima monumenta, in quibus ab hinc triginta annis acquieſco, quæque s. Thomas, & Magiſter Sententiarum, & Summa Damaſceni collegerunt, libenter in veteribus doctoribus recognoſco, iiſdemque in campis uberrimis ad extremum uſque ſpiritum verſari cogito*. Neque tamen hoc tempore ſtabilem ſedem Romæ fixit: imo ſexennio poſt, ſive anno 1571. Regii *publicum munus*, ut idem ait [2], *Encyclia explicandi Græce, & Latine in triennium ſuſcepit*. Itaque orationes tres habemus, quas ibidem anno 1571. & 1572. publice habuit, & cum reliquis ejus opuſculis vulgatæ ſunt. Videmus autem ex epiſtolis, quas vulgamus, adeptum eſſe illud munus commendatione Mureti. Atque eædem docent, III. Id. Quinctil. Regium jam perveniſſe. Antequam Regium veniret a. 1570. Veronæ apud Auguſtinum Valerium ejus urbis Epiſcopum fuit,

1 *ep.* 31. *pag.* 369. 2 *epiſt. de vit. pag.* 7.

fuit, ubi s. Joannis Chryſoſtomi commentarios in Pauli epiſtolas Græce olim editos Matthæi Giberti juſſu, ſed non ſatis emendatos, poſtea vero ab Adamo Fumano Canonico Veronenſi correctos, ſe legiſſe narrat [1], & quæ maxime placebant latine vertiſſe. Atque eo fortaſſe tempore cuſtos factus eſt inſtructiſſimæ illius urbis Bibliothecæ, ut Antoniano ſcribit [2]. Anno 1568. Neapoli hoſpes diverſatus fuerat, ex epiſtola noſtra, atque invitatus Genuam cogitabat VII. Id. Februar. unde ſunt litteræ jam editæ, in quibus Mureto narrat, ſe qui Græcos Scriptores legebant adjuviſſe nonnullos, atque in his litteris Manutii ſe & Mureti diſcipulum profitetur [3]; *Hi etiam viri humaniſſimi & probiſſimi aliquid eſſe credunt Gregorium nulla meditatione interpretari (cujus ego librum tum lectitando detriveram) & Demoſthenem explicari ab homine Manutii, Mureti talium virorum diſcipulo, mirantur; ut mihi (fatendum eſt enim præſertim apud te) paulo jam beatior eſſe videar, & hæc noſtra ſtudia non adeo contemnenda eſſe ducam*. Poli etiam antea anno 1567. publice conductus ſtipendio docuiſſe ex iiſdem litteris, quæ editæ ſunt, apparet: agit enim Mureto gratias, quod rationibus ſuis conſultum eſſe voluerit; atque operam dederit, ut illa provincia, quam eo potiſſimum auctore ſuſceperat, quamhoneſtiſſima, & quamfructuoſiſſima [4] eveniret. Quamobrem minus exacte, & minus etiam vere ſcripſiſſe videtur Quetif, ab eo tempore, quo Romæ fuerat inſtituta a Cardinali Borromæo Vaticana Academia, atque Auguſtinus Valerius inter Academicos adlectus, Romam Morinum invitavit, hunc Romæ *reliquo ſemper hæſiſſe vitæ ſpatio, hoc eſt annis circiter duodequadraginta*. Nam neque in iſtud tempus,

T 3

1 *ibid. pag. 3.* 2 *ep. 33. pag. 373.* Ut autem olim Veronæ cuſtos fui copioſæ bibliothecæ, e qua D. Epiſcopus modo hos, modo illos libros, prout uſus erat, accerſebat, ac deinde remittebat &c. 3 *lib. 2. ep. Mur. 72.* 4 *ibid. ep. 71.*

pus, quod Pii IV. obitum conſequitur, incurrere Academiæ illius tempora videntur [1], & poſt annum etiam 1570. Roma abfuit Morinus.

12. Romam reductus eſt Morinus anno 1575. *Felici Jubilæi anno 1575. Romæ eſſe me reductum* (ſcribit Antoniano [2]) *nunquam non lætabor: occaſionem nactus cœpi frequentare de propinquo Bibliothecam Vaticanam, ac diuturnam ſitim explere fruendis Græcis Eccleſiaſticis monumentis, quæ divulgata non eſſe ſciebam.* Neque tunc ſtabilem Romæ ſedem nactus videtur ex iis, quæ ſubjungit; *Patebat autem fere quotidie Bibliotheca tres matutinas horas: Quam multa ibi cupidiſſime legi? ..... timebam opportunitatem ne aliquando deeſſet: quod poſt evenit, ac, ut humana ſunt, fuit migrandum.* Triennio poſt, finem denique peregrinationibus ſuis impoſuiſſe, & Romæ conquieviſſe videtur triginta ipſos annos, ideſt ad a. 1608. qui fuit ejus vitæ poſtremus. Sequitur in eadem epiſtola; *Anno vero* LXXVIII., *quem in meis lætiſſimis numero, auctor fuit Papæ Gregorio XIII. Cardinalis Montaltus poſtea Sixtus V. beatæ memoriæ, ut Bibliis Græcis ſcholam inſtitueret, idque monente Petro Ciacono, qui ei valde familiaris erat, adjutaratque in s. Ambroſii operum commentatione. Statim Gregorius dedit Cardinali Carafæ negotium, ut Scholaſticos aliquot homines convocaret, eorumque cœtum haberet. Acceſit Cardinalis Franciſcum Turrianum, Petrum Ciaconum, Antonium Agellium, & me. Sed Turriano, quod prope modum auribus captus eſſet, ſuffectus eſt Paulus Comitulus ejuſdem RR. Jeſuitarum Sodalitatis; nobiſque poſt aliquod tempus aggregatus eſt Fulvius Urſinus. Cardinalis cum inter nos comparaſſet, libros Bibliorum veteres evolvendos diſtribuit. Multa, eaque recondita in medium attulit Ciaconus e doctoribus Latinis. Mihi vero uni data eſt provincia commentariorum in vetus teſtamentum Vaticanorum, quæ Catenæ dicuntur, evolvendorum*

1 *V. Præfat. Cl. Saxii ad Noſt. Vatican.* 2 *ep. 31. pag. 365.*

rum ac perlegendorum , ut ex iis varias lectiones variaſque interpretationes Aquilæ , Symmachi , Theodotionis , quintæ præterea ac ſextæ editionis exciperem , & in annotationes conferrem , quas itidem ſcribendas ſuſceperam . Immenſum id opus tam multa legendi , in quo vel totam hominis ætatem bene conſumi quis putaret , aliquot annis exhauſi , ac pleraque correxi ex Hebraicæ linguæ conjectura . Addit, induſtriam ſuam nullo loco defuiſſe , omnia conquiſiviſſe , ſumpſiſſe ſua ſponte pleroſque libros a Cardinali Sirleto utendos , Græca cum Hebraicis ubique ſumma diligentia contuliſſe ; denique *ſolum omnium a principio uſque ad extremum perſeveraſſe* . Hæc de Bibliorum Græcorum , ſive LXX. editione , quæ Sixto Pontifice facta eſt , *Romæ* 1577. Quæ autem de Sixti V. conſilio cum Cardinalis eſſet,hic dicta ſunt, illuſtriora etiam fiunt ex his , quæ in epiſtola Sixto V. Cardinalis Antonius Carafa cum ad eam Græcam editionem , tum ad Latinam verſionem a.1578. vulgatam præfatur : Ipſe vero Morinus fuſius de horum Græcorum Bibliorum editione differit in epiſtola Sixto V. [1] , ubi Maldonatum etiam adſcitum inter viros doctos , qui eis emendandis vacarent , tradit ; plura etiam , quæ de illa editione , viriſque doctis ad eam adhibitis alii narrant, collegit le Long [2]. Addam ego his unum, qui Morini noſtri operam maxime dilaudat , nimirum Antonium Poſſevinum [3]: *Petrus Morinus* , inquit , *Theologus Pariſienſis , qui diu ſub variis Pontificibus Maximis Romæ vixit, cum liberalitate Auguſtini Valerii Veronæ Cardinalis totum ſeſe juvandæ Reip. litterariæ , præcipue ſacris , atque aliis Eccleſiaſticis libris conferendis , illuſtrandis , ſive item vertendis addixiſſet ; cujus item opera non ſemel Baronius Card. eſt uſus , quemadmodum hic ipſe non ſemel teſtatur in ſuis Annalibus ; diuturno labore Græcam Bibliorum editionem , quæ Sixto V.*

1 *pag. 308.* 2 *tom. 1. Biblioth. ſac. pag. 188.* 3 *Apparat. ſac. tom. 3. pag. 61.*

to V. Pont. Max. Romæ prodiit, quæque item recuſa deinceps fuit, adjuvit. Nimirum commentaria Vaticana Græca, quæ Catenas vocant, in Pentatheucum, in Joſue, in hiſtorias ſequentes, & in Pſalmos, una cum aliis codicibus Cardinalis Sirleti, & in tres Salomonis: alios autem auctores, Juſtinum Martyrem in Dialogo contra Tryphonem, & Euſebium de Demoſtratione Evangelica ſic legit, ut inde, atque ex reliquis notationes ad eadem Græca Biblia collegerit, atque cum aliis contulerit; vir & ſacerdos vitæ integritate ac manſuetudine, uti & doctrina præſtans. Vivebat adhuc anno 1604. *Romæ*. Hæc Poſſevinus. Adhibitum ſe præterea in editione Bibliorum Latinorum ibidem pariter Morinus narrat: *Nam cum Cardinalis Caraſa Biblia Latina, adhibitis Flaminio Nobilio, Ant. Agellio, Lælio, Valverdio, ac me, detuliſſet emendata ad Sixtum V.; ecce Pontificatu Gregorii XIV. tu ipſe „ Morine, dixiſti, ad Biblicos labores „. Et miratus ſum*. Credo quod opus jam perfectum, &, ut narrat Joſephus Silos [1], *perducta ad ſummam manum Veteris ac Novi Teſtamenti emendatio fuerat, ac Sixto V. Pontifici a Cardinali Caraſa oblata*. Sed ut hic ſubdit: *Hujus abſolutiſſimæ correctionis publicatio interturbata, atque ejus loco excuſa Vaticanis formis alia quædam fuit*. Pergit vero narrare Morinus; *Sed tamen ab Illuſtriſſimo Cardinali M. Antonio Columna accerſiti ſumus, Bellarminus* [2], *Agellius, Lælius*,

1 *lib.* 13. *hiſt. Cleric. Regular.*

2 *Idem in Vita ſua*: A. 1591. cum Gregorius XIV. cogitaret quid agendum eſſet de Bibliis a Sixto V. editis, in quibus erant permulta perperam mutata; non deerant viri graves, qui cenſerent ea Biblia eſſe publice prohibenda. Sed N. coram Pontifice demonſtravit, non eſſe Biblia illa prohibenda, ſed eſſe ita corrigenda, ut ſalvo honore Sixti V. Biblia illa emendata prodirent: quod fieret, ſi quamcelerrime tollerentur quæ male mutata erant, & Biblia recuderentur ſub nomine ejuſdem Sixti, & addita præfatione, qua ſignificaretur, in primam editionem Sixti præ feſtinatione irrepſiſſe aliqua errata, vel typographorum, vel aliorum.... Placuit conſilium N. Gregorio Pontifici, & juſſit, ut Congregatio fieret ad recognoſcenda celeriter Biblia Sixtina, & revocanda ad ordinaria Biblia præſertim

lius, & ego. Cumque res traheretur, ab eo ducti Zagarolum una cum Illuſtriſſimo Alano Cardinali (fuerat Gulielmus Alanus in Antonii Carafæ demortui locum Bibliothecarius Apoſtolicus factus) *ac Reverendiſſimo Miranda Magiſtro S. P. ac ibi novemdecim totos dies commentati una ſumus; cum Illuſtriſſimus ea annotaret, & de quibus obſcuris ac dubiis diſſentiebamus. Romam reverſis, quæ ipſe quoque attulerim, quæ diſputarim, ſciunt ampliſſimi Patres, quibus me ſatisfeciſſe, officiumque meum probaviſſe, arbitror*. Non ergo ſolum, ut Niceronius indicare videtur, Sixto V. Pontifice in Bibliis Latinis emendandis operam ſuam collocavit, ſed etiam ſub iis Pontificibus, qui eum conſecuti ſunt. Atque hinc idem Morinus Cardinali Borromæo; *Ad Biblia Latina primùm vocatus, deinde ad eumdem laborem revocatus ſum*. Præter univerſa Biblia extitit ſingularis ejus diligentia in Pſalterio; de quo in epiſtola Cardinali Cuſentino [1]: *Nec vero neceſſe eſt, me hoc loco commemorare, libenti animo navaſſe operam Pſalterio Romano: id ipſemet, cum hic eſſes, intellexiſti*.

13. Præter Biblia multum ſe laboraſſe in Indice quodam texendo ſignificat. Cardinali Antoniano ſcribit menſe Junio a. 1595. [2] *Defunctus jam multis laboribus commentatione Bibliorum Græcorum ac Latinorum, deinde vero Indicis, & Conciliorum Generalium &c*: Cardinali Toleto eodem anno menſe Sextili [3]; *Sed ignoſcat quæſo amplitudo veſtra ætati meæ, cujus ſexageſimum quartum jam annum ago, aſſiduis præterea laboribus feſſus, quorum fructus in Bibliis olim Græcis, dein-*

ſertim Lovanienſia. Id factum eſt Zagarolæ in domo Cardinalis M. Antonii Columnæ, præſentibus Card. ipſo Columnenſi, & Alano Cardinali Anglo, necnon Magiſtro S. Palat., ipſo N., & aliis tribus vel quatuor: & poſt obitum Gregorii, & Innocentii, Clemens VIII. edidit Biblia recognita ſub nomine Sixti cum præfatione, quam ipſe N. compoſuit. *Male nuperus quidam Scriptor Zagaroli adfuiſſe ipſum Pontificem ſcripſit*.

1 *ep.26. pag.358.* 2 *ep.34. pag.375.* 3 *ep.25. pag.353.*

deinde in Latinis, in Indice demum, ac his Conciliorum voluminibus conſtiterunt; & Cardinali Borromæo anno ſuperiore, *Proxime autem mihi, Patres ampliſſimi præfecti Indici inſtaurando, operum dediſtis immunitatem*. Indicem arbitror eſſe librorum prohibitorum. Ipſum quoque concinnaverat Sixtus V. imo editum vidi Romæ anno 1590. Deinde Clemens VIII. a. 1593. eumdem fere aut huic ſimillimum confecerat, quem pariter editum vidi apud Bladum: denique a. 1596. editus & vulgatus eſt Index, cujus exemplum dono miſſum a S. Congregatione Bellarmino (id enim Bellarminus manu adſcripſit ſua) nunc quoque ſervamus. Aliud, in quo ſedulo operam ipſe navaverit, commemorat ſæpe Morinus, Conciliorum ſcilicet editionem, quæ Generalia complectitur; facta eſt autem aliquanto ſerius, ideſt ab anno 1607. ad a. 1612. Sed jam tunc, cum eas epiſtolas ſcribebat Morinus, ſummis doctorum virorum laboribus vigiliiſque parabatur, atque etiam pars edita fuiſſe videtur: Nam quo loco tunc eſſet, ideſt menſe Quintili anni 1595. exponens Cardinali Toleto[1]: *Excuſo*, inquit, *jam Concilio Niceno, ac ejus appendice Sardicenſi, item Conſtantinopolitano, nunc Epheſinum eſt in manibus; quod viſum eſt D. Cardinali Caraſæ b. m. iiſque, qui ipſi in conſilio fuerunt, trifariam partiri*. Addit, ſe *in iis commentandis, ut in ſuperioribus* multum, operæ, ſtudii, diligentiæ poſuiſſe; *In commentando autem*, pergit narrare, *cum mihi non ſatisfaciam, idque tutum videam eſſe, labores meos alieni judicii feci, deque iis retuli ad R. P. Sirmundum Gallum Societatis Jeſu, qui magnam Eccleſiaſticorum monumentorum litterarumque Latinarum & Græcarum intelligentiam habet, cujus alicubi judicio & animadverſioni obſecutus ſum; idque valde libenter profiteor*. De ceteris vero, qui ſecum in Conciliorum editione elaborarent, & de tota ratione

1 Ep. 23. pag. 147. V. ep. 25.

tione ejus operis hæc habet Cardinali Toleto [1]: *D. Cardinalis Carafa*, inquit, *bon. mem. vir, utendorum hominum admodum peritus, quæ non minima prudentiæ pars eſt, de Conciliis edendis conſilium apud ſe cœtumque habuit clarorum, ac in primis Europæ doctorum virorum RR. Epiſcopi quondam Veſtani* [2], *Cæſaris Baronii, Roberti Bellarmini, Conſalvi de Ponce, Odoardi Carthuſienſis. De eorum conſilio tum alia decrevit, quæ Ill. amplitudo veſtra ex P. Odoardo, & ex me, cum ipſi otium erit, cumque videbitur, audiet: tum ſingulis Conciliis ſingulas addendas hiſtorias, quæ ea illuſtrarent. Conciliorum autem Nicæni, Sardicenſis, Conſtantinopolitani, Epheſini jam excuſæ hiſtoriæ ſunt.... Harum hiſtoriarum ex illius conventus decretis condendarum Reverend. D. Epiſcopo Veſtano negotium datum eſt* [3]; *quod ei pluſquam ceteris otii ſuppetere videretur; ad hæc enim ſcribenda idonei omnes erant; ac omnes demum de iis, quæ Epiſcopus ſcripſiſſet, judicarunt; deque iiſdem ſententiam R. P. Stephani Tutii D. Cardinalis bon. mem. voluit ſciſcitari*. Addit, inſequentium Conciliorum hiſtorias ad Octavum uſque omnes haberi apud Antonium Aquinatem Sarnenſem Epiſcopum; hiſtorias vero Occidentalium œcumenicorum Conciliorum videri ſibi P. Odoardo mandandas: atque hunc Odoardum ibidem mirifice laudat: demum orat, ut *extrema Concilii Epheſini, quæ nondum abſolverat,* ad ſe referantur. Eodem anno Silvio Antoniano, de Oecumenicis pariter Conciliis ſcribit; *quorum*, ait, *maxima pars a me emendata etiamnum eſt penes RR. Vallicellis Patres, apud quos Illuſtriſs. Card. Boromæus ab Urbe Mediolanum profectus hæc depoſuit, depoſitique adhuc partem exiguam repetiit*. Multum ergo pro illa collectione Morino noſtro debemus: quam quidem collectionem ſuperiores

1 *Ep. 26. pag. 355.* 2 *Hunc eſſe arbitror Joſephum Stephanum Eſteve, a patria Valentinum dictum, de quo Nicolaus Antonius Bibl. Hiſpan. tom. 1. pag. 625. Ughellus recent. edit. tom. 7. col. 669.* 3 *Ep. 31. pag. 368.*

res viciſſe, teſtis eſt luculentus Stephanus Baluzius, de ea ſcribens [1]; *Superiorum editorum diligentiam ſupergreſſi ſunt Romani anno* 1608. *quo vulgata eſt Romæ collectio Græco-Latina Conciliorum Generalium. Illi enim plurima, præcipue vero Græca ediderunt, quæ hactenus latuerant, ac præterea comparatione veterum codicum meliora fecerunt ea, quæ jam prodierant* [2]. Præterea additæ ſunt hiſtoriæ, quæ lumen aliquod illis præſertim temporibus conciliis afferrent [3]. Præter Concilia, in edendis epiſtolis Decretalibus RR. PP. elaboravit Morinus. Antonius de Aquino in epiſtola, qua eaſdem nuncupat IV. Id. Novembr. a. 1591. Innocentio IX. nullam injicit mentionem Morini, ſed Antonium Cardinalem Carafam & ſe nominat; *Hæc autem omnia*, inquit, *Antonii Card. Carafæ de Rep. Chriſtiana optime meriti præſcripto ſingularique ſtudio propemodum confecta jam erant, cum ipſe magno bonorum & eruditorum omnium mærore, decimo ab hinc menſe e vita exceſſit. Poſt cujus obitum mihi, qui eidem Cardinali pro mea clientela, cum aliis in rebus, tum in his quoque epiſtolis colligendis ac diſponendis qualemcumque operam fidelem certe navaveram, id negotii a s. record. Gregorio XIV. Sanct. tuæ Præ-* *deceſ-*

1 *In Præfat. ad* Nov. Collection. Conc. *num.* 4. 2 *Quædam tamen deſiderat, ſubdens*; Si tamen fas eſt viros doctiſſimos reprehendere, non dubitaverim affirmare, illos ultra progreſſos eſſe, quam oportuit, dum & in locis propemodum innumeris textum veterum interpretationum Latinarum mutarunt, annotationes interpretum ſuſtulerunt, aut eorum, qui veteres editiones recenſuerant, & ordinem mutarunt, quem veteres illi dederant ſuis lucubrationibus. 3 *Hæ tamen ad Lateranenſe ſub Julio & Leone non perveniunt: atque ibidem* (*tom.* 4.) *admonitio ad lectorem præmiſſa eſt*; Cum ea omnia, quæ in ss. Lateranenſis & Tridentini CC. hiſtoriis explicari deberent, fuſe habeantur in litteris, quibus ſummi RR. PP. eadem Generalia CC. indixerunt; Lateranenſis quidem in litteris Julii II. Tridentini vero in litteris Pauli III. Julii III. & Pii IV. ideo ſupervacaneum viſum eſt, hiſtorias eorumdem CC. ut in aliis factum eſt, edere. *Supervacaneum tamen non fuiſſet, ſi ipſi illas eorum temporum viciniores prudenter ſcienterque contexiſſent.*

deceſſore mandatum eſt, ut incheatum opus perſequerer, atque ad exitum perducerem. Sed Morino ipſi credendum eſt, qui Cardinali Boromæo affirmat [1], *navavi primum operam in Bibliis Græcis, deinde in Latinis, & in condendo Indice, edendiſque Summorum Pontificum Decretalibus epiſtolis*. Atque ex eadem hac epiſtola docemur, cœtum conſtitutum fuiſſe doctorum virorum, quos *Scholaſticos* ſæpius Morinus vocat, qui Typographiæ Apoſtolicæ veterum ſacrorum Scriptorum ſive monumentorum libros emendatos illuſtratoſque ſubminiſtrarent; cœtus vero hujus Secretarii munere fungebatur Morinus: ſequitur enim in eadem epiſtola; *Accidit, ut ad Illuſtriſſ. Dominat. veſtram ſumma editionis Conciliorum rediret, utque in ejus clientelam ac patrocinium veniremus quotquot Scholaſtici Conciliis dabamus operam, ac Typographiæ Apoſtolicæ. Nec vero ſenecta retardavit, quominus in Scholaſtica militia veteranus perſeverarem, Conciliis expoliendis, ac Secretarii munere exequendo*. Typographiæ vero illius inſtitutum, dignum profecto Romanorum Pontificum patrocinio, dignum opera illorum doctiſſimorum virorum, & Romanæ urbi, atque Apoſtolicæ Sedi pene debitum, uberius alibi idem declarat, quod ipſis Morini verbis non pigebit ſignificare [2]: *Ex iis, quæ potiſſimum ab Apoſtolica typographia proficiſci oportuit, Biblia Græca pridem edita ſunt, nuper vero Latina Biblia, & Summorum Pontificum decretales epiſtolæ. Dudum præterea Romæ excuſa ſunt opera s. Hieronymi, deinde s. Ambroſii, proxime vero s. Gregorii M. Biblia Hebraica & volumina CC. reſtant, quæ ab Ampl. V. Illuſtriſſ. ad felicem exitum juvante Deo perducentur; & s. Auguſtinus, cujus parandi provinciam Ill. D. Card. Alanus ſuſcepit, ac s. Hilarius, quem Bandinus habet paratum, & s. Leo, quem adornaturus erat Gerardus Voſſius. Nam Tertullianum & Cyprianum ne deſideraremus, Pamelius ſummus vir egre-*

1 Ep. 10. pag. 327. 2 ep. 4. pag. 315.

egregie ſtuduit. Si qua vero in Cypriano etiam animadvertenda ſunt, ea Bandinus adnotata habet, & R. Abbas Adrianus in iis ſtudium ſuum profitetur. Irenæum, qui in utris numeretur, vixdum certum eſt, Latiniſne an Græcis, Fevardentius dedit. Arnobii demum, Lactantii, Luciferi Calaritani, Proſperi, Salviani, Ruperti, Anſelmi, ceterorumque editionibus contenti eſſe poſſumus. Græci Scriptores Latine verſi ſunt; plerique etiam Græce editi, Dionyſius, Ignatius, Juſtinus, Clemens Alexandrinus, Euſebius, Baſilius, Nazianzenus, Epiphanius, Iſidorus Peluſiota, Syneſius; & Hebræi quibus Eccleſia utitur Philo ac Joſephus. Verum ſuperſunt in univerſa Biblia, Latine transferendi Commentarii perquam egregii, quæ Catenæ vocantur, immenſum opus, cuique multa manu eſt opus; tum præclari aliquot Scriptores excudendi Græce, Ss. Athanaſius, Gregorius Nyſſenus, Joannes Chryſoſtomus; item Theodoritus, & Origenis octo libri adverſus Celſum, quibus luculenta Fidei Chriſtianæ defenſio comprehenditur. In Urbe degunt aliquot Græcarum litterarum periti, Meſſius, Macarius, Breſſius, Cabrera; qui utinam collocentur in Vaticano propter Bibliothecam, ut una his operam ac induſtriam navent. Verum, Ill. D., ut de his agam, quæ in præſens capeſſenda ſunt, s. Bonaventura typographiæ aliquot ab hinc annis mandatus, quamprimum abſolvendus eſt, ac eidem typographiæ commendanda Oecumenica Græca Latinaque CC.; in quibus, auctore ac duce Ill. Ampl. V. præcipuum ſtudium meum conſumitur. Nam qui conventus Typographici ſcriba ſum, cetera quoque opera, cura & cogitatione complector.
Hæc tum Romæ homines moliebantur; in his præcipua cura, ſtudium, ſolicitudo verſabatur; in his auri magna vis effundebatur, ſi effundere eſt, in his impendere, quæ hominum ſtudiis, quæ Chriſtianæ Fidei & pietatis incremento proſunt. Neque his annis ſolum, ſed multo etiam ante, eadem erat ampliſſimorum virorum cogitatio, idem conſilium,

lium, ut Biblia emendatiſſima, Patres, cetera Eccleſiaſtica monumenta typis Romanis excuderentur. Superiùs id indicavimus, cum de Sirleto & Faerno, qui Biblia recognoſcebant, locuti ſumus, & ex Latini Latinii litteris, atque aliorum conſtat. Ceterum Morinus noſter alibi [1] Chryſoſtomi libros præſertim de Sacerdotio (qui nuper eruditiſſimi viri cura Italice verſi, & doctiſſimis animadverſionibus illuſtrati prodierunt) & s. Auguſtini opera [2] commemorat, in quibus ejus ſtudium aliorumque doctorum virorum verſabatur. Præcipue vero curæ illi erat opera quædam vulgare veterum PP. quibus Catholica dogmata adverſus hæreticos homines confirmantur, ut s. Jo. Chryſoſtomi præclara oratio in s. Babylam M, Nyſſæni aliæ nonnullæ, *quibus*, ut ſcribit [3], *ſingularia teſtimonia ſunt de Invocatione Sanctorum, deque ſacrarum reliquiarum Divina poteſtate*.

14. In his laboribus & curis, litteratoque otio conſenuit Morinus, &, quod dolendum eſt, ſæpiuſque ipſe conqueritur, anguſta re domeſtica uſus, qua perficere fortaſſe, quæ cogitabat, non potuit. Habuiſſe enim quædam ſua, quæ ederet, ipſemet ſignificat Cardinali Boromæo [4]: *Habeo multos commentarios ex aſſiduis lectionibus excerptos, quos omnes, ſed præcipue Eccleſiaſticos, in animo habeo ſororis filio mandare, in ordinem locorumque diſtinctionem redigendos, ſed aliena opera & officio, ne, cui otium præbere ſtudeo, ejus otio abutar. Nam ab hinc triginta amplius annos, poſt perceptam Theologiam Scholaſticam, dedi me perlegendis monumentis Eccleſiaſticis, ex iis potiſſimum ea colligens, quæ ad confutandam hæreticorum hujus ætatis dementiam atque inſcitiam pertinent*. Addit vero, ſibi neceſſe eſſe aliquot homines ſumptu ſuo alere ac tueri, iiſque aliquas ædes

1 *Ep.32. pag. 371.* 2 *ep.13. pag. 331. ep. 14. 15. &c.* 3 *ep.32. pag. 371.* 4 *ep. 12. pag. 330.*

ædes propinquas mediocri mercede conducere ; *Hi autem ſunt*, ait, *ſororis meæ filius*, *D. Jo. Hibernus Presbyter*, *tertius qui anagnoſtæ ſcribæque officio apud me fungatur* ; *atque his aliquo famulo eſt opus*, *qui ceteris ſibique obſonetur & coquat*. Sed & veterum doctorum cum edere quædam Græce vellet, quibus Hæreticorum hominum refrænaretur impudentia, deterritum ſe ait [1] a magnis ſumptibus. Itaque ad Silvium Antonianum confugit, teſtatus, ſe omnia inſumpturum in utilitatem Eccleſiæ, *quam ad metam*, inquit, *jampridem laborum meorum conſilia direxi* : addit vero ; *Opus modo eſt adjumentis*, *opus ſeni*, *qui quædam legat*, *alia excerpat e libris*, *alia quæ ſcripſerit deſcribat... Utinam ex ſententia mea poſſem quædam in Vaticana Bibliotheca deſcribenda curare*, *quædam cum veteribus libris conferenda atque emendanda* ; *aliquid profecto navarem amplius*. Navavit tamen egregie operam ſuam, *uno contentus*, ut ait Quetif, *anagnoſte Presbytero non inerudito Joanne Meagher Hiberno cum famulo*. Fuit autem aliquando cum Morino Nicolaus Prouſtus, quem Morinus a. 1595. menſe Junio ſcribens Silvio Antoniano [2], ſororis ſuæ filium eſſe ait, juvenem ſcientia latinarum litterarum, & Græcarum, necnon Hebraicarum excultum, eruditumque præterea Philoſophicis diſciplinis, cui cogitat mandare, quæ exequi nunquam potuit. Sed biennio poſt, eſt ab eo dimiſſus Epiſcopo Ebroicenſi, Jacobo Perronio, poſtea Cardinali commendatus [3]. De hoc fuſe Quetif. Morinus qui Romæ *vivere & mori*, (ut quandoque ait [4]) cogitabat, poſtquam Romæ multos annos vixit, ibidem deceſſit anno 1608.

§. 3. De

1 *ep.* 32. *pag.* 371. 2 *ep.* 34. *pag.* 375. 3 *V. ep.* 62. *pag.* 427. 4 *ep.* 44. *pag.* 401.

§. 3. *De M. Antonio Mureto.*

1. PErvenimus ad Muretum, cujus unius gratia de aliis omnibus dictum eſt. Itaque accuratiores in eo eſſe debemus, atque etiam, in ſumma brevitate, quam longitudo orationis huc uſque provecta efflagitat, conabimur; mirabili adjumento uſi, ſive novo quodam genere monumentorum, quod, niſi attentiores fuiſſemus, negligi a nobis fortaſſe, & contemni facile potuiſſet. Eſt vero id, quod Muretus, veluti in adverſariis quibuſdam, in primis & poſtremis paginis librorum puris ſcriptitare, homo minime oblivioſus, nec multum copioſus ſolebat. Si dicam, nihil nobis ad ejus vitæ & rerum geſtarum annos rite conſignandos, magis profuiſſe; non mentiar. Igitur a. 1526. natus eſt M. Antonius Muretus Pridie Id. Aprilis; ita enim ipſe epiſtolam quamdam [1] ſubſcripſit; *Romæ Prid. Id. April. die ipſo natali meo, quem tu mihi fauſtum ac felicem precare:* de anno Bencius & ceteri conſentiunt. Lemovicem præterea eum fuiſſe conſtat; nec ſolum ita eum appellant, qui laudant, atque inter teſtimonia operibus ejus præfixa recenſentur, ſed & Lambinus eidem ſcribens [2]; *Amabo te, non tu etiam Gallus es? Quid reſpondebis Lemovicibus civibus tuis ex Italia te revocantibus, ac vendicantibus?* Imo Lemovicem ſe ipſe appellat in epitaphio, quod ſibi vivens conſcripſit. Sed utrum Lemovici, ipſa in Urbe, quæ eſt tractus Lemovicenſis caput, natus ſit, an in alio ejus regionis oppido; de eo ſane non conſtat. Primum aſſeverat Thuanus [3] cum *Ratiaſti Lemovicum* ortum ſcribit: eſt enim, ut in Latinarum vocum explicatione ibidem legitur, *Ratiaſtum*, Lemovici oppidum ipſum, populari nomine *Limoges*.

1 *Lib. 2. ep. 34.* 2 *Epiſtol. clar. vir. Bruti pag. 384.* 3 *lib. 82. num. 15.*

At in Scaligerianis alteris legitur; natum eum Mureti, qui eſt ejuſdem regionis pagus: idemque in funebri oratione Bencius, addens de majoribus & generis nobilitate; *Natus eſt ..... in pago ſuburbano Lemovici, cui Mureto nomen, loco honeſtiſſimo, patre Juriſconſulto, genere peranti-quo & nobili; quippe quod & pagum illum antiquitus poſſèderit, unde & familiæ nomen; & quadringentis ab hinc annis tulerit Stephanum, Grandimontenſium Ordinis auctorem.* Hanc pariter Mureto patriam aſſignant Baillet [1], Niceronius [2], & recentiorum multi [3], Bencium credo ſecuti. Verum illud (multo vero magis de Mureti genere & nobilitate) num certo aliquo auctore Bencius affirmaverit, an ſuſpicione quadam & conjectura ſua; uti eumdem alia nonnulla protuliſſe eodem modo de Mureto volunt; mihi non conſtat. Nam quod hujuſce rei argumentum olim habebam, ut Lemovicenſi urbi Muretum aſſererem, a Joannis Aurati, poetæ illa ætate nobilis, natali ſolo; cum quo ſe junctum communione ſanguinis & patriæ, Muretus affirmat [4]; video mihi eſſe ereptum ab iis [5], qui de ea ipſa Aurati patria valde dubitant. Fatebor tamen, me Bencio de patria, de qua doceri a Mureto ipſo potuit, non illubentem aſſentiri; præſertim cum id & in Scaligerianis Puteanorum legatur [6].

2. De puerili inſtitutione Mureti nihil memoriæ proditum eſt, præter illud, quod ipſe de ſe, cum Græcas ſententias fratris filio mitteret, narravit: quod ipſius verbis (non enim commodioribus poſſumus uti) referemus [7]; *At mihi*

1 *Num. 333.* 2 *tom. 27. pag. 143.* 3 *A. vita in Veron. edit. &c.*

4 *In poſtrema Ode ipſi inſcripta ſub fin. Juvenil. & carm. XI. lib. 2. tom. 3. pag. 67. edit. Comin.*

Nil daturum me auribus hic tuis
Velim arbitreris; ſim licet & fide
Pridem tibi, & communitate
Sanguinis, & patriæ alligatus.

5 *V. Niceron. tom. 26. pag. 109.* 6 *pag. 225. edit. Haga Comit. a. 1669.* 7 *tom. 3. oper. Mur. pag. 154. edit. Comin.*

mihi puero cùm alia multa, tùm præceptores defuerunt. Vere enim hoc affirmare poſſum, poſt annum ætatis meæ duodecimum, nullo me ad ullam artem, neque privatim, neque publice, præceptore uſum eſſe. Quamquam enim Pictavii, quò me parentes ad excolendum ingenium miſerant, ibam interdum ad eos, qui Jus civile profitebantur, perrarò tamen id faciebam, neque tam, ut quidquam ex eis diſcerem, quam ut meis animum explerem, qui me ei ſtudio addixerant. Eveniebat id mihi indomita quadam perverſitate, ac pervicacia ingenii, ut nullum Doctorem triduum ferre poſſem: cujus improbitatis valde me poſtea, ac diu pœnituit, pœnitetque. Hinc ergo novimus, Pictavium ad Jus civile diſcendum a parentibus miſſum fuiſſe. Bencius in ea, quam diximus, funebri oratione, multa habet; ut ſcilicet imbutus eſt Muretus litteris, quibus informari ad humanitatem ætas puerilis ſolet, in patria ſua Lemovici primùm, deinde vero Aginni, eas docere cœpiſſe, *cum eſſet adoleſcentulus, aut potius puer*. Verum Bencius antiquiora Mureti narrans, fidem apud eruditiores homines non invenit; ac de eo Scaliger [1]; *Bencius vir doctus, & amœni ingenii ..... multa per conjecturam de Mureto dixit, tam incredibilia, quam a vero remota*. Scaligero vero ſubſcribit etiam Menagius [2]. Nolim equidem hoc de Bencio diffiteri; amorem in Muretum, ſive pietatem potius ei quædam extorſiſſe, quorum non admodum erat probabilis conjectura; ex quibus fortaſſe illud eſt, quod de generis nobilitate, & Mureto pago, quem illius olim familia poſſederit, narravit. Sed quis non animadvertat, longe eſſe facilius, in iſtis peccare, in quibus, cum ſint tenebris obſita, & vetuſtate pœne obliterata, liberior eſt aliquantò, nemine certo revincente, augurandi locus; quam quæ de recentibus factis alicujus dicuntur, quorum teſtes multi eſſe poſſunt; & Bencius reſcire

V 2

1 *In confutat. fabul. Burdon. pag. 404.* 2 *Antibaill. tom. 1. p. 326.*

cire ex Mureto ipſo potuit, atque interrogando ex eo quæſiviſſe, pro mirabili in eum amore, omnino exiſtimo? Sit exemplum in eo ipſo, quod hic Bencius affirmat, Aginni litteras docuiſſe Muretum, & Scaliger pernegat. Nam idem Scaliger verum id eſſe aliquandò dixit, atque in Scaligerianis alteris affirmatur. Novi Menagium, Scaligero in *confutatione fabulæ Burdonianæ* aſſentiri malle, fidem vero Scaligerianis his alteris denegare, quæ non Scaliger ſcripſit, ſed Jo. de Vaſſan a Scaligero accepit; ſuſpicatur etiam in excipiendis Scaligeri effatis verbum aliquod præteritum: & cum ille *Villanovanum Aginii* dixiſſet; *Aginium* hunc audiviſſe. Verùm nec multum valere debet hæc viri licet eruditi conjectura, & a Scaligerianis primis refutatur, *exceptis*, ut in iis dicitur, *ex ore Joſephi Scaligeri per FF. PP.* ideſt fratres Puteanos; nam ibidem hoc ipſum affirmatur.

3. A. MDXLIV., ſi Scaligero fidem habemus, ad Auſcios, ut litteras doceret, ſe contulit annos octodecim natus: *M. Antonius Muretus*, ait Scaliger, *annos natus* XVIII. *Aginnum venit Julii ſalutandi cauſa, unde digreſſus ad Auſcios Novempopulaniæ ſeſe contulit, ubi in Collegio Archiepiſcopali Ciceronem & Terentium docere cœpit; quo tempore eclogas in laudem Cardinalis Armeniaci, & tragœdiam ſuam Julium Cæſarem in illa Urbe edidit*. Atque addit: *Hinc profectus in oppidum Nitiobrigum, cui nomen Villanova, ditiſſimi mercatoris de Brevant liberis præfectus, in ſchola publica illius oppidi auctores Latinos interpretabatur*. Hoc tamen de publico docendi munere ab eo ſuſcepto, puto ad ſequentem annum pertinere. Nam Muretus ipſe in oratione, quam *de laudibus litterarum* habuit Venetiis menſe Octobri A. MDLIV. *novem prope jam annos in hac dicendi ac docendi exercitatione conſumpſiſſe*, ait. Sive etiam novennium illud a Burdigalenſi ſchola, quam circa A. MDXLVII. regebat, auſpi-

auſpicatur. Nam de Mureto pergit narrare Scaliger: *Anno autem ætatis ſuæ vigeſimo* (anno nimirum MDXLVI.) *cum illis pueris diſcipulis ſuis Aginnum ſecundò venit Julium ſalutandi cauſa, ſemel antea viſum, ſed ſatis notum litterarum commercio, eoſque pueros cum Mureto, Joſephus* (Scaliger) *meminit domi vidiſſe ſe, annos natum* VI. *Bis aut ter poſtea exceptus hoſpitio a Julio, idque diem unum, aut biduum tantùm, ingenii ſui præſtantiam, cujus ſpecimen per litteras dumtaxat dederat, colloquio familiari comprobavit. Ex illo, quia illum noſſe propius contigerat, Julius amare eum cœpit, & ejus dotes animi Senatoribus Burdegalenſis Curiæ per litteras commendare, ut non aliter eum, quam filii nomine, appellaret; quum Burdegalam, relicta Schola Villanovana, profectus, ibi in una claſſium gymnaſii Aquitanici doceret circiter A. Chriſti* MDXLVII. *neque ex eo unquam aut Aginnum repetivit, aut Julium poſtea vidit.* Quod ſcribit de paterna in Muretum charitate Julii Scaligeri, aut de Mureti in eum pietate, id & Bencius tradit, & ab ipſo Mureto confirmatur, qui epigrammati I. Juvenilium [1] hunc fecit titulum: *Divo Julio Cæſari Scaligero patri meo*; & primis continuò verſibus:

In tenues numeros, primi monumenta furoris,
Quo mea non ſimplex corda ſubegit amor,
Dirige ſiderei radiantia lumina vultus,
Cæſar, & hæc nati ludicra noſce tui.

In Scaligerianis Puteanorum, *Muretus me vocabat fratrem, quia Pater illum vocabat filium.*

4. Sequitur apud Scaligerum eodem in loco; *Burdegala Lutetiam, Lutetia Toloſam petiit, ubi Juris Inſtitutiones cum exponeret exercendi cauſſa, ut tironibus Juris mos eſt, inde abire coactus, Venetias ſe contulit.* Toti huic narrationi fidem haberi vult Menagius: ſunt tamen nonnulla, quæ eam

 ali-

1 *Pag. 63. edit. Pariſ. 1553. Eſt etiam carmen XI. lib. 2. tom. 3. p. 67. edit. Comin.*

aliquantò impediant; imo Pariſienſem hanc Mureti ſcholam non facile eſt reddere anno ſuo. Sunt qui Pariſiis fuiſſe Muretum, atque in Collegio Cardinalis *le Moine* Claſſem III. rexiſſe putant eodem tempore, quo primæ Turnebus præerat, alteri vero Buchananus; quod ſe quoque audiviſſe de P. Bourbon Menagius affirmat. Niceronius falſum id cenſet, quod Buchananus e Gallia exceſſerit A. MDXXXIV. Falſum ego quoque cenſeo; ſed Niceronium rationes temporum ſuæ fefellerunt. Nam hoc ipſo tempore Pariſiis fuiſſe Buchananum e Luſitania reducem, anno ſcilicet MDLII. ipſe teſtis eſt in *vita ſua*, ac Lutetiæ manſiſſe videtur ad A. MDLIV., quo in Italiam evocatus eſt a Carolo Coſſæo. Atque hoc tempore nimirum, ideſt A. MDLIII. cum Juvenilia ſua ederet Muretus, Buchananus epigramma ſcripſit in eorum laudem [1]. Thuanus [2] refert, Muretum primò Pariſiis docuiſſe, deinde Burdegalæ, tùm apud Auſcios. Menagius Scaligero fidem adhibet, ita ut e Villanovana ſchola Pariſios ſe contulerit Muretus annos natus circiter XX. Erit ergo annus MDXLVI. Quod quidem ſi eſſet, labaſceret ex parte Scaligeri narratio. Ita enim narrationem ille ſuam inſtituit, quaſi e Villanovana ſchola ad Burdegalenſem tranſlatus ſit Muretus; nec vero videtur rem utique inſignem, Pariſiis id ætatis Magiſtrum fuiſſe Muretum, tacere ullo pacto debuiſſe. Mihi, ſi quid conjectando licet affirmare, Pariſienſis illa hoc tempore Mureti ſchola ſuſpecta eſt; nec vero aliud voluiſſe Scaligerum credo, quam ſumma vitæ ejus capita percurrentem, ceteris omiſſis, Pariſienſem Mureti commorationem ſignificare, quæ anno MDLII. & ſequenti Toloſanam proxime anteceſſit. Certior multo eſt opera a Mureto poſita in adoleſcentibus inſtituendis, Limini Pictonum; idque antequam Burdegalam veniret. Nam A. MDLVI. cum Venetiis commenta-

1 *Extat init. Juven.* 2 *Hiſtor. lib.* 82. *ad a.* 1585.

mentarios ſcriberet in Catilinarias, hæc habet explicans vocem *mactari* [1]; *Uſum quemdam hujus verbi, paucis, ut arbitror, notum, quem ante hos decem annos annotavi, & publice docui, cum etiam tum adoleſcentulus Limini, quod Pictonum oppidum eſt, humaniorum litterarum, & juris civilis ſtudiis florentiſſimum, Amphitruonem Plautinum enarrarem, tradere hoc loco inſtitui*. Atque huc, opinor, etiam ſpectat, cum alibi [2]: *Mihi*, inquit, *diſplicere nondum poteſt ea conjectura, quam cum adoleſcentulus in Gallia Plautinas fabulas explicarem, jamdudum de hoc loco feceram*. Limino autem poſtea veniſſe Burdegalam, indicare idem videtur in Elegia quadam [3] Margaritæ;

Nam te Pictonicæ retinent felicia terræ
Oppida, qua Clanus pinguia culta ſecat:
Me vero, invidiæ procul a te dentibus actum,
Fortia lunatæ mœnia Burdegalæ.

5. A. MDLII. Pariſiis fuiſſe Muretum, teſtis eſt ipſius oratio habita Nonis Februarii *De dignitate & præſtantia ſtudii Theologici*, quæ eſt in editis prima. Hanc ſe habuiſſe orationem, Muretus cum *homo eſſet adoleſcens*, ideſt natus annos XXV. idem initio affirmat: itemque, ut de eo argumento diceret, demandatum ſibi eſſe ab iis, quorum & apud ſe plurimum valebat, & apud omnes peræque valere debebat auctoritas. Præfectos nimirum intelligit Pariſienſis Athenæi, ubi ſummo concurſu, plauſuque omnium docebat. Atque huc nimirum pertinent, quæ Andreas Schottus in *Vita*, & in *funebri oratione* Bencius narrarunt: *Novus*, ait Schottus, *videbatur exortus Demoſthenes Chriſtianis Athenis; ita docente Mureto, & quidem adhuc peradoleſcente, concurſus audiendi cauſa ex tota Urbe fiebant; magna hominum frequentia gymnaſium celebrabatur, loci ipſi in gymnaſio occupabantur;*

1 *Pag. 35. edit. Pariſ. 1581. Veneta a. 1557. pag. 37.* 2 *lib. 3. variar. lect. cap. 9.* 3 *Juvenil. eleg. 6.*

pabantur ; ne pes quidem relinquebatur, præ maxima auditorum multitudine, ubi pedem Doctor ipſe ponere poſſet ; ita per illorum humeros quaſi per undas gradiebatur ad ſuggeſtum ; quæ, ſi vera ſunt, annumerari Muretus poterat, & debebat iis, quos Menckenius [1] magna auditorum frequentia docentes recenſuit. Addit Bencius, Regem Reginamque ipſos ad Muretum audiendum veniſſe aliquando. Irridet hoc Scaliger [2] : *quod nunquam*, inquit, *in Athenæo Regio, ſed in gymnaſiis docuit.* Auctor vitæ Mureti in editione operum Veronenſi, ut id ipſe quoque rejiciat, utitur auctoritate atque argumento Hoſmanni, qui de Mureto ſcripſit : *Pariſiis in Collegio Cardinalis Monachi tertiam claſſem rexit, cum Buchananus ſecundæ, Turnebus vero primæ præeſſet.* Rem ita eſſe, uti Bencius narravit, præſtare non audeo ; Scaligerum tamen non recte argumentari, adnotavit Menagius ; quaſi Rex & Regina in Collegiis docentem audire eum non potuiſſent. Illud vero Hoſmanni argumentum cujuſmodi ſit, antea vidimus : auctoritas certe ejus nulla hic eſſe poteſt, primùm recentioris hominis, & ab his temporibus locisque remoti ; deinde in eo opere, *Lexici* nimirum, ut vocant, *Univerſalis*, quo cum omnia comprehendantur, nec ad unguem exacta, nec diligenter inveſtigata eſſe poſſunt. Eodem anno MDLII. carmina quædam ſua titulo Juvenilium dedicavit Jano Brinoni litteris datis *Lutetiæ VIII. Cal. Decemb.* etſi annum ſequentem editio, quam vidimus, præfert. In his litteris, hæc ille de ſe : *Subſecivis horis aliquod mihi tempuſculum a Philoſophiæ, & Juris civilis prælectionibus, quibus aſſidue occupatus diſtineor, ad hæc exſcribenda, & in ordinem utcumque redigenda ſumpſi.* Docebat ergo Philoſophiam, & Jus civile.

Atque

1 *Jo. Burchardi Menckenii Diſſert.* De his, quibus ſingularis quidam ac inſolitus Auditorum applauſus contigit. 2 Confut. fabul. Burdon. pag. 406.

Atque has prælectiones proſecutum arbitror anno ſequenti. Nam cum librum v. Ethicorum Ariſtotelis ad Nicomachum rurſus ederet, dedicaretque Romæ Auditoribus ſuis Cal. Martii A. MDLXV. hæc habuit, quæ diceret: *Jam duodecim anni ſunt, cum hujus libri interpretatio mea primum edita eſt*. Editam atque elaboratam juvenibus, quos Philoſophiam docebat, autumo. Non Ariſtotelem modo, ſed & Ciceronis libros *de Divinatione* Pariſiis hoc tempore explicaſſe videtur: ita enim Muretus ipſe de Turnebo queritur [1]: *Sic „ impetritum „ Ciceroni & Valerio reſtituiſſe primus videri voluit: quod tamen cui acceptum ferendum ſit, ſcient, qui legerint Scholia Pauli Manutii in libros de Divinatione, edita ab hinc annos* XX *Atque ego, quæ tum Manutio indicavi, eadem publice docueram Lutetiæ quinquennio ante, & cum ipſo Turnebo communicaveram*. Ideo hoc dicit, quod in hujuſmodi ſcholiis [2] ea animadverſio habetur, additurque: *Atque hoc ejuſdem ingenio Mureti debetur*. Edita vero ſunt illa ſcholia ad Ciceronis Philoſophiam a Paulo Manutio A. MDLX., cum Turnebus Adverſariorum primum tomum, quo eadem animadverſio habetur, ediderit A.MDLXIV. Sed paullo antequam ederentur & ſcriberentur illa ſcholia, Manutio indicaverit hoc Muretus, neceſſe eſt, imo ante annum, opinor, MDLIX. quo Ferrariæ, ut dicemus, in Cardinalis Eſtenſis familia receptus, a Manutii ſui congreſſu abſtractus eſt. Itaque ab anno MDLVIII. computantes quinquennium, in annum incidimus MDLIII., quo Pariſiis docebat.

6. A. MDLIV. Toloſæ fuiſſe, ex ejus urbis ephemeridibus collegit Menagius; & ex Gabriele Lurbio in libro *De viris illuſtribus Aquitaniæ*, jus civile profeſſum eſſe. Atque ad hoc nimirum tempus ſpectat, quod refert Chriſtophorus

rus

1 *Lib. 10. var. lect. cap. 18.* 2 *pag. 90.*

rus a Capite fontium [1]; *Audivi quemdam Antonium Muretum omnium liberalium diſciplinarum noſtra memoria peritiſſimum, cum ad juriſprudentiæ ſtudium ſe Tholoſam contuliſſet, paucis poſt diebus eam facultatem, cui operam dare cœperat, publice profeſſum eſſe. Magna omnium exſpectatio. Sed quorſum evaſit? Imperitus Magiſter ab omnibus ſcholaribus auditoribus ſuis irrideri cœpit. Quod cum ille ſenſiſſet, ac intra paucos dies ſuarum virium imbecillitatem probaſſet, ſeſe minus idoneum, qui juriſprudentiam, quam nondum ſatis didicerat, doceret, eſſe profeſſus eſt.* Mirum videri poteſt, qui Jus civile docuerat Pariſiis, Tholoſæ poſtea tradentem irrideri, faterique ſe illud ignorare; niſi meminerimus, quod Scaliger antea adnotaverat, & cognitum eſt ex moribus noſtris, tironibus ipſis exercendi ſui cauſa, ſolere id concedi, ut prælegant eas facultates, quas nondum plenius intelligere potuerunt; præſertim ſi Doctoris titulum atque inſignia ſumpſerunt. Atque eodem loco Scaliger *Tholoſæ juris inſtitutiones* expoſuiſſe Muretum teſtatus eſt. Tholoſa rediiſſe Pariſios docent Verderius, & Menagius: quod quidem ego mihi perſuaſeram ex epiſtola quadam Mureto ſcripta ab Andrea Duditio; cujus autographum nos habemus, atque in eo legitur: *Superioribus annis cum Tholoſæ primùm, deinde Lutetiæ Pariſiorum, magna tua cum laude, & omnium admiratione, Philoſophiam ita doceres, ut non minus ſententiarum gravitatem, quam verborum elegantiam, dicendique artificium homines admirarentur, audio, te quiddam ad ἠθικῶν Νικομαχείων librum ſcripſiſſe*. Hæc, ut dixi, in autographo; licet in editis legatur *ſuperioribus annis cum Lutetiæ Pariſiorum &c* omiſſo *Tholoſæ* nomine. Poſtea tamen ſententiam mutavi, atque exiſtimavi, Duditium illa cum ſcriberet, vel temporum rationem non ſecutum, vel etiam deceptum. Animadverti enim, verba illa præterita fuiſſe non in poſterioribus modo editio-

1 *Fidei majorum noſtror. defenſ. pag. 165. edit. Plantin. 1575.*

editionibus ab his, qui epiſtolas Mureti recenſuerunt, ſed a Mureto ipſo cum primum epiſtolas ſuas aliquot ipſe vulgavit [1]: nec vero aliter dicere poſſumus, ſi obſervamus, tribui tunc Mureto *aliquid ad ἠθικῶν Νικομαχείων* librum; qui quidem alius eſſe non poteſt, quam libri v. Interpretatio, quam adornaſſe diximus Muretum, cum Pariſiis fuit, antequam veniret Tholoſam. Addas, cum certo conſtet Tholoſæ fuiſſe a. MDLIV. eodemque in Italia Venetiis diverſatum, Pariſienſi huic tertiæ commorationi vix videri eſſe locum.

7. Anno ergo eodem MDLIV. in Italiam commigrans Venetias venit; ubi etiam orationem habuit menſe Octobri, (ut in titulo ejus orationis dicitur) *de laude litterarum*. Cœpit etiam Italis hominibus fructus ingenii atque induſtriæ ſuæ in emendandis veteribus Scriptoribus impartiri, initio facto a Catullo: itaque exiit hoc anno *Catullus, & in eum Commentarius M. Antonii Mureti. Venetiis apud Paulum Manutium Aldi filium* MDLIV. Antea Venetiis cum eſſet, ut ex ſubſcriptione epiſtolæ nuncupatoriæ L. Memmio Fremioto, data *Venetiis Cal. Juliis a.* 1554 apparet, Commentarium Alexandri Aphrodiſienſis in librum VII. Topicorum Ariſtotelis, a ſe latine factum vulgavit. Quo tempore huc appulerit, in iis, qui de Mureto ſcripſerunt, fruſtra quæras. Confugimus ergo ad monumenta noſtra, & ad Mureti librorum anticas vacuas paginas, de quibus initio diximus. In iis hæc invenimus: in Callimacho Baſileæ edito a. 1532. *M. Antonii Mureti. Emptus Venetiis menſe Auguſto* MDLIV. quod pariter adnotatum eſt in Terentiano Mauro, & Clemente Alexandrino Græco edito a Victorio: atque in antiquis lectionibus Rhodigini: *Muretus emi Venetiis ad* III. *Idus Sextiles anno* MDLIV. In Antonio Auguſtino de Emendatione Gratiani: *Marcus Antonius Muretus emi Venetiis Nonis Juliis* MDLIV. Ita

[1] M. Antoni Mureti J. C. ac civis Romani epiſtolæ. Pariſiis apud Michaelem Clopeiau 1580. *pag.* 71. 2. *præter Colonienſem* 1600. *pag.* 119.

Ita hunc annum, menſemque Julium adſcripſit Heſiodo, & Apollonio Rhodio. In variis lectionibus Petri Victorii: *Mureti. Venetiis menſe Junio* MDLIV. Prætereo ſimilium adnotationum multas, atque hoc tantummodo dicam, nullam me reperire potuiſſe, qua antiquius tempus memoretur menſe Majo; quem quidem menſem ita adnotavit in Theocrito edito Venetiis *ex officina Farrea a.*1543. *In Vinegia ſoldi* 26. *ligado al dì ult. de Maggio a.* 1554. *Mureto*. Quamobrem hoc primùm menſe exiſtimo illum advectum Venetias. Et ſane convenit, quod in dedicatione Catulli Bernardino Lauredano litteris datis Venetiis Idibus Octobris hoc eodem anno ſcribit; ſe haud ita pridem veniſſe in Italiam, & ut eam regionem aſpiceret, *qua*, inquit, *qui æquo animo carent, mihi quidem antiquitatis memoriam ſatis colere non videntur*, & quò eruditos homines cognoſceret, in primis vero Paulum Manutium, quod in ejus ſcriptis videbatur ſibi animadvertiſſe expreſſas quaſdam excellentis doctrinæ, eximiæque probitatis notas; ſibi vero pœne divinitus contigiſſe, ut non pedem pene prius Venetias poneret, quam in amicitiam ipſius, familiaritatemque intimam admitteretur: ipſum vero Manutium cum aliquot diebus poſt de Mureti ſermonibus collegiſſet, quantopere ſe Catulli poetæ ſcripta caperent, cœpiſſe impellere, ac perſuaſiſſe tandem, ut quæ in eum notaverat proferret in publicum: ſe recepiſſe, primo id quoque tempore eſſe factum; nec diu fidem diſtuliſſe, ſed totum hoc negotium trium menſium, aliquantò etiam minore ſpatio, abſolviſſe. Mihi hæc tota narratio, non multum ſane maturiorem aut ſeriorem Mureti adventum indicare videtur, quam qui in Majum menſem, ut dixi, cadat. Sed quæ de cauſis, quibus adductus in Italiam venerit, Muretus attulit, fidem fortaſſe non invenient apud eos, qui Scaligerum, quæque ex illo, aliiſque Menagius congeſſit, aliquando legerunt. Nihil

hil attinet hic ea refricare, nec longa oratione Muretum defendere; quem gaudeo ſatis diligenter defendiſſe auctorem vitæ ejuſdem in Veronenſi editione. Non poſſum tamen quin addam; non modo reliquam Mureti vitam, & cum Manutio, viriſque aliis probis & integris, ſtatim ac in Italiam venit, initam conſuetudinem, ceteram denique quam poſtea obtinuit innocentiæ famam luculentum pro illo teſtimonium dicere; ſed criminationem eamdem ipſam Pariſiis, & Venetiis, ſive Patavii intentatam. Cum enim ex litteris his noſtris præſertim Morini & Hyppolithi Eſtenſis, falſam fuiſſe conſtet, atque a malevolorum hominum odio invidiaque profectam, nonne idem de Toloſana illa par eſt judicare? de qua pro Mureto ſatis firmum argumentum, ut mihi quidem videtur, peti poteſt ex ejuſdem Mureti dedicatione Commentariorum Alexandri Aphrodiſienſis in VII. Topicorum Ariſtotelis L. Memmio Fremioto, ideſt illi, cum quo patrati ab eo ſceleris ſuſpicio commota eſt. Nam ibi Muretus illum ſe admirabili quodam amore præſentem eſſe complexum affirmat; nunc vero, *ex quo*, inquit, *flagitioſa illa nos quorumdam conjuratio diſtraxit*, *ita eum in dies augeri ſentio &c.* [1] Non dico probum, non pudentem virum, ſanumne liceret arbitrari eſſe Muretum, ſi veri aliquid præter calumniam accuſatio illa habuiſſet, hujuſce rei mentionem injicere, præſertim adeo ſuavibus, & amantibus verbis? Sed iſta omittamus. Venetiis Muretus cum ſibi publicum docendi munus depopoſciſſet, accepit: ita enim ipſe in oratione [2], quam ibidem habuit; quod etiam in altera poſtea rurſum teſtatus eſt [3]. Docuit autem publice in cœnobio s. Franciſci. Hoc, quod Ghilinus tradidit [4], ſubindicavit

1 *T. 2. oper. edit. Comin. pag. 408. & oper. Ingolſtad. edit. 1602. p. 570.*

2 *orat. 4. pag. 35. edit Comin.* „ Ergo ſimul atque mihi publice munus illud adſignatum eſt, ut iter vobis ad ea ſtudia præirem &c. „

3 *orat. 2. pag* 15. Non enim detrectans, ſed ultro nobis depoſcentes hanc dicendi provinciam, ad eam non alienis precibus impulſi, ſed veſtra incredibili benignitate admiſſi ſumus.

4. *Theatr. litterat. pag.* 165.

vit idem Muretus in oratione, quam Venetiis pariter habuit anno ſequenti: *Quin etiam*, inquit [1], *ut plus mihi animorum adderetis, ex eo me loco docere voluiſtis, ubi homines ita Divino cultui addictos, ut cum ſumma integritate, & ſanctimonia vitæ, ſummam rerum maximarum cognitionem ſcientiamque conjunxerint, quotidianos induſtriæ meæ teſtes habiturus eſſem*.

8. A. MDLV. Venetiis erat Muretus apud Paulum Manutium, ut ex litteris Achillis Statii, quas vulgamus, apparet. Atque hunc eumdem annum multi Bibliothecæ Mureti libri adſcriptum habent. Anthologia editionis Frobenianæ: *M. Antonii Mureti. Venetiis* 1555.; Ariſtotelis Politici libri Græce recogniti a P. Victorio, & editi Florentiæ a. 1552. *M. Antonii Mureti, Venetiis* MDLV. *menſe Aprili*. Plautus: *Venetiis Non. Julii* 1555. *&c.* Præterea hoc anno Nonis Octobris orationem habuit, quæ adjunctis aliis duabus edita eſt a Manutio hoc titulo: *M. Antonii Mureti orationes tres de ſtudiis litterarum Venetiis habitæ. Venetiis* MDLV. Eas Muretus Hieronymo Ferro Patricio Veneto, Patavini gymnaſii Triumviro dedicavit, litteris datis Venetiis ad IX. Kal. Novembr. MDLV. ex quibus litteris ſane intelligimus; non ita proſpere omnia eveniſſe Mureto, ut non etiam ei invideretur a nonnullis, & peregrinitas objiceretur [2], non ſane novo, nec inſueto in viros doctos calumniæ genere, a quibus indigenæ, utpote doctioribus, aut laudem, aut mercedem percipi, & ſibi eripi dolent [3]; idque ipſe Muretus in altera oratione ſignificat, & diligenter ſibi ſive excuſandum, ſive refutandum proponit, cum Galliæ regni, ubi natus erat, prudenti elegantique commendatione. Ceterum ex tribus illis orationibus, quæ, ut diximus, ſunt hoc anno

1 *orat. quæ exſtat tom 3. pag. 263. edit. Comin.* 2 Nam cum & novitati a nonnullis, & peregrinitati invideretur meæ, tu unus exſtitiſti, qui cauſam meam acerrime ſuſcipere, qui eam collegis tuis, viris omni laudum genere digniſſimis, ſtudioſiſſime commendares &c. 3. *V. quæ ſcripſimus ad orat.* XII. *Perpiniani diatrib. pag.* 433.

no editæ, nil propius fuit, quam una ut diſperiret; niſi eam, neſcio quo fato, in ceteris editionibus præteritam Cominiana repræſentaſſet. Hoc item anno Horatium & Terentium a Mureto emendatos atque illuſtratos edidit Venetiis Manutius. Primi titulus eſt: *Horatius. M. Antonii Mureti in eumdem annotationes. Aldi Manutii de metris Horatianis. Ejuſdem Annotationes in Horatium. Venetiis* MDLV. *apud Paulum Manutium Aldi F.*: eumque Muretus dedicavit Johanni Avanſonio, Henrici Galliæ Regis ad Romanum Pontificem Oratori, litteris datis Kal. Octobr. MDLV. Alterius hic eſt titulus: *Terentius a M. Antonio Mureto locis prope innumerabilibus emendatus. Ejuſdem Mureti argumenta in ſingulas comœdias, & annotationes, quibus tum correctionum magna ex parte ratio redditur, tum loci obſcuriores explicantur. Venetiis a.* MDLV. *apud Paulum Manutium Aldi F.* Hæc tamen argumenta, & annotationes novo titulo, pagina partem aliam pura, proponuntur ſic: *M. Antonii Mureti argumentorum, & annotationum in Terentium liber. Ad Jacobum Surianum Patricium Venetum. Venetiis &c.* qui quidem titulus, & libri pars, in Horatio quem habemus cum inſcriptione manu Mureti: *Ex libris M. Antonii Mureti* præponitur alteri. Sed hoc leve eſt. Illud eſt animadvertendum, quod magni noſtra intereſt; in epiſtola illa ad Surianum, egregiam Italorum hominum atque ingeniorum ineſſe laudem: in qua, ubi rationem illorum damnavit, qui, omiſſo antiquiorum linguarum Græcæ, & Latinæ ſtudio, totos ſe ad eam, qua vulgo utimur, linguam excolendam convertunt; admonet, periculum eſſe, ne, ſi hoc malum radices agat, *quæ ſemper*, inquit, *propria Italorum laus fuit, ut ſoli ex omnibus Latina oratione perite ac ſcienter uterentur*, eam qui ſuſtineant, non multi in Italia reperiantur. Atque ibidem tranſalpinorum hominum vitium notat, qui ad Latini ſermonis elegantiam conſequendam non rectam ineant viam;
quod

quod pauciores ſane illorum ſe ad Ciceronis, Terentii, Cæſaris imitationem componant, ſed pervolutantes ſine ullo diſcrimine omnes omnium Scriptorum libros, ex omnium commixtione varium quoddam & multiforme pro ſuo quiſque ingenio dicendi genus effingant; pulchrique ſibi ac beati videantur, ſi eam conſequantur facultatem, ut de rebus propoſitis verba fundere, animique ſui ſenſus qualicumque orationis genere ad alios perferre poſſint.

9. Proximus huic annus 1556. Commentarios a Mureto extulit in Ciceronis Catilinarias, quos ille inſcripſit Leonardo Mocenigo, litteris datis Venetiis a. d. VI. Id. Octob. quæ litteræ nunc aliis ejuſdem Mureti familiaribus additæ reperiuntur: neque hæ ſolæ, ſed procemia præterea omnia, quæ ſingulas orationes IV. cum explicare aggrederetur, præpoſuit vir ille doctus, & eloquens. Diligentiores ita fuiſſe, qui opera Mureti ediderunt, facile patior; ſed quod ceteras aliorum operum nuncupatorias epiſtolas vel omiſerint, vel alium in locum rejecerint [1], hoc moleſte fero: fieri enim facile poterit, ut intereant tracta temporis: interire vero, quæ cura ille & diligentia elaboravit, nemo, opinor, velit; itaque nonnullas earum putavimus hic iterum vulgandas; quas nimirum epiſtolas neque Cominiana editio, aut Veronenſis (uno verbo dici poterat Thomaſiana) neque collectio præfationum Pariſiis a 1579. adornata repræſentat; ſunt autem Hieronymo Octobono nuncupatoria libri de Providentia; orationum trium editarum a. 1564. Alexio Paganuccio; purioris ac politioris Philoſophiæ ſtudioſis

1 *In edit. Comin. pag. 184. tom. 2. epiſt. Bencio nuncup. verſionis Rhetoric. Ariſt., multas habemus a pag. 204. ad 246. alias rejectas ad p. 408. tom. 3. pag. 255. dedicatoriam trium orationum Ferro. p. 281. dedicator. Juvenil. Brittoni: epiſtolas nuncupatorias Terentii Suriano, Horatii Jo. Avanſonio non reperio, quæ extant pag. 65. & 71. Præfat. edit. Pariſ. hoc titulo:* Trium diſertiſſimorum virorum Præfationes, ac epiſtolæ familiares aliquot Mureti, Lambini, & Regii. *Multa tamen Mureti deſunt, in Catilinar. in librum de orig. juri lib. v. Ethicorum &c.*

dioſis in verſionem Lambini Ethicorum Ariſtotelis. Quo loco non præteribo illud adnotare, epiſtolam Georgio Gozzio Patricio Raguſino habere nos præpoſitam verſioni Ariſtotelis libri ſecundi de Arte dicendi, editæ Romæ 1567.; in ea vero dici; *do dicoque tibi ſecundum librum Ariſtotelis de Arte dicendi nuper a me, ut commodis Auditorum meorum conſulerem, latino ſermone, ut potui, expreſſum*, non ut in epiſtolis [1], *do dicoque tibi commentarium in libros Ariſtotelis de Arte dicendi*. Tunc enim ſolùm librum illum latinum fecit, poſtea a.1585. etiam primum, amboſque excuſos Bencio ſuo ſine ullis commentariis dedicavit. Commentariorum, ſive, ut Muretus vocat, explicationis in Catilinarias duo nos exempla in Bibliotheca Mureti reperimus; primum prioris editionis Venetæ *ap. Jo. Gryphium a.* 1557. in cujus titulo Muretus ſcripſit manu ſua, *poſt Venetam editionem multis locis ab auctore ipſo aucta & emendata*: & ſunt revera emendata quædam, plura etiam addita, quæ alterum exemplum *Pariſiis apud Robertum Coulombel a.* 1581. repræſentat [2]; mirorque hæc non apparere in ea ejuſdem explicationis editione, quæ inſerta eſt ſelectis commentariis in orationes Ciceronis, quos vidi cuſos Coloniæ a. 1621. [3]. Idem annus 1556. arctiſſimo amicitiæ vinculo, ut diximus, conjunxit viros duos eruditiſſimos Lambinum & Muretum, atque hujus veluti ſocietatis tabulas, ideſt a Lambino ſcriptas litteras, nos, ut opinor, primi vulgamus. Quid deinde acciderit, & quæ cauſa animorum conjunctionem diremerit, ſuperius expoſui. Damus etiam Manutii epiſtolam Mureto, ex qua cognoſcimus, Prid. Cal. Septembris Patavii hunc fuiſſe, atque in Euripide deſcribendo utrumque occupatum. Anno

1 *tom. 2. pag. 409. edit. Comin.* 2 *In exemplo hujus editionis adſcriptum eſt*: Muretus ipſe dono mihi diſcipulo ſuo F. Bencio librum hunc dedit III. Id. Maji a. 1582. 3 *h. t.* In omnes M. Tullii Ciceronis orationes ſelecta Commentaria, notæ, ſcholia, & annot. doctiſſimorum virorum.

ſequenti 1557. Muretus Commentarios ſcripſit in 1. Tuſculanam Ciceronis. Apographum nos habemus hoc titulo; *Marci Antonii Mureti Commentationum in primam Ciceronis Tuſculanam liber ſingularis*. MDLVII.[1] Edita eſt hæc Commentatio cum aliis Mureti Philologicis[2] Ingolſtadii a. 1602. Nimirum hoc anno Muretus eum Ciceronis librum ſibi explicandum ſumpſerat, ut docet oratione IV.[3], quam tunc pariter habuit menſe Octobri; in qua etiam, anno ſuperiore narrat explicaſſe libros de Finibus: cœperat enim conſilium, ut alternis annis, modo Ciceronis orationes, modo ejuſdem Philoſophicos libros interpretaretur: *Itaque*, inquit in ea oratione Muretus, *primus, ut meminiſtis, annus in aliquot Verrinæ accuſationis librorum explicatione conſumptus eſt; ſecundo diſſidentes veterum de ſummo bono ſententias quinque libris expoſitas accurate perſecuti ſumus; tertium Catilinariæ ſibi orationes vindicarunt: hoc autem quarto, quem nunc felicibus ingredimur auſpiciis..... decrevi animos veſtros ipſa ſui cognitione paſcere &c.* Hæc menſe ajebat Octobri anno 1557. qui erat ex quo Venetias adierat quartus. Quare Manutius[4], quæ ad Tibullum, & Propertium ille ſcripſerat, admiratus; *Gratulor*, inquit, *tibi de iſta facultate, & eò magis, quod ſi locis impertitur gloria, novum decus accedet ad Italiam noſtram, in qua ſedem auctore atque auſpice me uno, ita locaſti, ut cogitare nihil prorſus de migratione videaris: nec vero ſecus debes; valde enim ad litterarum elegantiam, planeque ad omnem humanitatem tibi profuit hoc cœlum, e quo jam per quadriennium ſpiritus hauris*. Lambinus verò in litteris, quibus verſionem Ethicorum ad Nicomachum Turnonio dedicat a. d. XVII. Cal. Maji a. 1558. de Mureto ſcribit;

1 *Eſt etiam in prima vacua pagina manu Mureti adnotatum* VII. Cal. Novembr. anno 1577. ad tertiam horam noctis tonare cœpit, & quidem vehementer. 2 *ideſt Commentariis in* 1. *&* 2. *Rhetor. Ariſt. in libros* V. *de Finib. in oration. pro Dejotar. offic. &c.* 3 *edit. Comin. p. 34. tom. 1.* 4 *lib. 3. ep. 20.*

bit; *Cujus eloquentiam ac doctrinam quadriennium jam admirantur Venetiæ*.

10. Verùm eo tempore non Venetiis ſed Patavii erat Muretus; ut quadriennium illud nec exactum omnino ſit, nec ad illud uſque tempus pertigerit. Patavio enim Muretus eum Lambini laborem *purioris ac politioris Philoſophiæ ſtudioſis* commendat litteris datis Nonis Martii. Patavio quoque eodem anno Nonis Maji ſcholia in Tibullum ſua inſcribit Torquato Bembo Petri F., quibus alia ſcholia in Propertium adnectuntur, quæ Franciſco Gonzagæ dedicavit Kal. Sextil. item Commentarius in Catullum recognitus iterumque vulgatus. De his ſcholiis & Commentario Manutii epiſtolæ [1] ſæpe loquuntur; volebatque ab ipſo impetrare, ut longior aliquanto eſſet; pervincere tamen non potuit [2], ut quartum Propertii librum attingeret: quod quaſi excuſans Muretus hæc addidit in extremo; *Atque hæc in præſentia ſint ſatis: nam ut neque ultimum librum attingerem, & in ceteris eſſem reſtrictior, id mihi cauſſæ fuit, quod, & in hunc poetam, & in Tibullum, ſi quando aliquis mihi Deus ocium fecerit, juſtos commentarios paro*: quod nunquam executus eſt. De iiſdem ſcholiis Muretus ipſe in libris variarum lectionum. Cum Patavii eſſet Muretus, Manutius Venetiis, plurimæ inter utrumque litteræ commearunt, quibus ex αὐτογράφῳ noſtro diem omiſſam reſtituimus, cum de Manutio loqueremur. Poſt diſceſſum Venetiis, incidiſſe in morbum & febri laboraſſe Muretum, Alexander Juſtinianus litteris ad eum datis ſignificat. Sed jam morbo levabatur, & convaluiſſe cito videtur. Patavii ergo Muretus, non, ut Venetiis publice docebat, ſed privatim

1 *Vid. epiſt. Manut. lib. 3. epiſt.* 9. 10. 11. 12. 14. 15. 16. 17. 18. 20. 21. & 22. 2 *epiſt.* 10. Totuſne quartus liber ita mendoſus aut obſcurus eſt, nihil ut aſſequare, nihil ſcriptione dignum excogites? mihi non probabis &c.

vatim nobiles aliquot adoleſcentes erudiebat, quibuſcum vivebat. Occaſio hæc fuit, ut neſcio, quid rumoris adverſus Mureti famam diſſeminaretur; quod Mureto Lambinus indicavit; eique reſpondens Muretus, auctoribus valde ſuccenſet, indicatque ſe, ea calumnia, quæ Venetias etiam pervaſerat, valde conturbari; itaque parum aberat, quin aut in Græciam, aut in aliquas ſolas terras cogitaret. Atque hæc nimirum erat, aut acceſſerat alia cauſa, cur Manutius ſcriberet, quaſi cum eo deliberans; *De rebus tuis, quæ mihi mehercule magnæ curæ ſunt, conſilium dies afferet; animus certe meus fluctuat; ita multa in utramque partem occurrunt; placet conſtantia, ita, ſed ſi cum utilitate conjungatur: utilitatem porro non lucro magis, quam dignitate metiamur: quod tu quoque videris ſignificare in illo loco.* „*Vellem hic paullo ἐντιμώτερον vivere liceret*„. Sunt hæc Mureti poſtrema verba, ſive de fortuna, ſive de occupatione ſua conquerentis. Finem tamen fecit, accepta Cardinalis Hippolyti Eſtenſis conditione, quem Muretum, in familiam ſuam ſe ut cooptaret, expetiviſſe, diſcimus ex litteris Cardinalis ipſius, & Petri Morini. Conſilium hoc Mureti non omnino probaſſe Manutium, teſtis eſt ejus epiſtola [1], qua ſuadet, ut Muretus non modo tranquillitatis, ſed habeat etiam rationem conſtantiæ ſuæ, velitque Patavinam commorationem eſſe quam longiſſimam. Interea vero propoſitam Mureto fuiſſe aliam condicionem opimam, atque admodum honorificam, avide a multis, & ambitioſe petitam, quam, quia tuebatur officium, & Cardinali Eſtenſi promiſerat, rejecerit; ex eodem Manutio [2] habemus; item [3] neceſſe fuiſſe Mureto, veluti repentine diſcedere, & Ferrariam ſe conferre; in quo diſceſſu jacturam fecit rei familiaris. Cauſam ex litteris ipſis quas nos vulgamus perſpicere poſſumus; quod Cardinalis Eſtenſis vellet Muretum quamprimum eſſe apud ſe,

1 *lib.3. ep.24. Manut.* 2 *ibid. ep.25.* 3 *ibid. ep.26.*

ſe, ſuſpicatus fortaſſe, diem ducere, moraſque nectere minus neceſſarias. Antea vero id percupiviſſe Muretum, & ad facilius impetrandum, monitu amici ſui Petri Morini, litteras commendatitias impetraſſe a Cardinali Turnonio, litteræ jam editæ [1] declarant. Sed in conditionibus fortaſſe erat quod Mureto non placeret, aut expoſitum diſertius vellet. Idem autem Muretus [2] narrat, juſſum a Turnonio *præciſe & ſine ulla exceptione* ſe Eſtenſi dedere. Neſcio vero ad quem pertineat Lambini illud ſcribentis [3] Mureto; Turnonii familiares omnes comiteſque lætari, illum tendiculis, & plagis, quibus captabatur, extricatum eſſe; Turnonium ipſum probaſſe litteras ad eum ſcriptas; gaudere libertatem ei homini non commiſiſſe, qui illum cupide primum & honorifice accerſiviſſet, deinde faſtidioſe excluſiſſet, poſt, mutato iterum conſilio, revocaſſet. Et bene quidem Mureto ceſſit, quando Eſtenſis ſui liberalitate ac benignitate in ejus familia ac domo ocium nactus eſt, *& plurimum, & honeſtiſſimum*, quod nulla alia re quam litterarum, & bonarum artium tractatione conſumeret; ut Muretus ipſe, cum libros ſuos variarum lectionum ei dedicaret, publice profeſſus eſt; addens eam præcipue cauſam Cardinalem ipſum commoviſſe, ut aditum ſibi ad familiaritatem illius ultro patefaceret, quod ea ſtudia a puero excoluerat; atque eumdem etiam affirmaſſe ſæpe, nullum ſibi a Mureto genus obſequii præſtari poſſe jucundius, quam ſi omne tempus poneret in litteris, & litterarum fructum aliquem cum aliis communicaret, quod & ei ornamento, & aliis uſui, & ſibi oblectationi eſſe poſſet. Ita ergo cum viveret Muretus, ut ſe tanto beneficio gratum exhiberet, opus hoc variarum

 le-

1 *edit. Brut. pag. 380. lib. 1. ep. 2. Mur.* 2 *edit. Brut. pag. 391. lib. 1. ep. 6. Muret.* Quando vir clariſs. Card. Turnonius præciſe, & ſine ulla exceptione jubet, ut dedam me Hippolyto Eſtenſi Card. Ferrarienſi, geram ei morem σὺν Θεῷ. 3 *edit. Brut. pag. 382.*

lectionum ipſi dedicavit. Opus tamen quod emiſſum tunc eſt continet tantum libros VIII. editum *Venetiis ex officina Jordani Zilleti a.* MDLIX. Hoc diſcedentem Venetiis reliquiſſe ſe apud Sixtum Medicem, ſcribit Manutio Muretus [1]; idque ibi Manutius ſe reperiſſe dicit, mirifice illud extollens [2]. Litteris quibus opus dedicat Cardinali Eſtenſi dies adſcriptus non eſt in editis; adſcripſit tamen exemplo ſuo, quod nos habemus, Muretus *Kal. Maji* 1559. *Ferrariæ*: itaque Ferrariæ jam erat apud Eſtenſem eo die; imo ibidem jam fuiſſe Idib. Februarii, Manutii litteræ noſtræ demonſtrant. His octo lectionum libris acceſſere alii poſtea, nimirum a. 1580. a Plantino libri editi ſunt univerſim XV. totidemque rurſus ab eodem Plantino anno 1586. atque eodem anno Pariſiis *apud Thomam Brumennium*. Andreas Schottus libros alios reliquos IV. edendos curavit, editique ſunt anno 1606. [3]; ita ut omnes ſint XIX. quot in *lampade* Gruteriana [4] repræſentantur, & nos in codd. Mureti ipſius mss. habemus; & in Veronenſi editione (ubi tamen poſtremi IV. ſeparatim poſiti inveniuntur) impreſſi ſunt. Quid autem ſibi curatores hujus editionis velint, cum ajunt eos libros expreſſos ad Pariſienſem editionem anni 1531. nemo, opinor, intelligit; nec dici potuiſſe jam Niceronus [5], & Freytag [6] monuerunt. Nos hic tantummodo animadvertimus, omiſſam in 4. poſtremis libris interpretationem Græcorum locorum, & in antiquiore editione factam eſſe VIII. librorum a Nicolao Nathanaelo Cretenſi, præmiſſa lectoribus epiſtola data Venetiis IX. Cal. Quinct. 1559. quæ quidem epiſtola in reliquis editionibus cum latine redditi ſunt alii loci prætermiſſa eſt. Atque hic ille eſt Nathanael, cujus Græcam epiſtolam ad Muretum in antiquiore editione epiſtola-

1 *lib.2. ep.10.* 2 *lib 3.ep.27.Manut.* 3 *Auguſtæ Vindelicorum.* 4 *tom.2. pag.807.* 5 Memoir. *tom.27. pag.168.* 6 *Appar. litter. tom.3. pag.673.*

ſtolarum hujus habemus [1], quæ pariter, cur in reliquis prætermiſſa ſit, equidem ignoro; & digna eſt, quæ vel ob Mureti laudes in hominem doctum effuſas, vel ob Nathanaelis memoriam, vel etiam ob ejuſdem elegantiam quamdam legatur.

II. Cum in Hippolyti Cardinalis familiam cooptatus eſſet Muretus, Romam eum aſſectatus eſt, ibique fuiſſe anno 1560. ex epiſtolarum inſcriptione liquet. Extant etiam inter Mureti orationes, duæ ad Pium IV. Pont. Max. habitæ eodem anno; prima, ut ei collatum Pontificatum gratularetur, nomine Franciſci II. Galliæ Regis, cum ob id etiam extra ordinem oratorem miſiſſet Franciſcus Joannem Babonem a Burdæſia, Epiſcopi Engoliſmenſis, qui conſueto oratoris munere pro eo fungebatur, fratrem; altera eadem de cauſa dicta poſtridie Id. Decembr. nomine Antonii Regis Navarræ: Sunt autem antiquioris editionis [2], & Aldinæ [3] IV. & V, recentioris Veronenſis, & Cominianæ V. & VI. Primam etiam vidimus ſeparatim editam hoc titulo; *M. Antonii Mureti ad Pium IV. Pont. Max. oratio Franciſci II. Galliæ & Scotiæ Regis nomine habita Romæ Poſtridie Kalend. Maj. anno* MDLX [4]. Scripſit prætereà Muretus orationem pro Alfonſo II. Ferrariæ Duce; etſi, ut in titulo ipſo adnotatum reperio, non eſt ab eo habita [5]. Atque his nimirum annis, & Ferrarienſis Cardinalis ſui cauſa, conſecutus tandem eſt Muretus, quod vehementiſſime exoptaverat, in Galliam aditus ut pateret. Fatendum eſt enim, & teſtes ſunt Lambini litteræ [6], momordiſſe ejus animum hanc curam, quam auferre Lambinus curabat, etſi aliquantum negare Muretus videtur [7]. Cum ergo Pontificis Legatus in

 Gal-

1 *Pariſ.* 1580. *pag.* 61. 2 Venetiis apud Marcum Amadorum Bibliopolam Romanum a. 1571. 3 Venetiis a. 1575. apud Aldum. 4 Romæ apud Antonium Bladum Impreſſorem Cameralem a. 1560. 5 *Eſt vol.* 1. XVIII. *antiq. edit., recent.* XI. 6 *In collect. Brut. p.* 385. 7 *ibid. pag.* 388. *in particula Græce ſcripta.*

Gallias ſe conferret Cardinalis Eſtenſis, eum in Gallias ſectatus eſt Muretus. De anno mihi non convenit cum Menagio [1], & Niceronio [2]. Nam hi ad annum rejiciunt 1562. Liquere autem puto, accidiſſe anno ſuperiore. Et de Eſtenſi quidem Cardinali, vel conventus ille Poiſſiacus rem certam facit: aut enim eidem interfuit [3], aut in Galliam ſaltem pervenerat [4]. De Mureto vero teſtantur monumenta noſtra. Itaque ad Ciceronis Tuſculanas editas cum Turnebi commentario anno 1553. idem ſcripſit: *M. Antonius Muretus mihi emi Lutetiæ menſe Octobri* MDLXI. Manſiſſe ibidem conſequenti anno, eadem ſignificant: nam in libro Taciti edito a Gryphio a. 1542. legitur: *Emtus Lutetiæ a. 1562. menſe Jan. aſſibus* 12. In Aſconio Pediano edito Lugduni apud Joannem Tornesium a. 1551. *Emtus Lutetiæ poſtridie Id. Martii anno* 1562. In Nicolai Leonici Thomæi libro de varia hiſtoria: *Muretus emi Lutetiæ Idibus Maji a.* 1562. In Gallicis vero Annalibus Gildes adnotatum eſt; *Donnè à Marc Antoine de Muret par Gabriel Buon à Paris* 1562. Sed de hoc anno luculentum teſtimonium extat in Philippicis Ciceronis, quas ex vetuſtiſſimo libro emendatas ex Italia Muretus attulit in Gallias, & Adriano Turnebo dedicavit litteris datis *Lutetiæ Idib. Mart. anno* MDLXII. [5], quas ſic exorditur; *Cum ex Italia octavo poſt anno in Galliam mihi eſſe redeundum viderem &c.* Atque hic fortaſſe locus in errorem induxit Menagium, ut ad hunc annum rejiceret Mureti reditum in Galliam; ſive alius in Gulielmi Canteri epiſtola [6] ſcripta *Francofurti nundinis autumnalibus anni* MDLXIV. in

qua

1 *tom. 1. pag. 344.* 2 *l. all. pag 150.* 3 *Non adfuiſſe initio Hippolytum, narrat Spondanus ad a. 1561. n. 16. Eo intervallo, quod inter publicos, & privatos aliquos conventus interfuit, perveniſſe Hippolytum in Regis aulam Daniel ad h. a. Vide Raynaldum ad a. 1561. n. 93. Pallavicinum hiſt. Conc. Trident. lib. 15. cap. 14. quoſque hi teſtes producunt.*

4 *V. tom. 3.* Delle lettere di Principi *Venet. edit. a. 1581. pag. 231.*

5 *extant lib. 3. ep. 18. Muret.* 6 *ibid. ep. 42.*

qua revocat Mureto in mentem conſuetudinem ſuam, & convictum cum Aurato; *Cujus ego*, inquit, *convictu, cum tu annos duos in Galliam veniſſes, fruebar*. Sed contra illa teſtimonia, exigui hæc momenti ſunt; quæ etiam facile explicantur, ſi, quod ſæpe fit in rationibus ineundis, extrema includantur, aut excludantur: atque ita ab a. 1554. ad 1561. octo anni ſunt; ab anno 1562. ad 1564. biennium; niſi mavis Canterum, *veniſſe* Muretum in Gallias dicere totum id tempus, quo in Gallia fuit. Hoc Gallicæ commorationis tempore epiſtolas IV.[1] habemus ſcriptas Jacobo Canano Medico; ex quarum prima, afflictum eum novimus octiduum febri tertiana duplici, & ſanguinis miſſione curatum; ſecum habuiſſe præter alios, qui eum juvatent, Hieronymum Lippomanum; aliquid illi negotii fuiſſe in Gallia, in votis tamen habere Italiam: itaque illa ſcripſit; *Equidem negare non poſſum, quin tanto deſiderio mihi ſit Italia, quanto fortaſſe nemini noſtrum*: quod deſiderium pariter altera epiſtola declarat; *O mi Canane, qui tandem finis hujus tam moleſtæ peregrinationis futurus eſt? Quando erit, ut ad Eridani, aut, quod malim, ad Tiberis ripam inambulantes concinere poſſimus illud Euripidis „ Suavis eſt laborum præteritorum memoria „*! Romanum domicilium tunc deſideraſſe, & amaſſe poſtea multis in locis ſignificavit: atque in *Synonymia Geographica* Ortelii ſcripſit manu ſua, Catullianos verſus æmulatus:

Me grato complexa ſinu tenet aurea Roma,
Roma virum & virtutum omnium amica domus.

Hujus Gallicæ commorationis tempore dediſſe operam Bartholomæo Ferro, ut Theologiam diſceret, inſequenti epiſtola narrat; *Unum me male habet*, ait, *Theologi abſentia, quem deſidero & ut diſcipulum Magiſter, & ut Magiſtrum diſcipulus; operas enim permutare inter nos cœperamus, ut ego*

[1] *ibid. ep. 26. 27. 28. & 29.*

ego eum Græcas litteras, ipſe me Theologiam doceret. Multa in his epiſtolis de rebus geſtis eorum temporum narrat, quæ nil attinet hic afferre.

12. Dicemus nunc de annis 1563. 1564. 1565. & 1566. quos quidem annos ideo conjungimus, quod Romam rediens Muretus omnes eos poſuit in uno eodemque munere tradendæ Moralis, ut vocant, Philoſophiæ. Quamquam horum primi, ideſt 1563. partem aliquam vixiſſe Lutetiæ, teſtem dabo ipſum Muretum, qui in Syneſio Græce edito a Turnebo ſcripſit: *Emtus Lutetiæ menſe Januario a.* 1563. & in libro Hiſtoriæ Æthiopicæ Heliodori: *Muretus mihi emi Lutetiæ anno* MDLXIII. Sed eodem anno repetiviſſe Romam, & cœpiſſe publice explicare Ethicos Ariſtotelis libros, ejuſdem libri noſtri clamant. Extat enim in collegii hujus Romani Bibliotheca Ariſtotelis *Ethica ad Nicomachum* ex recenſione Petri Victorii edita Florentiæ apud Junctas a. 1560. Huic libro puris inſertis ſoliis explicationem ſuam Muretus adſcripſit, præmiſſa hujuſmodi adnotatiuncula; *Incœpi explicare hos libros Romæ* XVI. *die menſis Novembr. a.* MDLXIII. *Pii IV. Pontificis Maximi juſſu*. Atque eodem die orationem habuiſſe, eam quæ nunc ordine VII. numeratur, olim III., ex ejus titulo conſtat, qui nunc ei præpoſitus eſt. Hæc trium illarum, quas diximus Alexio Paganuccio dedicatas, poſtrema, impreſſa eſt anno 1564., ſubjectumque habet in fine *habita* XVI. *Kal. Decembr.* 1563. in fronte vero libri, ubi hæ tres orationes indicantur; *Tertia cum ejuſdem Pontificis* (Pii IV.) *juſſu Ariſtotelis libros de moribus publice interpretaturus eſſet*: quod ipſe etiam ſub extremum orationis ejus profitetur; uti etiam in ſequenti oratione, quam altero muneris ſui anno habuit. Qui de *Gymnaſio Romano* non multis ab hinc annis ſcripſit, P. Joſeph Carafa, inter Philoſophiæ Moralis Doctores numerans Muretum, narrat [1], eum do-

1 *pag.* 336.

docuiſſe ſtipendiò aureorum centum. Conſequentibus annis alias habuit orationes, anno 1564. VII. Id. Novembr. cum veniſſet ad eam partem, in qua de temperantia agitur: anno 1565. Poſtrid. Non. Mart. cum interpretaturus eſſet v. librum; demum anno eodem XVI. Id. Nov. cum ad VI. librum perveniſſet. Hoc pariter anno librum v. verſum a ſe latine dedicavit Auditoribus ſuis præfixa epiſtola data Kal. Martii. Liber hic, ita uti dixi, latinus ab eo factus, editus eſt ad calcem voluminis primi orationum in antiquioribus editionibus, ideſt a. 1571. & 1575. Verùm ſeorſum etiam editum habeo Romæ *apud Antonium Bladum Impreſſorem Cameralem a.* MDLXV. qui quidem liber, cum manu Mureti ipſius adnotationes emendationeſque aliquas contineat, non erit credo injucundum, unam aliquam earum videre, ut quantum accuratus eſſet in verbis Muretus, poſſimus æſtimare. In epiſtola Auditoribus ſuis, cum legeretur de Ariſtotele & Cicerone: *neque quicquam tam diſſitum ſit, quam eorum inter ſe dicendi genus*; Muretus, inducto verbo *diſſitum*, ſubſtituit *diverſum*; in editis nunc ab anno 1571. repoſitum eſt *diſſimile*. Sed brevis hic Mureti labor (iis præſertim, qui interpretationis alicujus experimentum nullum fecerunt) videri poſſit, ſi cum ceteris conferatur; iis dico, quos illuſtrandis explicandiſque illis omnibus decem Ethicorum libris vir doctus impendit. Editi ſunt poſtea hi commentarii Ingolſtadii anno 1602.[1] cum aliis quibuſdam Mureti Philologicis; narratque is, qui illos edidit, perituros eos fuiſſe, *niſi illa Andreas Schottus Soc. Jeſu Mureti admirator ex ſparſis ſchediaſmatis, quorum multa ipſius Mureti manu exarata erant, collegiſſet, theſaurique loco conſervaſſet*. Latuere videlicet virum diligentem theſauri noſtri. Nam illa (exceptis dumtaxat pauculis aliquot lacunis) Mureti manu deſcripta habemus omnia, & Græco Ariſtoteleo tex-

1 Apud Adamum Sartorium.

textui, quem explicabat, inſerta, ex quibus multa etiam correctius exhiberi poſſent, ſicui hæc iterum vulgare placeret. Atque hinc nimirum intelligimus, verum id eſſe, quod poſtrema harum orationum, quas modo appellavimus, affirmat Muretus Auditoribus ſuis: *At nos quidem ſcitis, vix ullum præceptum tradere ſolitos eſſe, quin ei illuſtrando repetitam ex Græca Romanaque hiſtoria exemplorum lucem adhibeamus*; rurſumque: *Nos vero ex optimis utriuſque linguæ Poetis pulcherrima quæque libantes, perpetuò diſputationes noſtras ejus quaſi ſalis aſperſione condimus*. Poſtremo horum annorum, ideſt 1566. nova laborum acceſſio facta eſt Mureto, cum VII. Id. Januar. Pontifex Romanus factus eſſet Pius V., ſcribendarum ſcilicet orationum nomine Principum, qui novo Pontifici legationem deſtinabant. Habuit autem earum unam [1] pro Alfonſo II. Duce Ferrariæ, alteram [2] pro Carolo IX. Rege Galliæ, tertiam (quæ tamen pertinet ad ſequentem annum) pro Sigiſmundo Rege Poloniæ: denique in adverſariis Mureti invenimus nos orationem aliam, ſive orationis potius fragmentum manu Mureti ipſius ſcriptum, nomine Pauli Foxii: eratque adſcripta nota temporis 13. *Aug. hora* XI., opinor, quo ſcribere eam incœperat: pertinere autem puto ad annum, de quo diximus, 1566. De altera harum orationum, hæc Muretus Sacrato [3]; *Habui eam nudiuſtertius* (ſcribebat verò IV. Id. Octobr. 1566.) *tanta omnium approbatione, quanta mihi nunquam contigerat*. His, quos diximus, annis Romæ diverſabatur Muretus: itaque falſa eſt inſcriptio in litteris Errico Memmio [4] Lutetiæ *A. d.* XVIII. *Cal. Novembr. a.* 1564. nec

1 *Eſt in antiq. edit.* XIX. *in recent.* XII. *Vidi & ſeparatim editam hoc titulo*: M. Antonii Mureti ad Pium V. Pont. Max. oratio Illuſtriſſimi, & excellentiſſimi Principis Alfonſi II. Ferrariæ Ducis nomine habita Romæ V. Cal. Quinctiles anno MDLXVI. Romæ apud Julium Bolanum de Accoltis in banchis in via Paulina a. 1566. 2 *in antiq. edit.* XVI. *in recent.* XX.
3 *lib.* 4. *ep.* 15. 4 *edit. Pariſ. pag.* 98.

nec tamen ita fuit Romæ aſſiduus, ut pedem nunquam extra Urbis pomœria efferret. Tibur enim ſubinde divertebat, ubi Ferrarienſis Cardinalis magnificentiſſimam villam extruxerat. Itaque in Terentii Comœdiis a Faerno recognitis adſcripſit: *Hunc librum Vincentius Laureus M. Antonio Mureto dono dedit Tibure* MDLXV. *menſe Sept.* Tibure etiam ſcribit Petro Perpiniano [1] XVI. Cal. Septembr. 1564. de profectionibus duabus ſuis Romam intra paucos dies.

13. Anno 1567. munus docendi Philoſophiæ genus illud fructuoſiſſimum, quod ad mores pertinet, Muretus commutavit, tractatione ſuſcepta Juris civilis. Miror, inter ejus Profeſſores Romanos præteritum eum fuiſſe a Cl. Caraſa: etſi alibi Pandectas illum explicaſſe narravit. Numerant verò Muretum inter egregios Juriſconſultos facultatis hujus peritiſſimi, laudantque ejus conſilium, conatuſque in Juriſprudentia cum politioribus artibus, & antiquitatis cognitione concilianda. Unum hic eorum producam Everardum Ottonem, qui producturus Mureti opuſcula quædam Juridica poſt alia quædam Henrici a Suerint, ſcribit [2]: *Proximum locum tenent M. Antonii Mureti hilarioris nominis ſcripta quotquot edidit Juridica, ut obſervationum liber ſingularis, tum commentarius ad Pomponium de Origine juris, necnon ad titulos Pandectarum, de legibus, de juriſdictione, & de officio ejus, cui mandata eſt juriſdictio. Muretus quidem in Philoſophis, Hiſtoricis, Oratoribus, & Poetis, qua Græcis, qua Latinis enarrandis vel emendandis totus fuit, ac tum Venetiis, tum Romæ juventutem ad dicendum inſtituit, nec quiſquam niſi hoſpes in litteris, quam ſingularis illius viri infucatis deprehendendis, & genuinis eruendis fuerit ſagacitas, ignorat. Non vulgarem tamen operam ſimul impendit ſtudio Juris civilis, ac Pandectas e ſuperiore loco in Gymnaſio Romano, magna Auditorum frequentia, per quadriennium interpretatus eſt. Neque enim*

1 *lib 2. ep. 39.* 2 *In Præfat. tomi IV. Theſauri Juris Romani.*

enim cum ceteris e trivio Magiſtellis in Gloſſatorum ſterquiliniis habitare pulchrum ducebat, ſed novo prorſus, atque ad eam diem ibi inaudito more, ad ipſos naturæ, & civilis prudentiæ fontes adiit, unde omnia juris principia ducuntur; tum quoque omnem veteris Reip. cognitionem, & antiquitatis monumenta cum Latini ſermonis elegantia conjunxit: ſatis certus, cujus civitatis quis neque linguam teneat, neque formam, leges, mores, inſtituta cognoverit, ejus jus civile non poſſe ab eo, quamlibet ingenioſus ſit, commode explicari. Subjicit deinde in eamdem ſententiam locum ex ejus epiſtola ad Odiſcalcum [1], & quædam in his ipſis Juridicis operibus notat. Cogitabat vero Muretus edere multo plura. Nam cum æſtivis menſibus Tibur ſecederet, in eo ſeceſſu novi ſemper aliquid edolabat, ut idem ſcribit Odiſcalco: cœperat vero conſilium, ea quæ e *ſuperiore loco dixerat*, ideſt in Gymnaſio Romano explicarat, *in publicum emittere*, quoniam multos id cupere videbat, ut ipſe pariter in dedicatione commentarii ad IV. titulos digeſtorum ſignificat Idib. Sept. a. 1580. Nihil vero emiſſum eſt, quod ſciam, præter ea, quæ Otto numeravit, & *notas* quaſdam ad libros IV. Inſtitutionum Juſtiniani [2]. Cum vero hoc anno Muretus Pandectas interpretari inciperet, habuit orationem [3], qua eloquentiam ceteraſque diſciplinas, nequaquam eſſe ab Juriſprudentiæ ſtudio ſejungendas, contendit. Habitam arbitror (nam diem appoſitam non invenio) ſub finem anni hujus; & Muretum annum ſequentem 1568. totum in Pandectis explicandis exegiſſe. Pœnituiſſe tamen hominem ſuſcepti muneris poſtea, videtur; voluit enim ſe illo abdicare. Atque ita conſilium ſuum conſiliique cauſam explicat initio orationis [4] habitæ Prid Cal. Martii anno 1569.: *Nam in hoc publi-*

1 *lib.2. ep.85.* 2 *Memorat hunc librum Auguſtinus Fontana P. 1. Bibl. Legal. pag. 703. editum Lugduni a. 1602.* 3 *Antiqu. edit.* VIII. *recent.* XV. 4 *Antiqu. edit.* IX. *recent.* XVI.

publice docendi munere quinquennium jam cum aliqua hominum approbatione verſatus, eo me, ut ſcitis, ſuperioribus menſibus ſponte abdicaveram ... jamque totus in eo eram, ut me non languori quidem ac deſidiæ dederem, qui ſemper ignavorum vitam mortemque juxta æſtimaſſem, ſed ad eas artes mecum recolendas ac celebrandas referrem, quibus uſque a puero deditus fui, & ad mandandas litteris cogitationes quaſdam meas, quibus efficerem, conarer quidem certe, ut quod mihi otium Hippolyti Cardinalis Ferrarienſis, ſtudiorum ac fortunarum mearum patroni, ſumma liberalitate conceditur, ejus aliquis fructus non ad præſentes modo, & eos qui nunc ſunt, ſed & nunc ad externos, & olim ad poſteros perveniret. Addit poſtea, admirari ſe Cardinalium beneficentiam; qui, cum alii ultro publicum illud docendi munus depoſcerent, conferre ſibi illud voluerint, libueritque ipſis, ſe *alia jam omnia cogitantem, etiam cum aliqua ad vetus honorarium acceſſione revocare, quam in locum ſuum aliquem ex iis ſufficere, ac ſubſtituere, qui id in beneficii loco petebant*. Quinquennium, quo publice ſe docuiſſe affirmat, repetendum eſt a XVI. Kal. Decembris a. 1563. quo die cœpit Ethicorum libros explicare. Itaque videtur muneri ſe abdicaſſe menſe Novembri a 1568. Præter vero eam cauſam, quam indicavit, celebrandarum recolendarumque earum artium, quibus a puero inſueverat, aliam puto fuiſſe, malevolorum quorumdam atque invidorum hominum obtrectationes. Etenim in epiſtola illa Odiſcalco hæc habet: *Nondum audiiſſe te puto, me hic Pandectas publice interpretari, non ſine aliqua moleſtia eorum, qui nollent configi oculos cornicibus, & „ Quæ juvenes didicere, ſenes perdenda fateri „*: & poſtea in dedicatione commentarii ad titulos digeſtorum, ubi reſtitutam Juris civilis ſcientiam narravit a doctiſſimis eruditiſſimiſque viris: *Quorum*, inquit, *ego veſtigia pro virium mearum modulo perſequens, totum illud quadriennium, quo libros digeſtorum in* hac

hac urbe interpretatus ſum, dedi equidem operam, ut quotidie plurima iſtorum, qui tanti in vulgus fierent, ac fœdiſſima errata detegerem, & ingenioſorum adoleſcentium animos ad meliora converterem; effeciſſemque omnino aliquid, niſi hominum nudari ſubſellia ſua, & cornicum oculos configi dolentium conqueſtiones obſtitiſſent. Ex quo quidem poſtremo loco habemus (quod alibi etiam idem prodit) quadriennium totum in Jure civili tradendo, explicandiſque Pandectis poſuiſſe: quamobrem ab extremo anno 1567. ad extremum 1571. eo munere perfunctus eſt. Atque hoc intervallo a. 1569. Prid. Non. Novembr. Orationem habuit, cum inciperet interpretari titulum *De Pactis*; explicans rationem ac viam, qua tradenda eſſet Juriſprudentia: item anno 1571. Poſtrid. Non. Novembr. cum ad titulum *De Judiciis* perveniſſet, de Judicum auctoritate atque officio. Cum vero celebre illud prælium commiſſum eſſet, quod nobiliſſima victoria de Turcarum gente ad Naupactum ſecuta eſt, pro qua ſolemni modo rituque gratiæ Deo Romæ actæ ſunt; illo pariter anno Idib. Decembr. dixit de hoc argumento Muretus in æde ſacra B. Mariæ Capitolina, ſive, ut vulgo nuncupant, *de Ara cœli*, tanto concurſu hominum, quantum ipſe non facile crediſſet; ut idem ſcribit Paulo Sacrato [1]. De editione vero ejus orationis, addit in eadem epiſtola: *Quamvis autem res erat nihili, tamen ita multi quotidie petebant, deſcribendi ſibi poteſtatem fieri, ut ſatius viſum ſit, ſemel quicquid eſſet librariis permittere: præſertim cum Magiſtratus Populi Romani judicarent, id ad ipſius Populi dignitatem pertinere*. Eadem eſt Italice verſa, & ſic etiam typis Romanis [2] commiſſa.

1 *lib. 2. ep. 22.* 2 *hoc titulo*: Oratione di M. Antonio Mureto dottore e cittadino Romano recitata per ordine del Popolo Romano dopo 'l ritorno in Roma de l' Illuſtriſſimo, & Eccellentiſſimo Sig. Marc'Antonio Colonna da la feliciſſima vittoria di mare contra Turchi, tradotta di latino in volgare, *verſaque pagina additur*; Fu recitata nella Chieſa di s. Maria in Araceli in Campidoglio a' lì 13. di Decembre 1571. *Edita & ſeparatim Latine eodem titulo Latino*.

miſſa. Non præteribo hoc loco, quod ad Mureti nominis celebritatem pertinet; amicitia junctum eum fuiſſe cum Martino Navarro, celeberrimo horum temporum Theologiæ, Juriſque Pontificii doctore; Itaque in exemplo edito ejus Apologiæ de Redditibus Eccleſiaſticis ſcriptum invenio Mureti manu: *M. Antonii Mureti, dono Auctoris Romæ menſe Novembri a* 1571.

14. Anno 1572. Muretum Jus civile non vulgari via, ideſt barbaro impolitoque genere dicendi, quodque a Philoſophis, ſive Poetis, ſive aliis, præter Juriſconſultos, ornamenta reſpueret, tradere ingreſſum, & *in opere inſtitutoque pulcherrimo quartum jam annum* (ut ejus verbis utar) *magna auditorum frequentia, magna animi contentione verſantem*, Cardinales in medio curſu inſiſtere, aliudque munus ſuſcipere coegerunt. Ita ipſe initio orationis, quam Nonis Novembr. habuit; qui & continuò iſta ſubdit: *Nam cum homo eruditiſſimus, qui tradendis eloquentiæ præceptis in hac urbe conſenuerat, & afflicta valetudine, & ipſa jam ætate otium ac quietem poſtulante, miſſionem a vobis honeſtiſſimam poſtulaſſet, nec ei facile ſucceſſor idoneus reperiri poſſe videretur; mihi potiſſimum mandandam eſſe ab eo derelictam provinciam, cenſuiſtis*. Quis ille fuerit homo eruditiſſimus, cui nunc Muretus ſucceſſerit, fateor me neſcire: atque hæc dumtaxat legi in Cl. Carafa ſcribente de Mureto [1]: *M. Antonius Muretus Lemovicenſis inſignis Juriſconſultus, Philoſophus, Orator, Poeta, primùm docuit in patria, Venetiiſque, mox a Card. Hippolyto Eſtenſi Romam vocatus, docuit in ſcholis Urbis Philoſophiam Moralem, tum Pandectas, denique anno* 1576. *ſub Gregorio XIII. Rhetoricam hora veſpertina, ſtipendio aureorum quingentorum, ſimul cum Camotio, & Correa Profeſſoribus matutinis, & a. D.* 1582. *ſtipendio aureorum ſeptingentorum*. Non credo, hæc omnia convenire poſſe cum

[1] *pag.* 318.

iis, quæ ſunt a nobis antea conſtituta: nec tamen dictorum pœnitet. Illud de 700. ſcutorum atque amplius ſtipendio confirmat in funebri oratione Bencius. Nam ubi narravit, Muretum a Polonorum Rege Bathoreo cupidiſſime expetitum, accerſitumque ampliſſimis præmiis in Poloniam; retentum vero a Gregorio XIII. tum ſua ſponte, tum Romanorum Magiſtratuum admonitu: *qui Mureto*, inquit, *ipſi aliquot ante annis ultro detulerant jus Romanæ civitatis*; ſubdit: *Qua etiam ratione effectum eſt, ut tantum ſtipendium decerneretur homini ampliſſimo, quantum haud ſcio, an unquam antea nemini*. Sed rem magis expreſſe, magis etiam luculenter Muretus ipſe reſpondens Zamoſcio, qui in Poloniam Regis ſui nomine eum invitaverat, declarat; præter opinionem ſcilicet ſuam accidiſſe, ut cum ad iter ſe accingeret, ſubitò oſtenderit Gregorius Pontifex, eius profectionem ſibi non placere, monendumque curaſſe, ex Urbe ne diſcederet, ſibi curæ fore, ut ne in Urbe deteriore conditione eſſet, quam quæ illi in Polonia deferretur: *Quin etiam* (ait Muretus) *ad quingentorum aureorum ſtipendium, quod mihi jampridem conſtitutum erat, ſtatim ducentos adjici juſſit, mandavitque Datario ſuo, primo quoque tempore quoquomodo efficeret, ut aliunde mihi trecenti aurei nummi quotannis penderentur*. De civitate Romana, quam Mureto collatam aliquot ante annos Bencius dicebat, hoc unum habeo, non ſolum eo anno, quo cum Zamoſcio de itinere ſuo egit (id. anno 1577.) ſed anno 1572. quo orationem habuit in funere Pii V, civem Romanum in ejus titulo dici; imo anno ſuperiori 1571. cum *S. P. Q. R. mandatu* in reditu ad Urbem M. Antonii Columnæ dixit: quæ fortaſſe collatæ civitatis occaſio fuit. Hoc credo dicere voluiſſe eos, qui in litteris, quas vulgamus, *Equitem Romanum* appellavere; niſi illud ſit, quod in rationibus ſuis adnotavit de s. Pauli, ut dicitur, *Cavalierato* ab eo empto. Quod de Cardinalibus etiam

etiam ajebat Muretus, qui aliud ei munus, aliamque interpretationem tradiderunt; eos nimirum ſignificat, qui Romanæ Academiæ præerant; quoſque alibi [1] *ſummos viros* appellat, *quorum auctoritate atque imperio omnium ſtudia diriguntur*: atque ibidem (annus erat 1573.) ſignificat, eos fuiſſe Cardinales IV. Jo. Moronum ſacri Collegii Decanum, Aloyſium Cornelium Camerarium, Gulielmum Sirletum, & Franciſcum Alciatum; quibus eo anno Gregorius Pontifex Philippum Boncompagnum adjunxerat. Amiſit vero columen præſidiumque ſtudiorum ſuorum Muretus anno quem dicebamus 1572. Hippolytum Eſtenſem. In illo variarum ſuarum lectionum exemplo impreſſo, quo utebatur, multaque addidit manu ſua, poſt epiſtolam eorum librorum nuncupatoriam eidem Cardinali, hæc habet: *Hippolytus Cardinalis Ferrarienſis die Martis* 2. *menſis Decembris anno Domini* MDLXXII. *exceſſit e vita paullo ante horam viceſimam. Requieſcat in pace. Natus erat, ut ſæpe ex ipſo audivi, die* 25. *menſis Auguſti anno* MDIX. *Ego domi ipſius vixi annos quatuordecim ipſos, ab eoque ſemper acceptus ſum lautiſſime, & liberaliſſime*: ἐλπίδες ἀνθρώπων ἐλαφραὶ θεαί. Eumdem alias ſæpius laudaverat; atque idem fere in poſtremis variarum lectionum libris dixerat [2]. Cum ergo apud illum

 Mure-

1 *Orat. antiqu. edit.* 13. *recent.* 23.

2 *lib.* 16. *cap.* 4. Sæpe mihi obſervatur ante oculos Hippolytus Card. Ferrarienſis; ſæpe etiam dormiens cogito; & magna cauſa eſt, cur id facere debeam. Primus ille fortunarum mearum, quantulæ illæ tandem cumque ſunt, auctor atque inceptor fuit. Quindecim annos, & eo amplius, cum eo familiariſſime vixi; cum optimus, & humaniſſimus Princeps ſua mecum graviſſimis de rebus conſilia ſæpenumero communicaret; nonnumquam etiam eodem plane modo, quo Magiſtri diſcipulorum ingenia interrogando experiri ſolent, meam ſuper eis ſententiam exquireret; a ſe interdum diſſentientem æquo animo ferret, errantem amantiſſime redargueret, multarumque rerum ad vitam pertinentium, pro ſingulari prudentia, qua præditus erat, admoneret. Præcipue autem cum Tibur ſeceſſeramus, ubi ille quotannis æſtivos menſes tranſigere ſolebat, nullus fere abi-

Muretus, & in Gallia, & Ferrariæ, & Romæ eſſet, hinc ſolemnes illæ litterarum ad Muretum inſcriptiones, quales Manutii, Giphanii, aliorumque vulgamus; *nella Corte dell' Illuſtriſſimo Cardinal di Ferrara. Roma*. Parentavit vero Patrono ſuo Muretus oratione habita in ejus funere III. Non. Decembr. Tibure, ut ex ipſa oratione liquet: quæ neſcio, qua de cauſa a Bencio in editione aliarum orationum prætermiſſa, illis acceſſit in editione Ingolſtadienſi [1].

15. Non pergam hic ſingulas ab eo ſcriptas habitaſque orationes recenſere: nam longum id foret, eaſque in editis Mureti operibus, & habendarum cauſſam, necnon tempus earumdem, videre quilibet per ſe facile poteſt. Dicam id univerſim; ſingulis ferme annis, binas eum, aut etiam plures habuiſſe, vel novis in dies ad illum delatis argumentis, vel exigente id munere prælectionum ſuarum, interpretandorumque veterum Scriptorum; quo munere, ut Bencius etiam adnotavit, ad annum uſque 1584. perfunctus eſt. Ad primum genus orationum pertinet funebris pro Pio V. quam eo ipſo anno editam vidi [2], in cujus averſa primæ paginæ facie præter Jo. Franciſci epigramma in Muretum, legitur; *Habita eſt in æde D. Petri in Vaticano* V. *Id. Maj.* 1572. & in fine orationis; *Pius V. Pont. Max. obiit Kal. Maj.* 1572. Cum vero novus Pontifex factus eſſet Gregorius XIII. ad eumdem habuit orationem pro Rege Galliæ, cum ad novum Pontificem ſalutandum propriam legationem deſtinaſſet, miſiſſetque Nicolaum Rambolleti Caroli Cardinalis fratrem, Præfectum cuſtodiarum ſuarum. Edita eſt hæc oratio una cum aliis Oratorum aliorum

re abibat dies, quin per ſtudiorum ſpeciem, aliis omnibus excluſis, horas aliquot una jucundiſſimis ſermonibus conſumeremus. *Vide & Mureti carmen inſcriptum* Tibur. 1 *Anno 1600. pag. 193. rejecta vero eſt in vol. 2. orat. 25. recent. edit.* 2 *Patavii apud Robertum Mejetum Pauli F. a. 1572. nunc eſt vol. 1. xx. item in antiquior.*

rum anno 1573.[1]. Alterius generis Muretus habuit multas, eaſque ad bonarum artium inſtitutiones, & veteres Scriptores intelligendos utiliſſimas. Atque animadvertendum hoc loco eſſe duco, bina quotannis fuiſſe initia prælectionum, Martio menſe, ac menſe Novembri: atque has poſtremas auſpicatum poſt *quadrimeſtre tempus*, ut idem ſignificat oratione, qua in Salluſtium præfatus eſt[2]; & ad III. Taciti librum[3] *ſolemnem quatuor menſium vacationem* appellat. Reliquos ergo menſes prælectionibus aſſignatos in partes duas diſpeſcere ſolebat, & ſingulis ſpatiis ſuum Auctorem explicandum aſſignare, ad quem præfandi aliquid inſtitutum ſuum ſervabat. Ita anno 1574. IV. Cal. Martii Platonis librum alterum de Rep. explicare aggreſſus eſt[4], habita oratione: iterum vero dixit III. Non. Novembris, cum Ciceronis libros de Officiis explanaturus eſſet[5]. Aliquando tamen in ejuſdem Scriptoris explicatione pergebat; nec omittebat tamen in eumdem publice præfari. Ita anno 1576. libros Rhetoricorum Ariſtotelis habuit in manibus, propoſuitque auditoribus ſuis, atque orationes duas habuit, alteram poſtridie Non. Mart.[6]; alteram 7 Non. Novemb. atque his anno ſequenti addidit tertiam[8] cum librum II. auſpicaturus eſſet. Quamquam, ſi vere loqui volumus; neſcio, an hæc poſtrema, quam dixi, orationum numero haberi debeat, & meritò recenſita cum illis ſit in novis editionibus; item ceteræ eodem modo e Mureti commentariis abſciſſæ, atque divulſæ. Non enim aut id voluiſſe Muretus ipſe videtur cum a. 1571. orationes primùm ederet ſuas[9], aut cum reliquas Bencius Mureto mortuo vulgaret.

 Sed

1 *Hoc tit.* Orationes pro Regibus & Principibus obedientiam præſtantibus ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum. Romæ apud Hæredes Antonii Bladii 1573. 2 *Vol. 2. antiq. edit. 9. recent.* 13. 3 *orat.* 18. *vol.* 2. 4 *Vol. 2. orat. 2. antiq. edit. recent.* 5. 5 *Ib.* 5. *vel* 6. 6 *vol. 2. orat. 6. antiq. ed. recent.* 8. 7 *Ibid. ſequ.* 8 *Vol.* 2. *orat.* 11. *recent. edit.* 9 *Hanc eſſe editionem primam colliges ex lib. 4. ep.* 20.

Sed qui Mureti opera poſtea ediderunt, cum pluſquam ceteri, feciſſe videri vellent, eaque reddere copioſiora, prooemiola quædam, aut partes commentariorum magis eleganter & copioſe ſcriptas, orationum nomine ornarunt. Ita orationem VII. *vol.* 2. e commentariis Mureti.[1] expreſſerunt; orationem X. ex iis, quæ ibidem in fine eorum commentariorum habentur: XI. indidem pariter hauſerunt[2]; XXI. & XXII. ex commentario in Ethicam Ariſtotelis[3]. Atque hoc plane modo quantumlibet augere orationum numerum poſſemus. Quæro enim; quid deeſt prooemio illi, quo explicans caput 6. libri III. Ethicorum de fortitudine diſſerit, ut in orationum harum numerum veniat? Quid? cum in explicatione capitis II. libri II. multa de ratione philoſophandi, ac de voluptatum illecebra eloquenter elegantiſſimeque interſerit: nonne ex his quoque exiſtere una, aut altera oratio poſſit? Jam vero in variis ipſis lectionibus prooemiola iſta, & quaſi diverticula ſunt tam multa, ut tertium quoddam orationum volumen, ſi quis ea ex illis abſcindat, repente ſit exstiturum. Sed non ferret æquo animo id, opinor, ſi viveret, qui ea diſtincta ab orationibus ſuis eſſe voluit, & cum reliquo corpore partes licet venuſtiores, & quaſi coloratiores remanere. Itaque illa ſi quis orationum loco haberi velit, quod ſint politiſſime atque elegantiſſime ſcripta, & numeroſior quam in ſermone quotidiano, & liquidior fluat oratio: habeat per me licet; a ceteris tamen orationibus, quæ ad coronam dictæ ſunt, ſejuncta atque diſtincta eſſe patiatur. Eſt præterea aliud, quod in hanc rem moneam, doctus a Mureti libris; orationes quaſdam ita proponi, quaſi pars earum aliqua a Mureto ſcripta, vel etiam dicendo omiſſa deſideretur; ut, quam Muretus dixit anno 1573. cum Platonis libros de optimo Reip.

1 *Comment. ad Rhet. Ariſt. edit. Ingolſtad. pag.* 252. 2 *Ib. pag.* 110.
3 *pag.* 35. & 36. *alt. tom. ibidem edit.*

Reip. ſtatu, & libros Ciceronis de Finibus ſuſcepit explicandos [1]: repræſentatur enim hac nota in fine adjecta; *Reliqua deſiderantur*. Thomaſius, quem ceteri ſecuti ſunt, hoc de oratione illa judicium tulit; *Deſiderantur hic argumenta reliqua pro ſententia eorum, qui quæſtionem Platonis in his libris præcipuam eſſe de Rep. cenſent; neque ultra dicendo progreſſus ipſe videtur Muretus. Cetera enim, quæ propoſuerat, rejecit in ſequens proœmium*. Nolim contendere de eo cum erudito illo viro. Hoc tamen affirmare poſſum; in adverſariis Mureti orationem iſtam ita ut edita eſt inveniri; atque hæc ſubjungi: *Sequitur ergo, ut vera ſit. Alterum argumentum ex principio Timæi, ubi Socrates ipſe ſummatim & cet. Tertium ex quinto de Legibus, ubi de tr ibus* πολιτείαις. *Itaque illam primam quæſtionem* περὶ δικαίȣ *eſſe tantum* ἔμβασιν εἰς τὴν περὶ τῆς ἀρίϛης πολιτείας. *Audiſtis utrorumque argumenta. Nunc quid vere de hac quæſtione dici poſſit, cognoſcite: utrique recte dicunt. Nam* σκοπὸς *eſt &c.* Reliqua, ut in illo proœmio. Sub litura tamen poſt ea verba; *Audiſtis utrorumque argumenta*, hæc ſunt; *Quid autem hac de re ſtatuendum ſit, tradam die Sabbati: nam cras quidem, & cet.* Itaque in hanc adducor opinionem, ut exiſtimem (quod ex collatione aliarum orationum mihi quidem planum eſt,) Muretum promptiſſimo hominem ingenio atque eloquentia admirabili, ita tunc dixiſſe, ut ad temporis atque auditorum, qui intereſſent, adjuncta ſibi reſervaret ſtatuere; utrum longius ad ea explicanda procederet, an tunc abrumperet orationem, & ſcholæ inſequentis diei cetera relinqueret. Sunt ejuſdem generis aliæ multæ orationes; ut quam a. 1576. præmiſit explicationi Ariſtotelis de arte dicendi. Eam enim, non quod mutila ſit, ſed quod eam producere, aut abrumpere ad auditorum

[1] *Vol. 2. orat. 4. in antiqu. edit. 1.*

coronam Muretus reſervaret, habemus manu ipſius una cum commentario in eos Ariſtotelis libros.

16. De his, aliiſque Commentariis, ſive Philologicis Mureti operibus uberior hic campus dicendi pateret, niſi longius provecti eſſemus: multa enim elucubravit his annis; nec ullum fere veterem Scriptorem induxit in ſcholam, quem a librariorum mendis non liberaret, vel luculento etiam commentario non ornaret, vel non interpretaretur Latine, ſi Græce loqueretur. Interpretatus autem eſt (ſi complecti velimus omnes ſuperioribus etiam annis explicatos) præter librum v. Ethicorum ad Nicomachum, & ſeptimum Topicorum cum Alexandri Aphrodiſienſis commentario, de quibus diximus; ſecundum Rhetoricorum, quem anno 1577. Georgio Gozzio dedicavit [1]; poſt primum etiam, amboſque impreſſos nuncupavit Id. Februar. a. 1585. Franciſco Bencio [2] epiſtola, quæ inter familiares Mureti ipſius relata eſt [3]: Suſcepiſſe vero ſe alibi [4] ſcribit hunc laborem *in gratiam piorum quorumdam & eruditorum hominum e Sodalitate Jeſu*; *qui*, inquit, *pro auctoritate, qua plurimum apud me valent, egerunt mecum, ut id munus ſuſciperem, quod interpretationem, qua in ſcholis ſuis uterentur, reperire ſe ullam negarent*. Quis vero in hoc æque faſtidioſo ac perdifficili interpretandi opere (quod quale ſit nemo, qui experiendo non didicerit, intelligere unquam poteſt) fuerit Muretus, ſi quis aveat cognoſcere; peritiſſimum dabo harum rerum æſtimatorem Petrum Huetium, qui in libro altero *de Interpretatione*, qui eſt de claris Interpretibus, his annumerat Muretum, ac de eo hæc, poſtquam nominavit Lambinum: *Non minus quidem ornatus M.*

Anto-

1 *Hoc tit.* Ariſtotelis de Arte dicendi liber ſecundus M. Antonio Mureto Interprete. Romæ apud Hæredes Antonii Bladii Impreſſores Camerales. Anno MDLXXVII. *in* 4. 2 Ariſtotelis Rhetoricorum libri duo M. Antonio Mureto Interprete. Romæ apud Bartholomæum Graſſum MDLXXXV. 3 *lib.* 2. *ep.* 98. 4 *lib.* 4. *ep.* 73.

Antonius Muretus, ſed religioſus magis, nec caſtitati minus, quam elegantiæ aſſervit; nec ſententiam modo exprimit, ſed genus ipſum dicendi, quoad licet, imitatur. Quod ſi plura in eo genere elaboraſſet, inter multos Interpretes prope ſingularis extitiſſet: ſed tantum detraxit ex gloria, quantum ex eo ſtudio decerpſit. Editos emendatoſque ab eo diximus veteres Scriptores Terentium, Catullum, Tibullum, Propertium, Horatium; idem fecit in Philippicis Ciceronis, in Tacito, & Seneca. Taciti tamen librum dumtaxat ſecundum ab eo vivo emiſſum vidi hoc titulo; *C. Cornelii Taciti Annalium ab exceſſu D. Auguſti uſque ad imperium Galbæ liber ſecundus a M. Antonio Mureto emendatus. Romæ ex typographia Vincentii Accoltii* 1581. Habemus vero editi libri hujus in Mureti bibliotheca exempla duo, in quorum uno, in vacuis paginis multis huic libro aſſutis, adnotationes ſuas ille conſcripſit: imo in Taciti primis libris quinque (quot in Germania eruditi homines inventos Leoni X. attulerunt, & Leo Beroaldo *Academiæ Romanæ præpoſito* [1] recognoſcendos edendoſque dedit) idem fecit Muretus, ut hujus Scriptoris emendationes adſcriberet margini libri, & in ſepoſitis paginis adnotata multa, quæ perpetui commentarii loco eſſe poſſunt. Edidit hos, Mureto mortuo, Schottus [2]. Meminit commentarii hujus Fabricius [3], & Funccius [4]. In Senecæ ſingulari libro *De Providentia* emendando primum

1 *Ita ſe ipſe vocat, cum Leoni hos libros dedicat*; Philippus Beroaldus Junior Academiæ Romanæ Præpoſitus; *& modum, quo inventi ſunt, narrat*; *Vide Fabricium Bibl Lat. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21. *Funccium* de Immin. Seneƈt. L. I. *pag.* 593. 2 Marci Antonii Mureti Presbyteri & Civis Romani commentarii in quinque libros Annalium Cornelii Taciti. Ejuſdem in Salluſtium notæ. Acceſſit Anonymi facula Georgio Codino Curopalatæ accenſa. Omnia nunc primum in lucem prolata A. 1604. Ingolſtadii ex Typographia Adami Sartorii. *In ep. ded.* Andreas Schottus Antuerpianus Soc. Jeſu Sac. qui pleraque opera Mureti necdum in lucem edita poſt exceſſum Auctoris ex ipſius adverſariis eruit, & ut conſervarentur, effecit. 3 *L. all. pag.* 471. *edit. Hamb.* 1721. 4 *L. all.*

mum laboravit Muretus, eumque emiſit anno 1575. hac inſcriptione; *L. Annæi Senecæ De Providentia liber ſingularis emendatus a M. Antonio Mureto J. C. ad veteris libri fidem* [1]. Exemplum ipſum habemus, quo in explicando uſus eſt, quod præter ſcholia in eum librum edita, habet adnotationes multas ſcriptas Mureti manu, & prælectionem quam dixit publice III. Non. Jun. 1575. (ut ibidem Muretus adnotavit) primæ vacuæ paginæ adſcriptam: quod item in ceteris ejus libris, quibus ad explicandum utebatur, videmus. Poſtremis vitæ ſuæ annis ad Senecam totum emendandum & explicandum adjecit animum; cui labori eſt immortuus. Non omittam hoc loco, quo de emendatis reſtitutiſque a Mureto veteribus Scriptoribus agitur; nos illi debere lacunam ſatis grandem in Athenæo ſuppletam. Locus Athenæi non integer, ſed mutilus, adjecta nota λείπει reperitur in editione Aldina anni 1514. [2], in Baſileenſi Valderi [3] &c. Atque in hac poſtrema, in exemplo quod fuit Mureti, deleta nota illa, ſcripſit in margine Muretus: *Poſt vocem δαψιλῶς deſiderantur multo plurima, quæ deſcripſi ex ... in chartis, quæ ſunt ante varias lectiones meas.* Et in exemplo quidem lectionum ſuarum omnia illa, quæ in Athenæo deerant, deſcripta habemus. Illa vero edidit in lectionibus ſuis Canterus [4]; itaque ibidem præfatur: *Poſtremo hoc libelli hujus loco doctiſſimum pariter & amœniſſimum Athenæi Dipnoſophiſtæ* ἀποσπασμάτιον *quoddam collocabimus, eoque lacunam inſignem, quæ in hoc Scriptore fol.* 334. *editionis Germanicæ* (Valderi ſcil.) *magno cum omnium dolore hactenus inhæſit, ſupplebimus: iſtud autem fragmentum a M. Antonio Mureto, cum nuper ex Italia rediiſſet in Galliam, primum ad nos devenit, ut erat ab eo ex Vaticana Bibliotheca deſcriptum.* Hæc, quæ leguntur in editione prima

1 Romæ apud Joſephum de Angelis 1575. 2 *pag.* 291. 3 *pag.* 334. 4 *lib.* 3. *cap.* 11.

ma atque altera Baſileenſi *novarum lectionum* Canteri [1], neſcio cur ſint præterita in tertia Antuerpiana [2], ubi dumtaxat invenitur: *Iſtud autem fragmentum ex Italiæ bibliothecis primùm àd nos delatum &c.* Hoc tamen non reticuit [3] de Anaxandride in Lectionibus ſuis loquens Muretus; *cujus hi verſus citantur apud Athenæum in illa pulcherrima parte libri* xv. *quam a me Lutetiæ acceptam Gulielmus Canterus publicavit*: profeſſum idem eſt Canterus in epiſtola Mureto [4] ſcripta anno 1564. qua & librum lectionum ſuarum ſe illi miſiſſe ſignificat, quod nos habemus cum inſcriptione manu, ut opinor, Canteri ipſius *doctiſſimo viro Marco Antonio Mureto Gul. Canterus d. d.* In quam rem addam, verum non videri, quod ex Vaticana bibliotheca illud fragmentum deſcriptum dixit Canterus. Nam in hoc exemplo dono miſſo a Cantero *Vaticanæ* nomen Muretus induxit, ſubſtituitque in margine *Cardinalis Farneſii*. Alii libri ſunt, in quibus non Veteres modo auctores a librariorum mendis purgavit, atque integritati ſuæ reſtituit, ſed commentario in eos ſcripto explanavit. Nihil neceſſe eſt enumerare ſingulos, cum illos Ingolſtadienſis editio repræſentet [5] (etſi dolen-

1 Per Joannem Oporinum *pag.* 127. *pag.* 243. 2 Ex officina Chriſtophori Plantini *a.* 1571. *pag.* 201. 3 *lib.* 19. *cap.* 9. 4 *lib.* 2. *ep.* 42. *Mur.* Etſi ſatis audacter facere videor, vir doctiſſime, cum te litteris meis interpello; quoniam tamen hunc libellum proximis his menſibus edidi, putavi, me non ſatis ex officio facturum, niſi eum eumdem ad te mitterem, tum veniam a te rerum tuarum peterem. Etenim cum id, quo libellus noſter eſt exornatus maxime (Athenæi fragmentum dico) a te primum in manus noſtras devenerit, poſtquam tu eum Aurato noſtro communicaras, nemini hoc totum quidquid eſt, mitti debuit, quam tibi. *Fragmentum hoc ſuo loco reſtitutum legitur in edit. Lugdunenſi* 1612. *pag.* 674. *ad* 696. *&c. Muretus ubi Canterus e Vaticana ait deſcriptum* Vatic. *lineola.*

5 M. Ant. Mureti Presbyteri Commentarii in Ariſt. x. libros Ethicorum ad Nicomachum, & in Oeconomica. Ariſt. Topic. libri VII. & in eumdem Alexandri Aphrodiſienſis commentarii interpretatio. Comment. in I. & II. Platonis de Rep. Notæ in Cyropædiam, & *ἀνάβασιν* Xenophontis. An. 1602. Ingol-

dolendum videatur, nullam ex Italicis exhibere nobis omnes voluiſſe [1]:) Si quem vero omiſit, eum cum ceteris Mureti operibus diligenter Niceronus recenſuit. Addimus his, quæ nondum lucem vidiſſe credo, & in codicibus noſtris extant, Adnotationes ad I. & II. Politicorum Ariſtotelis, ad nonnullas epiſtolarum ad Atticum, ad II. Tuſculanam. Has, ceteraſque non ſolum emendatiſſime ſcriptas habemus Mureti manu, ſed diem etiam, quo eas elucubravit, aut auditoribus legit, præſignatam. Atque ita initio commentarii in Tuſculanam alteram *Poſtridie Nonas*: orationem, ſive procemium quoddam habuerat (ut in editis etiam legitur) *Non. Nov.* 1572. Commentario libri III. *de Officiis* præfigitur dies III. *Id. April.* 1575. Initio vero commentarii in Ariſtotelem de Arte dicendi, hunc præpoſuit titulum: ΕΝ ΟΝΟΜΑΤΙ ΙΗΣΟΥ ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΓΙΑΣ ΠΑΡΘΕΝΟΥ ΤΗΣ ΘΕΟΤΟΚΟΥ *cœpi hæc ſcribere Kal. Martiis* MDLXXVI. *Romæ*. Initio commentarii in Salluſtium III. *Non. Mart.* 1579. *Feliciter*: orationem habuerat II. Nonas: itaque diem hic atque alibi, non quo ſcripſerit, ſed quo illa dicenda erant in Schola, conſignatum puto. Sic initio commentarii epiſtolarum ad Atticum *Non. Novemb.* Præfatus publice fuerat Prid. Non. Nov. 1582. Hoc etiam modo ſæpius ibi dies adſcribitur, ubi non initium eſt novi commentarii, ſed prælectionem, credo, ſuam abrumpere coactus eſt. Nam ad partem Commentarii in librum alterum Platonis de Rep. *τίς ἂν ἡ παιδεία*, in edit. Ingolſtadienſi *pag.* 717. adſcripſit XXII. *die Maji* 1573. *εὐτυχῶς*. In Commentario verò Taciti identidem *Non. Nov.*

Ingolſtadii excudebat Adam Sartorius. *Alio tomo* Verſio & Comment. in I. & II. Rhetor. Ariſt. in I. Quæſt. Tuſc. Notæ in tres libros de Offic. in quinque de Finibus, & in Orat. pro Dejotaro. Commentar. in Catilinar. Ciceron. *Ibid.* 1602. *De Tacito, Salluſtio &c ſuperius. Alibi alia*. Annotationes in Petronii Arbitri Satyricon Helenopoli 1610

1 *Editionis Veronenſis non vidi niſi tomos 5. quinto autem pauca ex his continentur.*

Nov. IX. *Januarii* 1581. III. *Id. Febr. Cal. Martii* 1582. *Feliciter liber* IV. Valerent hæc ad cognoſcendos prælectionum ſingularum dies. Utiliora eſſe arbitror adnotata alia quædam ad libros, ſive codd. ſuos. In Platone Græce edito a Valdero, & adnotationibus ſuis inſperſo ſcripſit: *Paulus Manutius amicorum meorum in Italia antiquiſſimus & optimus ad meliorem, ut ſpero, vitam a Deo vocatus eſt poſtridie Nonas Apriles* 1574. *Romæ*. In libris Ariſtot. de Rep. a Sepulveda verſis: *Anno* 1574. *Coſmus Medices Magnus Dux Etruriæ obiit Florentiæ* XI. *Cal. Martii anno ætatis ſuæ* LV. In lectionibus Canteri: *Gulielmus Canterus obiit* XVIII. *die menſis Maj* MDLXXV. *in Aurora*. In libris Rhetoricorum Ariſt. Græcis editis a Victorio: *Anno* 1577. VIII. *die menſis Novembris viſus eſt Romæ a me & ab aliis innumerabilibus ingens Cometes, qui ferebatur a meridie in occaſum; dicebatur conſtitutus inter Capricornum & Aquarium, elatus a terra cum maxime* 15. *gradibus, poſtea ternos gradus ſingulis noctibus attollebatur: oriebatur incipiente nocte, occidebat ante horam noctis ſecundam; cœpit poſtea multo tardius occidere, ſed magis ac magis attollebatur*. In Luciano Græce edito ab Aldo: *Nicolaus Majoranus Epiſcopus Melfitanus narravit mihi, Theodorum Gazam interrogatum, quis Scriptor legendus eſſet Græcam linguam diſcere incipientibus, reſpondiſſe, Lucianum: quis ubi mediocres in ea progreſſum feciſſent, Lucianum: quis ubi jam eam perfecte didiciſſent, Lucianum. Romæ* III. *Cal. Febr.* MDLXX. Ibidem hi ſunt adſcripti verſus, quibus, credo, rem quæ ſibi contigerit, narrat:

Si verbis morbi poſſent expelli foras,
Nemo me hodie unus viveret ſalubrior:
Ita in medicum loquacem atque argutum incidi;
Sed, qui ubi loquendo totum contrivit diem,
Hoc lucrifacio, quæ prius dolebant, dolent,
Quæ non dolebant, aures & caput dolent.

Ita,

I tu, & quære mihi medicum mutum, Phania,
Qui nutu aut ſcripto quid agere debeam imperet,
Non qui loquacitate me enicet ſua,
Medicus loquax ægroto morbus alter eſt.

17. Sed ſi omnia quæcumque adſcribit referre hic voluero, ero infinitus. Itaque pauca tantum, quæ ad Muretum ipſum pertinent, hic referre duco. Et primò cum rationes etiam dati & accepti hic aliquando conſignet; videmus, ſi non copioſus fuit, nequaquam fuiſſe egentem [1]; deinde Geometricis & Arithmeticis delectatum, ex Schemati·us colligimus, & Problematibus quibusdam *Dati numeri partes aliquotas invenire &c.* Id ad intelligendum Platonem retuliſſe videtur. Nam eodem loco: *numerus Platonicus 6 de Legibus* 5040. & inventis diviſoribus, diſpoſitiſque in columna quadam, adnotat: *Eſt autem jucundum ſcitu, quod hi omnes numeri, ſi multiplicentur aſſidue præcedens per ſubſequentem, producunt propoſitum numerum.... Remoto igitur primo numero poſtremæ lineæ tertii ordinis, propterea quod eſt idem cum eo de quo quæritur; conſtat, veriſſimum eſſe quod ait Plato, hunc numerum habere* 58. διαιρομάς. *Hanc regulam docuit me eruditiſſimus & humaniſſimus P. Chriſtophorus Clavius Pabergenſis e Sodalitate Jeſu Romæ* IV. *Id. Mart.* 1578. Πολλὴ αὐτῷ τῆσδε τῆς εὐεργεσίας χάρις ὑπ᾽ αὐτοῦ τοῦ Ἰησοῦ ἀνταποδιδόσθω. Sed præ ceteris refer-

1 *Ita ab eo ante commentarium ad librum de Finibus ſcriptum invenio:* Fui fatto Cavaliero di S. Paolo al fin d' Ottobre del 1572: mi coſtò in tutto 1120. Δ. Ha fruttato il primo anno compreſa ogni coſa 171 Δ ½. Alli 9. di Decembre 1574. vendei il mio cavalierato di S. Paolo a Mr. Girolamo Pier Mattei de' .... per mille dugento novanta cinque d. in oro, & comperai un cubicolariato alla Dataria, che mi coſtò fra la prima compera e la compoſitione due mila & cento ſcudi d' oro in oro. Vendei il cubicolariato alli 12. di Dec. 1582. per il prezzo di Δ 2240. d' oro in oro, e di più dieci di moneta: & queſto feci per comprar la caſa dalli frati di S. Euſebio. Scudierato &c. *Hinc in ep. Meliſſo ſe* in cubiculariis Apoſtolicis, & militibus SS. Petri & Pauli *eſſe ſignificat*.

referri hic debet, quod in fine commentarii ad libros Cic. de Finibus Muretus adnotavit: V. *Cal. Junii* MDLXXVI. *vovi Deo, me nunquam poſthac interfuturum ulli profano ſpectaculo*. Atque hinc nimirum ſanctioris illius vitæ repetendum intervallum videtur, quam aliquot ante obitum ſuum annis capeſſiviſſe, Bencius docet: *Novem jam ſunt anni* (ait in funebri oratione anno 1585.) *cum ſacris eſt initiatus M. Antonius Muretus, ac Sacerdos factus: ex quo tempore tam ſæpe, tam religioſe, tam ſancte fecit rem divinam, ut inter ſacrificandum nec lacrymas teneret ipſe, & eaſdem etiam audientibus excuteret*. Neceſſe vero fuit tacere Bencio, quod ad ipſius laudem pertinebat, eum Mureto ad hoc vitæ genus capeſſendum adjutorem impulſoremque fuiſſe. Itaque *patris* nomine donatur a Mureto, licet eſſet ætate multo inferior, & ſub eo annis VII. [1] litteris operam dediſſet. In libris Variarum lectionum ſuis editionis Plantinianæ 1580. ſcripſit Muretus: *M. Antonius Muretus Franciſco Bencio, quem patrem mihi an filium juſtius vocem, conſtituere non poſſum, dono dedi*. Expreſſius vero in epiſtola, qua illi verſionem ſuam Rhetoricorum Ariſtotelis dedicavit. Nam ubi quid a ſe in illum profectum ſit, expoſuit; ideſt, *quod multos ab hinc annos efflorеſcentem* (ait) *ingenii tui vim admiratus, ducem me tibi ad eas artes præbui, in quibus poſtea Dei ope & induſtria tua fretus, eos progreſſus feciſti, ut in te jampridem & eximia dicendi vis, & minime vulgaris eruditio uno omnium ore celebretur*: addit de meritis in ſe Bencii: *At ego, niſi prorſus ingratum haberi me velim, quæ quantaque tibi a me deberi agnoſcam neceſſe eſt? Tu me primus tanto adoleſcentior tanto ſeniorem humana contemnere, & pleno gradu ad Divina properare docuiſti; cum in ipſo vernantis ætatis flore, poſthabitis voluptatibus, ambitione depoſita, reje-*

1 *In Epicedio* .... te quando hyemes certo ordine ſeptem Studii inexpletum diſcens.

rejectis aliis omnibus curis, in iſtam te ſanctiſſimam, & orbi terrarum fructuoſiſſimam hominum Cultui divino mancipatorum Sodalitatem contuliſti; cum in ſuſcepto ſemel conſilio tam conſtanter perſtitiſti, neque ceſſiſti illorum vocibus, qui cum in Collegiis veſtris educati eſſent, & illic didiciſſent iſtud neſcio quid quod jactant litterarum, a quo ipſi Ordine flagitioſe deſciverant, in eum ne nomen dares abſterrere conabantur: in quem tu ſemel admiſſus ita vitam inſtituiſti, ut facile declaraveris, non illum cæcum quemdam, ut ipſi mentiebantur, ac temerarium impetum, ſed divini Numinis inſtinctum atque afflatum fuiſſe ſecutum; & ut ad ea redeam, quæ ad me proprie pertinent, nunquam ex illo conſiliis, præceptis, cohortationibus juvare me, & faces ac ſtimulos animo meo ad pietatem ſubdere deſtitiſti: merito igitur ita te amo, & ut patrem filius, & ut filium pater; his enim nos, quæ maxima ſunt, caritatis vinculis bonitas divina copulavit. Addit J. Nicius Erythræus, ab eo tempore relictis profanis Scriptoribus conſueviſſe tempus omne impendere in divinarum Litterarum, earumque interpretum lectione. Id facere omnino vetabat publicum docendi munus, & Senecæ opera ab eo poſtea emendata falſum docent. Id tamen interpretor de iis Scriptoribus, ex quibus delectatio potius quædam, quam ad animum bonis moribus informandum, utilitas peti ſolet. Itaque de ſe ipſe prodit in poſtremis variarum lectionum libris [1], quos his annis ſcripſiſſe puto [2]: *Repueraſcere me cogit amor in meos. Itaque qui jampridem & Comœdias, & cetera ludicra poſueram, ut graviora, & huic ætati convenientiora curarem, nunc ut conſulam ſtudiis M. Antonii, qui natura fratris mei filius eſt, caritate & benevolentia meus, Terentium amores olim ac delicias meas ſumo interdum in manus, ejuſ-*

1 *Lib. 16. cap. 3.* 2 *lib. 13. cap. 12.* Nuper *librum Seneca de Providentia interpretatum ſe eſſe dicit: illa ergo ſcribebat poſt annum* 1575. *nec a.* 1580. *cum edita ſunt, hos poſtremos libros confecerat.*

ejuſque fabulas cum optime ſpei puerulo, magna cum animi mei voluptate percurro.

18. Locus hic admonet, ut de Mureto hoc juniore aliquid dicam. Nec tamen de ejus anno natali ſolicite quærendum mihi eſſe duco: fateor enim conſtituere me illum non poſſe, cum patruus ei ſcribens Idibus Novembr. a. 1580. dicat: *Cum igitur pridie Kal. Januarii, qui dies tibi natalis eſt, congreſſurus ſis cum Deo propitio ac benevolente in annum ætatis tuæ decimum* [1], quæ verba annum deſignant 1571. diemque Prid. Cal. Jan. idemque in titulo Græcarum ſententiarum, quas illi ſcripſerat eo anno, novennem puerum appellat. At in epitaphio: *Vixit ann.* XVI. *men.* V. *obiit Prid. Non. Oct.* 1586. [2], quæ nos ad annum alium ſuperiorem, menſemque alium ducunt. Cum vero adhuc puer patrem amiſiſſet, ſtatim poſt ejus obitum a M. Antonio patruo vocatus eſt Romam, ut in ſinu & complexu ſuo, quemadmodum ad eum poſtea ſcripſit [3], educaretur. Ut vero moribus informaretur optimis, elucubravit a. 1578. illi librum Muretus hoc titulo: *Inſtitutio puerilis ad M. Antonium fratris F.* quæ edita deinde eſt, adjectis adnotationibus Antonii Conſtantini [4]. Biennio poſt, id. a. 1580. ſententias quaſdam Græce ſcriptas eidem miſit, ut quod in latina lingua fecerat, ideſt ut illa imbueretur, idem experiretur in Græca. Primum bene ceſſiſſe, iiſdem litteris, quibus Græcas has ſententias mittit, Muretus teſtatur: ſed dubium eſſe non poteſt, idem in altero eveniſſe, patrui ejuſdem teſtimonio hæc ſcribentis [5]: *Non fraudabo gloriola ſua ſcito & eleganti præditum ingenio puerum M. Antonium fratris mei filium, qui hodie juſſus a me Xenophontis primum anabaſeos conferre cum interpretatione*

1 *Ita in edit. Romana* 1581. *apud Vincentium Accoltum, Ingolſtadienſi a.* 1600, *Cominiana &c.* 2 *Ita in editione orationum Ingolſtad.* 1600, *Cominiana &c.* 3 *ep. ante Inſtit. pueril.* 4 *Vid. edit.* 1584. *apud Accoltum, Ingolſtadienſem* 1600. *&c.* 5 *lib.* XVII. *var. lect. cap.* 20.

Romuli, cùm alia ſatis multa notavit ab interprete partim omiſſa, partim negligentius reddita, tum, quod animadverſione mihi dignum viſum eſt, cùm & inſigne ſit, neque ab optimo typographo, qui tamen in notandis Romuli erratis ſatis alioqui diligens fuit, animadverſum &c. Quamobrem verùm vaticinium fuit cùm patrui, tum Innocentii Giſcaferri in epiſtola Mureto huic juniori, cum ei ſententias Græce a patruo ſcriptas, & a ſe Latine factas mitteret: *Utinam*, inquit, *veniat aliquando tempus illud, cum ea videamus, quæ patruum de indole tua ſæpe vaticinantem audio* . . . , „ *nam te majoribus ire per altum Auſpiciis manifeſta fides* „. Brevi tamen hæ ſpes de optimo adoleſcente merito conceptæ exaruerunt, vix enim annum, & menſes paucos patruo ſuperſtes fuit, mortuus a. 1586. *immatura morte præreptus ſumma ſpe, & animi, & ingenii adoleſcens*, ut ait de eo Bencius [1], cui eum patruus moriens commendaverat [2]. Deceſſiſſe in *Seminario Romano* noſtro, cum ibidem vixiſſet menſes XVI. ab obitu, opinor, M. Antonii, monumenta, quæ mss. habemus [3], teſtantur, quæ etiam de ejus probitate atque innocentia teſtimonium dicunt. Et quoniam de verſibus fratris filio ſcriptis diximus, breviter hic de aliis carminibus ab eo elaboratis, & poetica Mureti facultate. Multa verſu ſcripſit Muretus, eaque multiplicis variique argumenti. Nam præter ea, quæ juvenis cum edidiſſet *Juvenilia* appella-

1 *in epiſt. dedic. vol. 1. orat.* 2 *in epiſt. dedic. Seneca.* 3 *In his hæc ſcripta invenimus:* Morì in queſt' anno (1586.) li 6. Ottobre M. Antonio Mureto. Queſto giovane venne di Francia in Roma, e ſtette in caſa di ſuo Zio, che mandò il Nipote alle noſtre ſcuole, e volle, che nel Collegio frequentaſſe le Congregationi. Morto il Zio, il Nipote per tenerſi più cuſtodito volle entrare nel Seminario Romano per Convittore. Vi viſſe 16. meſi, e vi ſi portò con ſomma lode di pietà e di prudenza. Sorpreſo da grave malattia morì avendo prima fatto teſtamento. Laſciava molte migliaja di ſcudi, acciò ſi poneſſero a cenſo; e i frutti in perpetuo ſerviſſero a Zitelle povere Franceſi eſiſtenti in Roma, che voleſſero monacarſi nel Monaſtero di s. Suſanna.

pellavit, ætate grandior librum vulgavit Hymnorum ſacrorum, quos in ipſo libri titulo teſtatur, ſe elucubraſſe juſſu Ducis Mantuæ[1]: addit quædam amicis ſcripta, Amatoria etiam nonnulla. Facta eſt altera Carminum editio a.1581.[2] (priorem enim Aldus curavit anno 1575.) in qua Carminum ordo immutatus, additi etiam Hymni nonnulli, ut *commune unius Confeſſoris Pontificis*, *commune unius Virginis*, *in feſto ss. Angelorum &c.* Præterea alia quædam Carmina ad Bencium, & Bencii ad Muretum; Pſalmi aliqui verſu redditi &c. Cum in his liberiora quædam Mureto ætate maturiori diſplicerent, ea ſunt in exemplo noſtro obelo confixa. Itaque in editione Carminum Colonienſi anno 1600., ut Mureti, credo, voluntati (etſi ætatem is ſuam obierat) fieret ſatis, omiſſa ſunt. Eodem anno cùm Ingolſtadii volumen alterum orationum vulgaretur, novuſque epiſtolarum liber, de vulgandis etiam novis Mureti Carminibus cogitatum eſt, quæ alteram voluminis illius partem occupat. Atque hinc nimirum in poſterioribus editionibus carmina Mureti in libros tribui cœpta, factuſque eſt liber ſecundus, additis his, quæ hæc editio repræſentabat. Fatendum eſt tamen, ſi pſalmos duos latino carmine expreſſos excipias, & carmina *de Cruce*, *ad B. Virginem templi ad Nives*, & *de Eccleſia gentium*, nihil inibi ineſſe, quod prius lucem non viderit: cetera enim omnia ex *Juvenilibus* deprompta ſunt; niſi forte diſtichon in inſignia Lucæ Sempronii. Itaque miror, aut adeo tunc in titulo ipſo commendata fuiſſe, aut in Cominiana editione, cum alia quædam ex Juvenilibus excerperentur, non eſſe cum his conjuncta. De ceteris editionibus Cominiana ipſa, Veronenſi, Thomaſiana nihil neceſſe eſt dicere, cum priores illæ Thomaſianam exprimant, adeo ut Veronenſis paucula quædam in Cominia-

1 *edit. Aldina a.1575.* 2 *Romæ ex officina Georgii Ferrarii.*

na addita [1] (præter excerpta ex Juvenilibus) neglexiſſe videtur. Recentiores hujuſmodi editiones Carminibus Mureti addunt etiam ejus Tragœdiam, quæ Julius Cæſar inſcribitur. Eamdem in Juvenilibus olim excuſam, reddidit etiam editio Ingolſtadienſis. Itaque verum non eſt, quod Auct. diſſertationis de operibus, & editionibus Mureti putavit, Thomaſio eam nos debere. Quod vero iidem Mureti verſibus, & Inſtitutioni puerili, Græciſque ſententiis Publii Syri Mimos adjunxerunt, ſecuti ſunt Ingolſtadienſem editionem, quæ alia aliorum ſolet operibus Mureti admiſcere : admiſcuit enim ejus Philologicis, alterius adnotationes in libellum Curopalatæ *de Officialibus Palatii Conſtantinopolitani &c.* quod nemo, opinor, probabit. Ceterum Muretus plurima alia verſu ſcripſit : atque aliqua quidem ipſe indicavit, ut [2] Hexametros Cardinali Turnonio, quos tamen non vidi ; alios nos pſalmos, hymnos, & varii argumenti carmina ejus habemus ; quæ, ne proferamus omnia, impedit ſummi viri nomen, & exiſtimatio, quam vix ſuſtinere poſſe videntur. Et de Mureti quidem poetica facultate, mire inter ſe diſcrepare video judicia hominum doctorum. Sunt, qui eam ita extollunt, ut negent quicquam fieri poſſe aut epigrammatis ejus elegantius, & Catullianis propius, ut Scævola Sammarthanus [3] ; aut Elegiis in Tibullo exprimendo felicius, ut Petrus Petitus [4] : denique Erythræus de eo affirmat, *& elegos, & odas, & epigrammata, & hymnos ad veterum poetarum elegantiam ſcripſiſſe* ; quod & de Mureto judicium eſſe videtur Hadriani Bailleti [5]. Contra alii relictum eum ab ardore illo, æſtuque animi putant, qui eſt poetarum proprius, utque Latine ſcriberet,

1 *tom.3.pag.305. Thomaſianum etiam ordinem alicubi commutavit. V.pag.53.* 2 *lib.8. var. lect. cap.1.* 3 *Elog. lib.3.* 4 *Obſervat. epiſtol.* 5 Jugem. *tom.4. pag.3. num.1333.*

ret, anguſtius, & magis anxie, quam poetæ debent, ſcripſiſſe [1]. Hæc judiciorum diſcrepantia, non tam ab hominum, qui de eo judicarunt, quam a carminum ipſorum diverſitate orta videtur; quæ, ut ingenue loquar, vix ex eadem vena videntur manare potuiſſe. De Gallicis ejus carminibus nihil attinet dicere: nonnihil enim in eo quoque genere laboravit, non admodum felici ſucceſſu, ut Bailleto videtur. Ea Niceronius recenſuit. Pœne præterieram *Carmen votivum ad Beatiſs. Virginem Dei Matrem, quæ religioſiſſime colitur in Æde Lauretana* (quod inter ejuſdem carmina in editionibus omnibus recenſetur) a. 1572. ſcripſiſſe, atque edidiſſe Muretum [2]: ex quo intelligimus, ſacram illam peregrinationem ab eo fuiſſe ſuſceptam; ait enim:

O cælo dilecta domus, poſteſque beati,
Quos ego jampridem tota mihi mente cupitos,
Nunc primum veteris voti reus advena viſo.

Cetera carmina ſi quis legat, pietatem videbit ſpirare omnia; ut etiam ante illud tempus, quo ſanctius vivendi genus complexum eum fuiſſe diximus, de ipſius vita honeſte atque integre tranſacta dubitare non poſſimus.

20. Cùm ita ergo Muretus ſenectuti fieret propior annos natus 59. anno 1584. *Quod jam ſibi vivere diceret velle, & perpolire, quæ habebat informata*, ut Bencius [3] ait, *affecta valetudine, & publice docendo feſſus*, miſſionem impetravit. Docuerat vero Romæ, eodem Bencio teſte, annos XXI. [4] ab a. 1563. quo, Gallico itinere abſoluto, cum Cardinali

1 *Rapin. reflex. ſur la Poetique num.* 30. Muret & Vide ont l'imagination trop bornée, & leur idée paroiſt contrainte par l'attachement trop ſcrupuleux qu' ils ont a la Latinité. *V. & Petit, item Thomaſium, & Jo. Checotium in Præfation. ad Muret.* 2 Romæ apud hæredes Antonil Bladii Impreſſores Camerales a. 1572. *In fine carminis* 11I. Kal. Apr. MDLXXII. *Eſt etiam epigramma Jo. Franciſci Ferrarii Mureto.* 3 *in epiſt. dedic. Seneca.*

4 *Ibid. Muretus ipſe a.* 1583. *orat. vol.* 1I. 20. *annos ait eſſe, ex quo publice Romæ docet.*

dinali Eſtenſi Urbem repetiverat ; univerſim vero , annos docuiſſe ferme XL. idem anno 1581.[1] publice teſtatus eſt ; quem numerum etſi tunc aliquanto fuiſſe arbitror majorem vero (quod *rotundo* , ut ajunt , uti mallet) , ſuperaſſe tamen poſtea , omnino videtur . Nec tamen publico illo onere ſolutus languori ſe totum aut otio dedit . Eo ipſo anno 1584. duas orationes habuit ; alteram Kal. Januarii de myſterio Circumciſionis[2] ; alteram IV. Cal. Junii in funere Pauli Foxii Archiepiſcopi Toloſani , & Regii Gallorum apud Pontificem Legati[3] ; cui ſe multum debere Muretus, quod ejus ingenio atque eloquentia plurimum delectaretur , velletque orationibus ipſius intereſſe , ſæpius teſtatus eſt[4] . Anno ſequenti , qui fuit Mureti vitæ poſtremus , dixit publice Muretus in æde s. Petri[5], cùm mortuo Gregorio XIII. Cardinales , novum Pontificem creaturi , conclave ingrederentur XI. Cal. Maji . Sed majus opus moliebatur Muretus , atque habebat in manibus ; ut Senecam totum emendaret ex antiquis codicibus , uno præſertim multæ ætatis , & fidei , Bibliothecæ Vaticanæ , quem ut deferret domum , eoque commode uteretur , interprete Cardinali Sirleto , jam a Gregorio Pontifice impetraverat : *Vix dum* tamen , ut Bencius teſtatur[6] , *abſolverat Naturales Quæſtiones , cùm a Deo* , inquit Bencius , *ut ſperamus* , *evocatus ad divina contemplanda , humana deſeruit* . Fidem facit , cùm anteacta vita laudabiliter ducta , tum mors pie obita . Idem Bencius nar-

1 *vol.2. orat.18.* 2 *vol.2. orat.1.* 3 *vol.2. orat.26.* **Editam** *vidi ſeorſum* : M. Antonii Mureti PR. R. oratio in funere Pauli Foxii Archiepiſcopi Toloſani Oratoris ad Gregorium XIII. Pont.Max., & ad Sedem Apoſtolicam regii , habita Romæ in æde s.Ludovici IV. Kal. Junii MDLXXXIV. Romæ ap. Franciſcum Zanettum 1584. 4 *vol.2. orat.18. & 19.* 5 *Habeo hujus orationis exempla duo diverſorum typorum ; primum* M. Antonii oratio habita ad Illuſtriſſimos , & Reverendiſſimos S. R. E. Cardinales ipſo die Paſchæ, cum ſubrogandi Pontificis cauſa Conclave ingreſſuri eſſent anno 1585. Romæ apud Franciſcum Zanettum 1585. *Alterum eodem titulo* Patavii apud Paulum Mejettum 1585. 6 *in epiſt. dedic. Senec.*

narrat [1], adeo non extimuiſſe mortem, ut ſecum ſæpe de ea, tamquam de migratione ex uno in alium locum, loqueretur; & cùm laboraret moleſto morbo, ac difficili pedum, jamjam ſibi eſſe cedendum domo, cujus jam laborent fundamenta, quaſi ludibundum dicere conſueviſſe. Addit effodere ſibi pectus memoriam illius diei, antequam obiret tertii, *quo*, ait, *cùm eſſet ſacroſanctum Chriſti corpus Chriſtiano more ſuſcepturus, omnibus qui eò convenerant præſentibus atque audientibus, longo exordio ſupplex veniam a familiaribus petiit, atque ut ſibi ignoſcerent poſtulavit; quod eo fecit animi ſenſu ac dolore, ut ex illo numero, qui a lacrimis temperaret, invenires neminem. Poſt quem diem toto eo tempore, quo potuit loqui, in magnis totius corporis doloribus illas modo voces interruptis ſuſpiriis, o Jeſu, o Deus, moribundus iterabat*. Vita functus eſt Muretus Prid. Non. Jun. Altero die, ideſt ipſis nonis, elatus eſt, laudatuſque funebri oratione a Franciſco Bencio coram Cardinalibus Nicolao de Pelleve Senonenſi, qui teſtamenti curator a Mureto fuerat nominatus, & Carolo a Lotharingia de Vaudemont. Idem in æde s. Trinitatis, quam vulgo nunc *de Montibus* appellamus, ad aram maximam eſt ſepultus, poſita inſcriptione, quam ſibi vivens ſcripſerat, *quæ*, ut ait Erythræus, *nihil veterum ſuperſtitionum, ut fit plerumque, oleat, ſed quæ pium, & Chriſtianum ejus animum in primis oſtendat* [2]. Effigies etiam oris ejus afficta atque ære inciſa, unde chartis exprimeretur. Unam habeo, ubi præter diſtichon, quod vulgo effigies ejus habent, eſt etiam epigramma, quod alii Bencio, alii Roſcio tribuunt. Verùm, ut ibi dicitur, ve-

1 *in orat. funeb.* 2 M. Antonius Muretus Lemovix. ad Dei miſericordiam obtinendam. piorum precibus adjuvari cupiens. corpus ſuum poſt mortem hoc loco ſepeliri juſſit. adtributis mille ſcutatis hujus. Monaſterii ſodalibus impoſitoque onere. perpetui anniverſarii. Nicolaus de Pelleve Card. Senonen. Teſtam. execut. poni mand. Vixit ann. LIX. menſ. II. obiit Prid. Non.

verior imago eſt ejus, quam ſcripti libri operaque viri docti nobis exhibuerunt; in quibus nemo non elegantiam, non ſponte fluentem orationem, blandeque & ſine fuco accinentem auribus admiratur. Quod quidem eò eſt etiam mirandum magis, quod, ut Bencius, qui ſeptem eum annos audiit, & familiariſſime cum illo vixit, teſtatur: *Nihil unquam bis ſcribebat Muretus, cùm tam multa ſcribebat; vix adeo bis legebat id ipſum quod ſcripſerat; raro interpolabat; non ſæpe mutabat aliquid, aut emendabat, rarius demebat, delebat: ita cùm uno quaſi tenore fluerent omnia, nihil niſi aptum & accomodatum ad manum mentemque veniebat*. Faciunt hujuſce rei fidem codices noſtri. Cùm enim pleraque ejus contineant, orationes, prælectiones, in Latinos Græcoſque Auctores commentarios; ea ferme nullas lituras habent; etſi adverſariis ſcripta & diſperſa huc illuc, & in librorum editorum primis puris paginis adnotata, ut appareat, tunc primum de iis ſcribendis cogitaſſe. Verùm optimorum auctorum diligenti lectione, & tractatione aſſidua fotum ingenium erat, ut non perveſtigare tunc cum ſcriberet, atque unde unde extrudere res ac ſententias deberet. Non ergo mirandum, tam multa aut tam varia ſcribere potuiſſe. Senecæ opera ex ſchedis ejus Bencius edidit, dedicavitque Cardinali Matthæo Contarello, ex mortui voluntate. Favebat enim Contarellus cùm maxime Mureto; eique viciſſim addictiſſimus erat Muretus, poſitis etiam *domi ſuæ*, ait idem Bencius, *quam emerat honeſtiſſimam*, *geminis* Cardinalis illius *inſignibus*.

21. Di-

Non. Jun. CIƆIƆLXXXV. *Poſtremam hanc notationem temporis adjectam poſtea nemo non intelligit. Subjungitur ibidem epitaphium fratris filio*: M. A. Mureto magni hujus Mureti. fratris filio ætate quidem & nominis celebrit. minori ſpe autem & expectatione prope pari. immatura morte prærepto. Ludovicus Rualdus Lemovix & M. Ant. Lanfrancus Veron. ejus teſtamento ad pias cauſas facto. ſcripti executores poſ. Vixit ann. XVI. men. V. obiit eid. Oct. Non. CIƆIƆLXXXVI.

21. Diſtulimus ad hunc locum de epiſtolis dicere, vel quas Muretus ſcripſit, vel quæ ad eum ab aliis miſſæ ſunt, quòd in his recenſendis præcipua pars operis hujus noſtri verſaretur. Epiſtolas Mureti aliquas, Lambino nimirum ſcriptas, ediderat inter epiſtolas clarorum virorum Jo. Michael Brutus a.1561. Deinde has ipſas cum Lambini, & Regii Epiſtolis editas vidimus Pariſiis a. 1579. additis epiſtolis nuncupatoriis ſive præfationibus Mureti in Juvenilia, in primum volumen orationum, in varias lectiones, Terentium, Horatium, Catullum, Tibullum, Propertium, Philippicas Ciceronis. Anno inſequenti 1580. ibidem editæ ſunt ſeorſum Mureti epiſtolæ hoc titulo: *M. Antonii Mureti J.C. ac civis Romani epiſtolæ. Pariſiis apud Michaelem Clopejau a.*1580. Sunt autem illæ, quæ in recentioribus editionibus operum Mureti (Veronenſem dico, & Patavinam Cominii) conjectæ ſunt in librum II. A.1600. Coloniæ Agrippinæ cum Mureti hymnis ſunt quoque ejuſdem epiſtolæ editæ, primùmque diſtributæ in libros duos, quorum primus ferme continet eaſdem, quas Pariſienſis editio, adjectis tantummodo quatuor: Alter præfationes ſive nuncupatorias epiſtolas jam ſimul collectas in Pariſienſi editione complectitur: itaque illudere voluiſſe videntur lectoribus, ſive allicere bonos emptores, cum in libri fronte poſuerunt; *editio ultima ab Auctore emendata, & integro epiſtolarum, præfationumque libro jam recens adaucta*. Fatendum tamen eſt, nonnullas acceſſiſſe epiſtolas, quæ in Pariſienſi non erant, & præfationes in v. Ethicorum Ariſtotelis, in Catilinarias omnes, & in titulos primos Pandectarum: licèt contra omiſſæ ſint præfationes in Terentium, & Horatium. Eodem anno 1600. Ingolſtadii apud Adamum Sartorium editum eſt orationum volumen alterum, adjecto, ut in fronte libri dicitur, *novo epiſtolarum libro*, M. Velſero magnam partem eas ſuppeditante. Sunt autem epiſtolæ illæ, quæ deinde in edit. Veronenſi,

nenſi, & Cominiana librum IV. compoſuerunt. Solum in his additur ultima Gozzio, quæ eſt nuncupatoria libri alterius Ariſtotelis de Rhetorica. Sunt tamen in recentioribus his editionibus libri hujus quarti, atque in libro Ingolſtadienſi epiſtolæ numero XCII. nam in Ingolſtadienſi turpiter erratum eſt bis poſita epiſtola eadem Bencio *num.* 90. & 91. Hos libros epiſtolarum tres complexus eſt Thomaſius in editione ſua, omiſſa tamen ultima Plantino, quod ea jam erat *num.* 79. poſita, additiſque duabus Fremioto, & Gozzio, quæ erant nuncupatoriæ quorumdam librorum, atque alia inſuper appendice ex litteris Sacrati. Atque hactenus belle ordo procedere videbatur; cum prima etiam omnium eſſet epiſtola Nicotio, atque hujus reſponſio, quibus epiſtolis de ipſis Mureti litteris agebatur. In Veronenſi & Comin. editione, ut auctior hæc epiſtolarum collectio prodiret, viſum eſt ex Bruti collectione excerpere, quæ ultro citroque miſſitaverant inter ſe Muretus, & Lambinus; non profecto incommode, niſi ordinem conturbaſſent. Nam cum has ceteris præmiſerint, quaſi commendare operam ſuam nova hac adjectione vellent, ſive temporum rationem habentes; & librum ex his primum effecerint; incogitanter poſtea, quaſi vetus ordo retentus librorum eſſet, ſic epiſtolas, ſicubi opus erat, nominarunt. Sic ad *ep.* 10. *libri* III. epiſtola 8. *libri* I. allegatur, quæ eſt II., ad *ep.* 98. *libri* II. citatur *epiſt.* 73. *libri* II. quæ eſt IV., ad *epiſt.* 45. *libri* II. epiſtola 5. *libri* II. quæ eſt III. &c. uti etiam *tomo* I. ad orationem pro Carolo IX. Rege Galliæ *liber* III. epiſtolarum ponitur, qui nominandus erat IV. Nos hic Mureti aliquas, quas lucem pleraſque primo videre arbitramur, edituri ſumus, multas verò, ut diximus, ad Muretum, eorum qui vel Mureti ipſius præconio, vel nominis ſui celebritate commendati ſunt. Extulimus vero ex Mureti Bibliotheca, quam toties diximus ad nos perveniſſe. Ne integra tamen pervenerit, mul-

tum

tum vereor. Inſtructiſſimam enim habuiſſe conſtat, quam laudatam a viris eruditiſſimis invenimus, atque *in indice ante Gratiani Decretum in Jure Canonico* Romæ Gregorio XIII. Pontifice emendato. Ceterum harum epiſtolarum, quæ unius Auctoris ſunt, eas conjungimus; ut cum de iiſdem rebus ferme agant, facilius intelligi poſſint; in aliis temporis, quo ſcriptæ ſunt, rationem habendam, & ordinem retinendum nobis eſſe arbitramur. Nil attinet de earum pretio, & elegantia diſſeramus, proferamuſque de illis hominum eruditiſſimorum judicia. Temperare tamen mihi non poſſum, quin externi hominis, atque alieni prorſus a nobis, ideſt Danielis Georgii Morhofii de his verba recitem [1]. Is ubi de Manutii, & Dunelli epiſtolis dixit, ſubjungit: *Mureti epiſtolæ plus vigoris, & ſpiritus habere videntur: neque enim ſollicita adeo imitatione ſcriptæ apparent, ut Manutianæ, quæ dejicere quodammodo, & ſupprimere animum videntur. Cum enim in formulas, & phraſes intenti ſumus (in his ſcilicet mire fœcundus Manutius eſt, atque ex earum variatione continua, prima, ut ipſe fatetur, eloquentiæ fundamenta jecit) minor cura eſt, unde efflorefcere ſua ſponte nativa quædam, & argumento magis conveniens facundia ſolet. Multa in Mureti epiſtolis occurrunt ad rem litterariam pertinentia. De Mureto Erythræus, ut ipſe peritiſſimus artifex, vere judicat. „ Quis noſtra ætate ſermonis genere uſus eſt adeo gravitatis doctrinæ prudentiæque referto, & in quo præterea omnes verborum, omnes ſententiarum illigentur lepores, præter hunc? Quis magis latine, pure, dilucide, ſuaviterque locutus eſt unquam; &, quod refert, qui oris preſſu, & ſuavitate appellandarum litterarum ſe magis hujus civem urbis, non peregrinum ſignificaret „? Scaliger in excerptis laudat, ut numeri ac periodorum ſingularem artificem.* Hæc Morhofius; quem

1 *in Polyhiſt. lib. 1. cap. 23.*

quem ideo etiam afferre placuit, quod inter teſtes eloquentiæ Mureti, qui ante ejus opera producti ſunt, locum non invenit. Iiſdem vero addi poſſunt Beyerlinck *in Chron.* Capacius *in Elog. &c.* & ex recens editis Pogianus *vol.* 2. *epiſt. pag.* 188.

EPI.

EPISTOLÆ
MURETI ET AD MURETUM
CLAR. VIROR.

I. *M. Ant. Muretus Alexandro Ripario ſuo S.D.*[1]

PErge ut facis, mi Alexander, amare litteras, eis te oblectare, in eis omnia & ſeria & joca tua collocare: non magnus labor magno tibi olim honori futurus eſt. Iſta via, quam tu nunc ingrederis, multi humili & obſcuro loco orti ad ampliſſimas dignitates pervenerunt. Atque etiamſi nulla ejuſmodi præmia litteris propoſita eſſent, ipſa tamen doctrina amanda eſt per ſe; neque quidquam in homine ingenuo turpius eſt ignoratione earum rerum, quarum ſcientia ſine litteris comparari non poteſt. Voluptas, quæ e rebus turpibus capitur, celeriter tranſit, dolorem autem in animo diuturnum

1 Juvenem hunc eloquentiæ ſtudioſum, præceptore Mureto, ex his litteris conſtat. In editis libro II. (editione Cominiana utimur) epiſtolæ ad Riparium exhibentur octo a 58. ad 65. Illæ omnes, poſtrema excepta, inerant in libello noſtro deſcriptæ: quod nimirum ſolæ illæ ſeptem Tibure erant miſſæ. Atque has Tibure ſcriptas jubet *epiſt.* 4. *noſtra* Riparium Muretus in libellum conferre, quem eſſe ipſum hunc noſtrum, ex eo conjicio, quod alicubi emendatio appareat Mureti ipſius manu. Sunt vero præter illas ſeptem, ſex hæ indidem miſſæ, quæ ſequuntur in eo libello, & nunc primum, ut arbitror, proferuntur in lucem. Poteramus etiam, quæ editæ ſunt, ex mſs. eodem emendare, & mutare aliquibus in locis: ſed quod parvi momenti res eſſe viderentur, id facere omiſimus, præterquam in hac prima, quod ſatis magna ejus pars abſciſſa videbatur. In his, exceptis duabus, inſcriptio nulla erat. Nolui eam ponere de meo; malo enim in iſtis plus quam oporteat religioſus, quam nimium ſapiens & parum prudens videri: quod & plerumque, ideſt niſi ubi manifeſta erant errata, in *orthographia* mihimet imperavi.

num relinquit: at labor in rebus honeſtis collocatus ipſe quidem effugit, memoriam autem ſui in animo relinquit plenam honeſtiſſimæ & ſolidiſſimæ volùptatis. Hoc cogita, & vale. Poſtridie Id. Jul. Tibure MDLXX.

Saluta mihi diligenter parentes tuos, tum etiam alterum patrem tuum: ita enim præceptorem merito vocaverim; qui quod in te formando præcipuam quamdam curam adhibet, idque, ut arbitror, mea commendatione adductus, adfirmato ei, nihil ipſum mihi facere poſſe gratius; neque, ſi ſe ulla unquam obtulerit occaſio, non commiſſurum, ut in hominem ingratum hoc ſuum beneficium contuliſſe videatur.

II.

Muretus Alexandro Ripario ſuo S. D.

NOli afflictare te, mi Alexander; ego te non deſeram. Si alii & te & commendationes meas negligent, efficiam, ut eorum opera nihil indigeas. Tu modo habe animum bonum, morem gere parentibus tuis, & cave diligenter, ne quid admittas, cur illi tibi merito iraſci poſſint. Hoc ſi tu præſtabis, noli dubitare, ego tibi præſtabo cetera. Spes eſt nos brevi iſtic fore. Conſervato mihi illam priſtinam hilaritatem tuam, & alacriter incumbe in ſtudia. Nil formidandum Teucro duce & auſpice Teucro. Vale Tibure v. Id. Oct. MDLXX.

III. Lit-

III.

Litteræ tuæ poſteriores quæque meliores. De ratione autem ſtudiorum tuorum velim aliquid ad me ſcribas; quantum legas quotidie; num quid excerpas ex iis Scriptoribus, quos legis; num quid e latino ſermone in vulgarem convertas, aut contra: Terentium, & Cyri pædiam noli intermittere: Cæſaris commentarios velim etiam legere incipias, ne pecunia illa tibi perierit. Confide, mi Alexander, & quemadmodum te mihi facturum polliceris, effice ut re ipſa oſtendas ac patefacias, te incenſum eſſe amore litterarum. Omnia tibi affatim ſuppetent, ſi diligentia non deerit: in ea ſunt omnia. Iſocratis Junioris [1] dictum eſt *ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής*. Hoc tu tibi quaſi ex oraculo dictum puta. Vale Tibure III. Id. Jul. MDLXX.

IV.

Binas litteras tuas una cum his accipies, alteras latino, alteras eo quo vulgo utimur ſermone ſcriptas. In latinis nihil habui quod emendarem; quæ res mihi ſummæ voluptati fuit. Quare & tuas & meas omnes eodem in libro deſcribito. Erit tibi olim jucundum conſiderare progreſſus tuos. Alexander mi, vale, & perge ea qua cœpiſti diligentia in ſtudiis verſari. Nihil facere aut mihi jucundius aut tibi utilius potes. Tibure Idibus Julii MDLXX.

V. Re-

1 V. ejuſdem Mureti var. lect. lib. 1. cap. 1.

V.

Remitto ad te omnes propemodum litteras, quas a te accepi, leviter a me emendatas. Vide, obſecro te, ut poſthac & ſæpius & diligentius ſcribas. Vix enim credas, quantæ mihi moleſtiæ ſint pueriles quidam errores, in quos incidere te frequenter video. Sicubi in generibus loquendi paulo minus uſitatis, paulove obſcurioribus laberis, non offendor. At cum ita erras, ut adhuc prima Grammaticorum præcepta ignorare videaris, indignor. Ac ſcis ipſe, quam ſæpe tibi ob eam cauſam iratus fuerim: quare te majorem in ſcribendo diligentiam adhibere par eſſet. Neque vero raritatem litterarum tuarum excuſare ullo modo potes. Nam quæ tandem eſſe poſſunt tua iſta negotia? Magis vereor, ne te voluptates abſtrahant & a ſcribendo & a legendo: quibus tu ſi te dederis, actum eſt. Non equidem interdico tibi omni genere voluptatum; non ſum uſque eo inhumanus. Sed illæ & honeſtæ ſint, & adhibeatur modus. Crede hoc mihi: veræ & ſolidæ voluptates nulla re magis quam contemptu inanium comparantur. Saluta parentes tuos verbis meis. Vale. Tibure XVI. Kal. Sept. MDLXX.

Nihil adhuc audio de litteris Græcis, num eis imbui cœperis. Ea res mihi maximæ curæ eſt. Da operam modis omnibus ne diutius trahatur [1]. Mora omnis mihi moleſtiſſima futura eſt.

VI.

[1] Paucula verba quæ ſequuntur ſcripta ſunt Mureti manu, & deleta iſta; *Hoc mihi gratius, tibi utilius facere nihil potes*. Quamobrem emendatio eſſe videtur Mureti ipſius recognoſcentis litteras ſuas.

VI.

NUnc demum videris mihi rediiſſe ad veterem illam in ſcribendo diligentiam tuam, de qua ſuperioribus diebus tantum detractum eſſe, non ſatis æquo, ne quid te celem, animo ferebam. Perge igitur, ut cœpiſti, quam potes & ſæpiſſime & accuratiſſime ſcribere. Nam ea res & mihi voluptati & tibi utilitati ſummæ futura eſt. Verſus vero tui ſatis bonam ſpem mihi adferunt: inſunt omnino errores quidam; ſed eos emendabimus cum una erimus.

VII.

M. Antonius Muretus Herculi Ciofano ſuo [1].

ET litteræ tuæ ſero admodum ad me perferuntur; & ex meis ad te quaſdam intercipi video. Egi jam tibi gratias de libris, quos ad me miſiſti, e quibus maximo uſui erit Priſcianus. Ceteri tamen ipſi quoque uſum aliquem præbebunt, præcipue Statius. Obſecro te, ſi quid de Gellio confici poterit, ut curæ habeas. Etiam cum Jo: Baptiſta Stampa agito, ſi quid mihi opus adferre poſſit. Nam & ipſius inſtituto conſentaneum eſt beneficiis adficere quam plurimis; & ego, ſi nihil aliud, certe eos omnes, a quibus aliquid accepero, orna-

1 Harum quoque Epiſtolarum Ciofano, quæ in codd. noſtris erant, quinque jam erant prolatæ in lucem. Sex nos adjungimus, in quibus eumdem ad eloquentiam & eruditionem informat. In his cum plurima ſunt notabilia, tum illa occurrit præclariſſima, & in juvenum animos altius demittenda ſententia: *Quam potes plurima atque optima attentiſſime lege: hac una eſt ad eruditionem via*. De Ciofano Leonardus Nicodemus in *addit. ad Biblioth. Neapol.* Topp. (erat enim Sulmonenſis.) Baillet *to. 2. p. 2. Jugem. n.* 454.

ornabo. Dolet mihi, quod eum, qui mihi poſtremas a te litteras attulit, quem tu ut diſertum doctrinæ nobis a Deo traditæ explicatorem, & præclare apud vos eò munere functum mihi magno opere commendaras, videre nondum potui. Id eo accidit, quod cum ille a te mihi litteras & librum attulit, domi non eram: mei autem ita ſtupidi fuerunt, ut ne nomen quidem ipſius quæſierint; operam tamen dabo ut eum conveniam. De tuo nomine quod me conſulis, fieri vix poteſt, ut ejus altera pars Græca, altera Latina ſit. Et certe cum illud verum eſt, omnia nomina θέσει εἶναι, καὶ οὐ φύσει, tum præcipue in familiarum nominibus vere hoc dici poteſt. Græcam litteram nullam ei cenſeo admiſceas. De origine, ſi quid mihi in mentem venient, faciam te certiorem. Mi Ciofane optime & ſuaviſſime, etiam atque etiam vale. Romæ IV. Id. Mai. MDLXIX.

VIII.

M. Antonius Muretus Herculi Ciofano ſuo S. D.

VElim mihi credas, quod tamdiu meis litteris carueris, tibi non moleſtius eſſe, quam mihi. Sed & multas e tuis ad me perlatas non eſſe, ex iis quæ perlatæ ſunt intelligo; & qui paucas illas attulerunt, orati a me, ut ne ſine meis ad te redirent, cum ſe id facturos polliciti eſſent, omnes præter hunc adoleſcentem, qui poſtremas haſce attulit, neglectui habuerunt fidem. Tum quod mihi

mihi longe moleſtiſſimum eſt, Virgilium illum, de quo jam pridem ad me ſcripſiſti, nunquam vidi, neque quædam in Tibullum, quæ te miſiſſe ſignificas. Quare vide cui commiſeris: nollem enim periiſſe illa. Quod de adventu huc tuo ſcribis, perjucundum mihi eſt: & ego tibi omnia quæ in me erunt cumulatiſſime præſtabo. De meliore natura apud Ovidium, jam viginti anni ſunt [1], cum locus ille ita prorſus a me explicatus eſt, ut amico illi tuo homini erudito explicandum videri ſcribis. Neque ſane nunc aliter ſentio, quam tum ſentiebam. Artem memoriæ, quam tenere me putas, non teneo; & ut verum tibi fatear, cum ex eo, de quo ſcripſi in libris variarum lectionum, diſcere eam poſſem, neglexi. Tibi tamen homini adoleſcenti non propterea negligendum puto. Si quid tecum huc adferes librorum veterum, facies rem mihi gratam, neque ipſi tibi inutilem. Certe enim, ſi nihil aliud, conferemus eos una, & aliquid in commune diſcemus. Noli a me petere, ut te amem: ferreus enim ſim, niſi id ſponte faciam, tam multis a te, & tam jucundis officiis provocatus. Vale. Romæ VII. Id. Novembr. MDLXIX.

1 Anno ergo 1549. Ovidii *hunc* locum explanavit.

IX.

Muretus Ciofano S. D.

BInas a te litteras accepi, ad quas cur non prius reſponderim nihil neceſſe eſt dicere, tibi præſertim, qui & pigritiam in hoc uno officii genere meam noſti, & occupationes meas. Oratio [1] mea neque edita eſt, neque edetur in Urbe ſaltem. Quod enim neceſſe habueram multa verba facere de ea pace, quæ ſuperioribus diebus in Galliis facta eſt, ea Pontifex etſi publice dici permiſit, divulganda tamen non judicavit. Lutetiæ tamen & Lugduni ſine ulla dubitatione excudetur. Exemplar unum, ſi ad me plura mittentur, ſtatim tibi curabitur. Interea ſervi valetudini, & urge ſtudia tua, & facito cum ad nos redibis, ut tibi fructus iſtius & otii & ſolitudinis conſtet. Vale. Romæ IV. Non. Quinctiles MDLXXVI.

X.

Muretus Ciofano S.

QUi litteras ad me tuas adferunt, redituros ſe, ut a me responſum auferant, pollicentur, neque unquam redeunt. Eo fit, ut & minus frequenter, & ſero reſpondeam. Plantini litteræ, ne quid tibi diſſimulem, interpretatione non egent. Ille enim, etſi verecunde ac modeſte, ſatis aperte tamen ſignificat, ſe tibi operam dare non poſſe. Aliud igitur agamus cenſeo. Locus Horatii ita a me

1 Ad Gregorium XIII. nomine Henrici III.

me emendatus eſt, ut tu tibi emendandum videri ſcribis, ante hos viginti annos, ideſt cum primum ſcholia in eum poetam edidi. Error autem ille librariorum in litteris aut fruſtra geminandis, aut cum geminandæ eſſent, omittendis, ita vulgatus eſt, & a tam multis notatus, ut nihil neceſſe ſit plura conquirere. Litteras ad Plantinum tuas locis aliquot a me meliores factas ad te remitto. Urge ſtudia; & ne latum quidem unguem a veterum Scriptorum lectione abduci te patitor. Vino qui utuntur vetere Plautus ſapientes putat [1]; ego eos qui veteribus ſcriptis. Nam quæ quotidie ab iſtis ſcribendi cupidis prodeunt, multo ſunt nequiora, quam nummi novi. Cole igitur omni ſtudio antiquitatem, & omnes partes illius diligenter accurateque perluſtra. Inutilium ciborum eſu corpora, inutilium librorum lectione ingenia corrumpuntur. Vale VIII. Kal. Nov. MDLXXVI. Romæ.

XI.

Muretus Ciofano S.

De Plantini voluntate maneo in ſententia. Juſſus eſt, inquis, ab Aria Montano. An putas Montano eam eſſe vim ut jubeat? Suadebit, hortabitur, credo; juſſurum non puto: eſt enim alienum a modeſtia ipſius. At ſignificat Plantinus, ſe veterum Auctorum opera notis eruditorum hominum illuſtrata libenter editurum; credo. Itaque ipſam Ovidii Metamorphoſim, ac notulas etiam

 quaſ-

1 Et Pindarus Olymp. 9. Αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων.

quaſdam e libro tuo ſumptas non invitus, ut ego quidem arbitror, recudet: librum ipſum tuum non puto ab eo excuſum iri. Falli tamen me velim, neque impedio, quo minus eum, ſi videbitur, urgeas. Cydonitem accepi; deque eo te amo. Sed eum qui litteras cum eo tuas attulit, non vidi. Ovidii locos aliquos in variis lectionibus illuſtrabo, neque te præteribo. Quæ ad me miſiſti, una cum his litteris accipies. Vale, & quam potes plurima atque optima attentiſſime lege. Hæc una eſt ad eruditionem via. Ex Urbe A. d. VII. Decemb. MLXXVI.

XII.

M. Antonius Muretus Herculi Ciofano ſuo S. D.

UTut eſt, a diſceſſu tuo unas tantum a te litteras accepi; ad quas ipſas quid reſpondeam non reperio: nihil enim continent, niſi commemorationem quandam minime neceſſariam jam pridem inſtitutæ inter nos amicitiæ, & levem quamdam conqueſtionem, quod ad eas litteras non reſponderim, quas omnino non accepi. Ego te, Ciofane mi, amo ex animo; idque tibi, quoties ſe offeret occaſio, re ipſa declaraturus ſum, non in tuis tantum, ſed in omnium qui mihi a te commendabuntur negotiis. Hoc amplius præſtare nihil poſſum. Te, quidquid mihi gratum fore intelliges, curaturum, & quod in te erit, perfecturum eſſe, ſat ſcio. Fac ſciam, quoad te hic expectare debeamus. Vale. Romæ, Poſtridie Non. Sextil. MDLXXVIII.

XIII.

M. Antonius Muretus Herculi Cioſano Sulmonenſi ſuo S. D.

Accepi volumen orationum, de quo amo te ut debeo plurimum: eo ſimul atque uſus ero, remittam. Demere partem de ſolido die apud Horatium ſine ulla dubitatione eſt meridiari, ideſt ipſo meridie horam unam aut alteram dormire: quod qui faciunt, diem quodammodo frangunt ac dividunt, neque eum unum ac ſolidum & ὁλόκληρον eſſe patiuntur. Itaque is qui demit partem de ſolido die, dicitur id facere; nunc *viridi membra ſub arbuto ſtratus*, nunc *ad aquæ lene caput ſacræ*. Et hoc ipſum Varro alicubi vocat diem dividere. De verbo deducendi, cur eo vim ullam ſignificari putes, non ſane video. Cleopatra quidem neque volens, neque invita in triumpho ducta eſt. Ac non eſt tamen dubium, neminem volentem θριαμβευθῆναι. Nemo enim volens vincitur, aut pœnas dat ei, adverſum quem bellum geſſit. Verſus tui non inſuaves ſunt: & erit mihi gratum, ſi te, cum licebit, in hoc quoque genere exerceas. Ama me, & vale. Romæ IV. Id. Martias. MDLXIX.

XIV.

Muretus Meliſſo S. D. [1]

NEgotium tuum mihi curæ fuit, ut decebat. Sed cum omnes vias tentaſſem, quibus id quod cupiebas, adſequi poſſes, cumque ſuper ea re multorum ſententias exquiſiiſſem; reperi te, id quod tibi gratis concedi poſtulas, ne magna quidem vi pecuniæ numerata obtinere poſſe. Omnino, Meliſſe, ἀδυνάτων ἐρᾷς. Fuit olim aliquod tempus cum iſta quibuſdam tribuebantur: poſt Concilium Tridentinum nemini conceſſa ſunt, neque ſpes eſt conceſſum iri. Hoc ad te eo ſerius ſcribo, quod, niſi re diligenter explorata, ſcribere nolui; & clariſſimus quoque vir Orator regius mihi, ut diligenter quærerem, mandaverat: cupiebat enim cum Pontifice agere, ſi ſpes ulla oſtenſa eſſet aliquid effectum iri. Nobis ipſis, hoc eſt Cubiculariis Apoſtolicis, militibus SS. Petri & Pauli ea prope omnia quæ tu petis a ſuperioribus Pontificibus conceſſa erant: ſed, ut dixi, poſt Tridentinum Concilium ſublata ſunt. Itaque aliud quippiam tibi videndum eſt, in quo & Oratoris regii, & meam erga te voluntatem liquido perſpicere poſſis. Nunquam enim patiemur quidquam, quod in poteſtate noſtra ſitum ſit, fruſtra a te deſiderari. Manutius hîc eſt. Cum eo aliquoties de re tua locu-

1 Meliſſum hunc puto alias Schedium dictum, poetam hoc ſæculo non incelebrem, ut laurea etiam poetarum corona donatus ſit annos natus xxv. De eo Teiſſier tom. 4. pag. 410. Borrichius diſſ. 4. de Poet. Latin. &c.

locutus ſum. Ait ſe cupere omnia facere: ſed *χρημάτων ἀπορεῖν*, ita ut ſumptu ſuo facere id quod volumus, non queat. Non puto eum fingere: plane enim male a re domeſtica inſtructus eſt. Mi Meliſſe, vale & ama me. Romæ v. Kal. Julias MDLXXIX.

XV.

M. Antonius Muretus Auguſtino Angelello S.D. [1]

ET antea te amabam ex amicorum communium ſermonibus, & acceptis iis litteris, quas ad me ſuperioribus diebus dediſti, mirifica quædam facta ad priſtinam meam erga te voluntatem acceſſio eſt. Continebant enim & multas minime obſcuras ſignificationes, neque vulgaris doctrinæ & amoris erga me prope ſingularis. Quare qui libentiſſime ſoleam amore complecti eos omnes, quibus in ipſis aliquid eſt cur amentur, & eos multo etiam libentius, quibus me carum eſſe ſentio; te, in quem horum utrumque concurrit, niſi mei diſſimilis eſſe velim, vehementer amem neceſſe eſt. Accedit illa quoque amoris cauſa, quod magnam tibi & arctam familiaritatem cum Paulo Manutio fuiſſe video: quem ego & vivum amavi unice, & mortui memoriam ſanctiſſime, ut debeo, colo. Si quid igitur tibi in mentem veniet, in quo me tua cauſa aliquid efficere poſſe arbitreris, facito ut de eo me amice & familiariter admoneas. Nihil enim erit,

1 *Fabrianum* inſcriptum alia manu. Huic ſcribit & Manutius ep. 20. *lib.* 8.

erit, quod non in gratiam tuam coner, neque ulla in re patiar a te aut operam, aut fidem, aut gratiam meam quantula ea cumque eſt deſiderari. Adoleſcenti quem mihi commendaſti mea omnia prolixe detuli: ſi qua ſe ejus adjuvandi offeret occaſio, perficiam ut ſentiat, tuam commendationem ſibi apud me non mediocriter profuiſſe. Vale. Joſephus Caſtalio, cum quo ſæpe de te colloquor, quique mihi & propter mores ſuaviſſimos, & propter ingenium omnibus diſciplinis excultum cariſſimus eſt, te etiam atque etiam ſalutat. Romæ. Idib. Aprilis. MDLXXVII.

XVI.

M. Antonius Muretus Philippo Poelario Brugenſi.

SI quid tua cauſa feci, mi Philippe, minus omnino feci, quam aut ego cupiebam, aut tu merebaris. Tu quod mihi vel de diſceſſu ex ædibus Marii gratias agas, vel ulla alia de re, nihil cauſæ eſt. Ego te amare cœpi adductus judicio quod feceram de eruditione, deque moribus tuis. Neque tu opinioni de te meæ defuiſti. Non ſoleo autem facile deſerere quos ſemel complexus ſum. Quare cave putes me unquam tibi ulla in re, quæ quidem a me præſtari queat, defuturum. De numiſmatis quæ ad me miſiſti gratiam habeo, & ſpero fore ut brevi tempore te remunerer; idque eo genere, quod tui ſimilibus gratiſſimum eſſe conſuevit. Cuperem

perem ad te plura ſcribere : ſed noſti occupationes meas. Tu ſi ad me de toto rerum tuarum ſtatu, quod commodo tuo fiat, quam ſæpiſſime ſcripſeris, rem mihi gratiſſimam feceris. Vale. Romæ III. Id. Novemb. MDLXXXIII.

XVII.

Andr. Auſtr. [1]

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domine

Viſum eſt nuper Sm̃o D. N. Collegium Cardinalium, quod his proximis annis multorum obitu valde imminutum erat, augere atque amplificare cooptandis in illud multis claris ac præſtantibus Viris; inter quos mihi quoque, non tam ullis meritis meis, quam humanitate ſua & vetere erga me benevolentia adductus, locum eſſe voluit. Gaviſus ſum optimi ac ſapientiſſimi Principis tam honorifico de me judicio : etſi præclare intelligo, quam tenuia & exigua ſint in me omnia, quæ ad tantum munus pro dignitate ſuſtinendum requiruntur. Sed parendum eſt conſilio Dei, qui ut ſapiens Architectus, etiam vulgaribus lapidibus interdum utitur ad Eccleſiæ ſuæ ſubſtructionem. Nunc cum Illm̃æ, ac Rm̃æ Dominationis tuæ ſemper deditiſſimus fuerim, ſemperque optaverim dari mihi aliquod tempus, cum ei ſtudium atque obſervantiam meam probare poſſem, judicavi mihi facien-

1 Quæ ſequitur epiſtola in ſchedis pariter Mureti inventa eſt, ipſius etiam manu ſcripta, liturisque alicubi emendata. Scripta videtur nomine Cardinalis alicuius creati a. 1589. Cardinali Andreæ ab Auſtria.

ciendum eſſe, ut primo quoque tempore ad eam de hac honoris mei amplificatione ſcriberem, meque ac mea omnia ſemper in ejus poteſtate fore profiterer. Peto autem ab ipſa, ut me in ſuis numeret: ac potentia quidem & auctoritate permultis, voluntate & ſtudio erga ſe nemini unquam conceſſurum eſſe ſibi plane perſuadeat. Bene ac feliciter eam perpetuo valere cupio. Romæ ... Dec. MDLXXXIII.

XVIII.

M. Antonius Muretus purioris ac politioris Philoſophiæ Studioſis S. D.[1]

QUanta gratia, quantaque laus Dionyſio Lambino, homini omnium bonarum artium ſcientia inſtructiſſimo debeatur, cupio a vobis omnibus mea opera intelligi; qui cum decem Ariſtotelis de Moribus libros & reconditioris cujuſdam doctrinæ, & ejuſmodi præceptionum, quarum ſingularis utilitas ad omnes vitæ partes pertineret ac permanaret, refertos eſſe cognoſceret, quicquid obſtare atque officere illorum, qui eos pervolutare cuperent, intelligentiæ videretur, id omne ut removeret ac tolleret, nullum ſibi laborem detrectandum putavit: cumque eorum, qui ſe ad Philoſophiæ ſtudia conferunt, alii Græcæ linguæ gnari, Græ-

1 Quæ ſequuntur epiſtolæ tres editæ olim fuerant, ut ſuperius diximus, ſed in epiſtolis Mureti colligendis prætermiſſæ. Hanc primam nos ex libri editi exemplo, quod Lambinus Mureto dono dederat, & erat manu ſive Lambini, ſive ejus librarii, ut magis mihi videtur, correctus, emendatiorem aliquanto damus.

Græce ſcriptos Ariſtotelis libros manibus terant; alii, quibus ad eam linguam perdiſcendam vel tempus, vel magiſter, vel animus defuit, interpretum operam neceſſario deſiderent; utriſque opem haudquaquam exiguam tulit. Quippe cum Græcorum exemplarium ſcriptura multis admodum locis, ſeu librariorum oſcitans incuria, ſeu quævis alia fatalis calamitas depravaſſet; conquiſitis undique quam potuit plurimis perbonis, perque veteribus libris, non paucos, eorum auxilio, locos emendavit; nonnullos etiam acumine ingenii, & naturali quadam εὐστοχίᾳ feliciſſime reſtituit; poſtremo quoſcumque amicorum in his libris inſignioris operæ aliquid aliquando poſuiſſe acceperat, eos ſibi adjutores ad tam præclari operis perfectionem comparavit. Hoc labore perfunctus animum adjecit ad eoſdem libros, omni adhibita diligentia Latine interpretandos. Videbat enim, qui hactenus interpretes extitiſſent, eorum partim omni orationis ornatu, omni flore neglecto, id modo ſtudentes, ut cujuſquemodi verbis Philoſophi ſententiam exprimerent, horridum quoddam & agreſte dicendi ſectatos genus: alios ſatis alioqui concinnos, non inelegantium vocularum ſtructores, dum id agunt unum, ne quod verbum ponant quod non e Cicerone decerpſerint, ſæpe numero longiſſime ab Ariſtotelis ſententia aberraſſe: itaque alteros a multis propter orationis aſperitatem non attingi; alteros a doctis & intelligentibus,

tibus, propter ſententiarum depravationem repudiari. Harum ipſe reprehenſionum ut in neutram incideret, magno ſtudio eniſus eſt: ac quantum ego quidem judicare poſſum, vel omnino, vel ex maxima parte id quod voluit conſecutus. Erit autem hic labor utilis & fructuoſus non modo rudibus Græcarum litterarum (quamquam iis quidem plurimum) verum etiam eruditis. Non enim parum ſæpe contingit, ut quod Græce dictum vel optime intelligimus, id tamen Latine exprimere nequeamus: cui difficultati vix ulla res melius quam accurata & diligens hujus generis librorum lectio medeatur. Jam, cum hæc ſcriberem, facile perſpiciebam animo, tam laudabilibus amiciſſimi hominis vigiliis duo parata genera reprehenſorum fore: unum eorum, quibus Philoſophiam polite eleganterque tractari non placet; quique hac comendæ orationis cura detrahi aliquid de illius dignitate opinantur. In quibus illud primum eſt quod admirer; ſi ad rerum pulchritudinem verborum quoque ſplendor accedat, cui tandem id incommodo arbitrentur fore? aut in ſordibus & illuvie orationis quam tandem ipſi reperiant dignitatem? Nam Ariſtoteles profecto ipſe, & illius magiſter Plato, & qui ei ſucceſſit in ſchola Theophraſtus, & ceteri deinceps, cum plurimum operæ ac ſtudii in rerum perveſtigatione poſuiſſent; illud quoque ſtuduerunt, ut quæ ſcientia comprehendiſſent, ea optimo & ornatiſſimo di-

cendi

cendi genere explicarent. Quin hoc liquido affirmare poſſe videor, multo eos magis ſolicitos de retinenda vocabulorum proprietate, quam ullos alios Scriptores fuiſſe. Id ſi in Græca lingua factum eſt, cur in Latina fieri, quantum quidem ipſius inopia fert, non debeat, equidem non video. Nam illud quidem nihil ad hanc rem pertinet, quod ipſi mihi ſæpe numero objectum eſt, cum adverſus iſtos diſputarem; multos ſuperiore ætate egregios, ac præſtantes Philoſophos ſine ullis orationis pigmentis fuiſſe, multos etiam hodie vivere; multos contra noſtris temporibus exortos eſſe, qui Philoſophiam ſe exornaturos profeſſi, ſummam ſuam rerum philoſophicarum inſcientiam prodiderunt. Equidem, ſi alterutrum deſerendum ſit, multo malim ſine orationis nitore cognitionem rerum, quam ſine rerum intelligentia volubilitatem linguæ; neque unquam ita amens ſim, ut non aut Divini hominis Thomæ Aquinatis, aut Alberti Magni indiſertam ſapientiam, ineruditæ multorum loquacitati infinitis partibus anteponam. Sed ſi quis hæc utraque conjungere conetur, & iis ipſis, quæ ſanctiſſimi illi & eruditiſſimi homines horride & inculte, temporum magis quam ſuo vitio tradiderunt, ornatum aliquem adhibere ſtudeat, quis uſque eo iniquus futurus eſt, ut ejus induſtriam contemnendam potius, quam commendandam putet? Alterum fortaſſe genus erit eorum, qui cauſſam nullam fuiſſe dicent, cur, poſt Joachimum Perionium, quiſ-

quiſquam præterea his libris in Latinum ſermonem convertendis admoveret manus. His ego reſpondere nolo. Scholia, quæ tum aliis, tum hac quoque de cauſſa hiſce libris Lambinus adjecit, ea pro auctore ſuo reſpondeant, volo: quibus quidem in ſcholiis, ſi ſummo ipſe jure cum Perionio agere voluiſſet, verendum erat, ne ſuſpicioſis hominibus, & omnia ad deteriorem partem accipientibus, non tam probandæ induſtriæ ſuæ, quam alienæ vituperandæ ſtudio ad ea conſcribenda adductus videretur. Modum igitur tenuit, aut potius intra modum conſtitit; & propoſitis paucis, de ceteris Lectores voluit ſuſpicari; neque ſibi majorem eruditionis & diligentiæ, quam pudoris & modeſtiæ rationem habendam eſſe duxit. Quare cum Lambinus ipſe omni laude, atque omni prædicatione dignus eſt, tum Franciſcus Turnonius Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ampliſſimus, cujus benignitate Lambini ſtudia foventur, longe digniſſimus, pro cujus ſalute & incolumitate, quicumque hæc ſtudia colimus aſſidue vota faciamus. Quod utinam & ceteri temporibus noſtris principes viri exemplum illius in alendis honeſtarum artium hominibus imitarentur; & qui eorum opibus foventur, ocium ſuum hujus exemplo ad ſtudia laudandarum artium, pro ſua quiſque parte adjuvanda conferrent. Valete. xx. Martii CIↃIↃLVIII. Patavio.

XIX.

XIX.

M. Antonius Muretus S. D. Alexio Paganuccio [1].

Ego vero ad eos verſus, quos tu ad me amantiſſime & elegantiſſime ſcriptos miſeras, ſtatim reſpondi; neque ſatis mirari poſſum, quî factum ſit, ut mei ad te perlati non ſint. Sed eos quiſquis intercepit, næ ille in re haud magni pretii utrique noſtrum inſignem injuriam fecit; mihi quod nulla culpa mea, agreſtis tibi quidam & inhumanus videri potui, qui ab homine amiciſſimo tam officioſe provocatus, nihil reſpondiſſem; tibi, quod caruiſti ea voluptate, quam percepiſſes ex collatione tuorum cum meis. Etenim mihi crede, tum tu denique tibi placuiſſes, ſi legiſſes mea; ut propemodum gratiam habiturus fuerim illi, qui ea intervertit, niſi multo me mallem malum poetam, quam in conſervando hominum tui ſimilium amicitia parum diligentem videri. Nunc a te peto quæſoque, ut ſi mihi forte antehac nonnihil ob eam rem ſuccenſuiſti, non minus te facilem ad deponendam, quam ad accipiendam offenſionem præbeas; tibique perſuadeas, tanti a me tuam, & Lucii fratris tui hominis ſingulari quadam humanitate præditi amicitiam fieri, quanti & veſtra utriuſque dignitas, & tua erga me merita poſtulant. Id etſi ſperabam me a te non difficulter

1 Præpoſita eſt orationibus tribus Mureti editis a. 1564.

impetraturum, tamen quia ex Homero didiceram, offenſos animos tum verbis, tum muneribus mitigari, judicavi non alienum fore, ſi ad te munuſculum aliquod mitterem. Mitto igitur tres orationes meas [1], duas duorum regum nomine ad Pium IV. P. M. ſuperioribus annis habitas; tertiam haud ita pridem, cum ejuſdem optimi ac ſanctiſſimi Pontificis juſſu Ariſtotelis libros de Moribus ad Nicomachum inciperem publice interpretari. Eas tu poſtquam legeris, cum Vincentio Modio, & cum Jo. Baptiſta Pigna, non ut dignas quæ ab ipſis legantur, ſed ut a me, qui eorum utrumque obſervo, & ab utroque amor, profectas communicabis. Vale x. Kal. Aprilis. Anno MDLXIIII. ex Urbe.

X X.

M. Antonius Muretus Hieronymo Ottobono Veneto S. D. [2]

SEmper maximi feci Senecam, ſemperque de eo, ut de ſcriptore non tantum, quod omnes fatentur, ſapientiſſimo, ſed etiam, quod fatui negant, diſertiſſimo judicavi. Itaque multum operæ in libris illius poſui, eoſque ſæpe cum cura pervolutavi; neque me quantum eis legendis profecerim, pœnitet. Te quoque, ut ſcis, prædicatione

1 I. habita fuerat nomine Franciſci II. Galliæ & Scotiæ Regis. II. ad eumdem Pontificem nomine regis Navarræ. III. cum ejuſdem Pontificis juſſu Ariſtotelis libros de Moribus publice interpretaturus eſſet.

2 Mittit ad eum Senecæ librum de Providentia.

ne mea primus impuli, ut eum cognoſcere cuperes; in quo cum mihi paruiſſes, ſenſiſti, eum tibi & ad orationis cultum ac copiam, & multo magis ad tranquillitatem animi, & ad deſpicienda quæcumque immerentibus acerba eveniunt, mirabiliter profuiſſe. Cum igitur explicare ſtatuiſſem librum ipſius de Providentia, eumque a me diligenter emendatum ſeorſum a ceteris edi placuiſſet, ut commode in manibus haberi poſſet ab iis, qui me audire tanti putabunt, volui in ipſo ejus quaſi limine exſtare teſtimonium amoris erga te mei, orti ex tuo erga optimas diſciplinas admirabili ſtudio, placidiſſimis moribus, integritate vitæ etiam optimis temporibus prædicanda. Nunc a te peto, mea quidem cauſſa, ut hoc munuſculum libenter accipias: tua vero, ut inſtitutam vivendi rationem conſtanter perſequare; ne ſi ſecus evenerit, aut ego, qui nemini adulari ſoleo, mei diſſimilis fuiſſe, aut tu a te ipſo deſciviſſe videaris. Vale. Romæ xv. Kal. Jun. MDLXXV.

XXI.

Al molto honorato M. Marcantonio Mureto [1].

Mitte ad me tuum Euripidem. Levabo te labore deſcribendi: etiam illud; magis ipſe mihi ſatisfaciam, non quo verear, ne tuos oculos aliquid fugiat; perſpicaces valde ſunt, novi: ſed

1 Pauli Manutii Epiſtola eſt hac inſcriptione. Nil hic de hujuſmodi epiſtolis. Satis enim diximus, cum de Manutio ageremus.

tu, Murete, pro ingenii tui præſtantia fortaſſe quædam contemneres, quæ nos habebimus in deliciis, & amabimus ut egregia. Mitte igitur, ut & ocio tuo conſulas, & facias voluntati mæ ſatis; aut ſi vis ipſe, quia tibi tuum ocium ac tua ſtudia præ meo commodo parvi ſint, omnino ſuſcipere, dum omnia perſequaris, ita prorſus ut litteram non omittas, me lubente facies: non enim dicam, quod pene dixi, habebo gratias, ne tam putide inter nos. Ex ædibus meis IX. Cal. Oct. 1556. [1]

Tuus Manutius.

XXII. *

Come fratello.

U*T intelligas me tamen non jacere*, voglio il voſtro parere ſopra due luoghi del primo volume delle orationi: il primo nella *Pro Comœdo* a c. 45. ove dice; *repromitti vi, ſi pateret*. Mi naſce opinione, ſe foſſe meglio, *ſi pareret*, o *ſi paret*, come anche è da corregere poco di ſopra. Il ſecondo luogo è a c. 128. *non reſtituebatur*; la negativa non mi piace. Nel libro dell' Othomano è una varietà, *vi reſtituebatur*: ma quella parola *vi* non forniſce di ſatisfarmi. Aſpetto per il primo il voſtro giudicio, & il rimanente delle correttioni

1 Ad hanc ſpectat inter Manutianas lib. 3. quarta, cujus autographum habemus „ Unam tragœdiam duobus ipſis diebus cum aſſidue ſcripſerim, abſolvere non potui &c. tuum Euripidem remitto, unaque meum quem cupio ſimilem eſſe tui „. Dies adſcripta VIII. *Kal. Octobr.* 1556.

* *Al molto eccellente & honorato Marcantonio Mureto. In corte del Reverendiſſimo Cardinale. Ferrara.*

ni dalla carta 81. indietro, ſebbene nell' altra lettera vi ho ſcritto da c. 26. indietro. Se vi baſtaſſe l'animo di compormi una epiſtoletta Greca al voſtro Reverendiſſimo ſopra il Dioniſio contra Tucidide, mi fareſte, hor che ſon occupatiſſimo, gran piacere, con quella materia che vi piace. State ſano. Di Venetia a' 3. di Febraro.

Il voſtro Manutio.

XXIII. *

Come fratello.

DEl mio caſo ſi ſaprà l'avvenimento o lunedì proſſimo, o ſabato. Gli amici mi danno ſperanza di ſalute: ma io temo fortemente del contrario. Benchè non voglio però, che queſto caſo mi affligga, come per avventura ſi ſtima. In ogni luogo ſi vive, e poca robba mi baſta, avendo avvezza la mia famiglia alla frugalità. *Amo libertatem, & ſolitudinem ſpecto, illud animi, hoc valetudinis cauſa.* Voi conſiglio per qualche anno a ſeguir la Corte; al che v' invita l' età, la compleſſione, e ſopra tutto la voſtra virtù, che vi fa degno di ogni grado; nè voglio, che la mia fortuna turbi la voſtra, anzi la felicità dello ſtato voſtro ſarà la medicina & il riſtoro del mio. Veggo, che non avete avuto una mia lettera, dove vi dava avviſo dell' aver ricevuto le correttioni del Terenzio, e

* *Al molto eccellente & honorato Marcantonio Mureto mio come fratello. Ferrara.*

degli ſcolii, e vi chiedeva, che voleſte farmi una epiſtoletta Greca per dedicare al voſtro Cardinale il Dioniſio contra le Hiſtorie e Tucidide, il quale in otto dì ſi è ſtampato in quarto. Io ſon hora in penſieri diverſi dal comporre. Se potete diſporvi a farla di un 30. righe, mi ſarà cariſſimo, e mandatela ſubito. Fra due dì ſi darà principio in un tempo al primo e al ſecondo volume delle orazioni. I Terentii vi ſi manderanno, e ſe ne darà quì & a chi vorrete, e quanti vorrete. Se io parto, laſcierò a Domenico commiſſione, che ubbidiſca a voi come a me ſteſſo. Dio vi conſervi. Di V^a. agli 11. di Febr. 1558.

Il v^o. Manutio.

Sto hora per mia ſicurezza in S. Gio: Polo nelle ſtanze del noſtro humaniſſimo fra Siſto [1]: ma preſto per mutar luogo anderò da un amico in fino alla fine del giudizio.

XXIV. *

Come fratello.

IO crederò quel che in fin hora non ho creduto, che ſiano poco ſimili gli animi noſtri, ſe vi affligete di queſto mio accidente, il qual mette così poca alteratione nell' animo mio. E perchè debbo io dolermi, vedendomi già chiamato a Bologna & a Roma, e potendo aver in una ſolitudine non molto

1 Eſt hic Sixtus Medices Ord. Prædicatorum.

* *Al molto eccel. M. Marcantonio Murete mio come fratello. Ferrara.*

molto di quà lontana un ocio tranquilliſſimo, quaſi con niuna mia ſpeſa per tutta la mia famiglia? dove forſe mi ridurrò per beneficio della mia compleſſione, e per ſervigio de' miei ſtudj, ne' quali, come credo che ſappiate, l'avverſa mia fortuna non mi ha laſciato dimoſtrare s'io vaglia poco o molto: nè però ſento, che quelli inſtrumenti, co' quali ſi acquiſta il ſapere, onde poi naſce la gloria, ſiano pure in me mancati o indeboliti. Ma niuna riſolutione farò ſenza voſtra ſaputa, nè *ſine tuo quidem conſilio*. Il ſoggetto della dedicatione ſarà dieci verſi in lode dell' hiſtoria; dieci della difficultà dello ſcriverla perfettamente, come ſi conoſce dall' eſempio di Tucidide, tanto ſtimato da tutta l'antichità, e tanto ripreſo e con vive ragioni da Dioniſio; dieci altri verſi dell' oſſervanza mia verſo S. S. Reverendiſſima, la quale havendo io già honorata con ſcritti Latini, cerco di honorarla al preſente con i Greci: Se cento lingue foſſero, e tutte io le ſapeſſi, con tutte vorrei notificare e celebrare il nome ſuo, e la ſua lodevoliſſima vita, nella quale egli mirò ſempre alla virtù, & hora più che mai, godendo un ocio virtuoſiſſimo nella compagnia di uomini dottiſſimi, tutti da lui con ampliſſimi premii mantenuti e nodriti, di che riceverà per mercede e frutto la immortalità in queſto mondo, e nell'altro la ſalute eterna. Amen.

O quanto ſi può dire! o quanto ſaprete dir voi! e credo burlate, chiedendo da me concetti, *quaſi*

fontes ſitiant ; ovvero non vi conoſcete ; ovvero la modeſtia vi piace . Ma fra noi *tollatur hæc* , e procedaſi alla ſchietta , nè ricuſiamo alcun ſervigio , quando n'è il biſogno , o male , o bene che ſi faccia. Il verſo ſi correggerà ; nè ſtamperà l'Academia coſa che ſia al mondo di poca ſatisfattione : Perchè di queſte poeſie voglio io haverne la cura , quanto alla ſcielta . State ſano , e rinfreſcate alle volte a buon propoſito la memoria del Cardinale intorno a' caſi miei. Di V^a. a 25. di Febr. 1558.

Il v°. Manutio .

XXV. *

Come fratello .

PEr D. ch' ella è molto buona e molto bella , e tanto , che s' io non v' amaſſi come ſo , mi avrebbe pieno d' invidia . Ma l' eſſer vinto in tante parti da chi tanto amo , quell' allegrezza mi porge , che riceverei vedendomi ſuperato da Aldo mio figliuolo . *Macte* , eſercitatevi più ſpeſſo per non temer di quelli che davano temenza a' Trojani : poichè i Trojani quanto poco vagliano , non che voi , ma io ancora il veggo . *Illa tuarum litterarum pars mihi lacrimas excuſſit* ; e non credeva certo di amarvi tanto ; che per quella mia ſciagura , la quale mi priverà della patria , e di gran parte delle mie facultà , e per la morte di M. Antonio

* *Al molto eccellente ed honorato Meſſer Marcantonio Mureto mio come fratello . Ferrara .*

tonio mio fratello, e di 800. Δ. che per la dote di ſua moglie mi biſogna hora ritrovare, non ho gittato lagrima, *ac ne gemitum quidem*: e vedendovi partir per Francia con penſiero di rimanervi, mi ho ſentito ſveglier dalle radici il cuore, e ſonomi corſe in un tratto copioſiſſime lagrime ſu la faccia. *Itaque ego ille fortis & infractus in me ipſo, mollis in te ſum*: e la cagione non può eſſer altra, ſalvo che io mi dubito di amar voi più che me ſteſſo. E ſe voi giudicate il medeſimo, in quanto obligo ſiate meco, credo che il conoſcete. Parmi però di ricordarvi, con quello amore col quale ſempre vi ho conſigliato, che penſiate ben bene alla partita, e non laſciate quel che poſſedete per quello che ſperate. E ſe pur Dio vi condurrà nella voſtra patria, ricordatevi, che quelli che rimangono quì, non ſono mai per amarvi meno di quelli che vi chiamarono, e forſe molto più. L'eccellente Faloppio vi ſaluta di cuore, e moſtra nella mia cura infinita amorevolezza. O che occaſione ſarebbe queſta, a me certo gratiſſima, e credo a molti altri, che voi lo pregaſte con una delle voſtre elegìe ad impiegar tutta l'arte ſua nella cura del mio male, con dire che la Rep. letteraria &c. ma non voglio imporvi tanti carichi: e non è anche in poteſtà voſtra di far verſi, ſe non ne havete voglia, la quale non vien ſempre, quando noi vogliamo. Lo sbardellato ogni dì mi viſita. Dice, che vi prega del ſuo Plauto, o almeno di certe corretioni tratte da te-

teſto a penna, copiate nel margine del libro. Et io mi vi raccomando all'uſato. Di Padova, a' 10. di Marzo 1559. Io ſcriſſi a' dì paſſati del 58. perchè a Venetia l' anno comincia di Marzo.

Il Manutio voſtro.

Fate creder al Paſcalio, ch' io l' amo e lodo: il che farò, ſe egli farà verſo voi il medeſimo.

XXVI.

Magnifico & honorato come fratello.

HEbbi le due orationi, e mandai una al Parthenio, il quale venne due giorni dapoi, *ut tibi apud me gratias ageret*: la mia mi fu cariſſima, quanto potete penſare, e l'ho preſtata a molti. Hieri venne il Molino, e mi diſſe, che havea ricevuto da voi non ſo ſe quattro o ſei orationi; ma molto tardi, per colpa del ſuo ſcrittore. Hieri il Severo mi ſcriſſe da Ferrara, e non mi parla della voſtra oratione. Lodo molto, che viſitiate quanto più ſpeſſo potete il Padre Ottavio [1]; perchè è voſtro acerrimo difenſor contra la invidia, e ſpeſſo di voi ragioniamo con lettere. Se l' eccellente Lambino ſapeſſe quanta ſtima io ſo, e quanto ſpeſſo, e quanto honorata teſtimonianza io rendo della ſua rariſſima virtù, non ho dubbio che non mi amaſſe più aſſai per queſta cagione, che per altro mio merito: al quale ſe ſarò da voi raccomandato quanto deſidero, che deſidero ſommamente, mi ſarà ca-

1 Pantagathum.

cariſſimo, e pregovi a darmi avviſo di qualche ſua virtuoſa fatica. Dio vi doni l' effetto di ogni voſtro deſiderio. Di Venetia l'ultimo di Maggio 1560.

Voſtro come amorevoliſſimo fratello

Paolo Manutio.

[1] Vis aliquid ad eum de inſcriptis mihi a te Lucretianis ſcholiis ſcribam?

[2] Volo, atque adeo te ut iſtud facias magnopere rogo. Poſtremo velim quoque eum meis verbis jubeas ſalvere, eique gratias agas. Si quid mihi temporis vacui dabitur, ſcribam ipſe ad eum; totus ſum in Lucretio concinnando; ſed vereor, ne temporis brevitate intercluſus ſcholia tibi relinquere non poſſim. Vale. Nullaſdum litteras Venetias accepi, quæ vel mihi vel tibi inſcriptæ eſſent. Si quæ venient, aut ſi quæ reddentur, mittam.

XXVII. *

Magnifico Signor come fratello.

RIngratio Dio, che mi ha liberato dal faſtidio, nel quale mi laſciaſte partendo, per dubio che la incommodità del viaggio non aggravaſſe la voſtra infermità. Il Varchi fu ſempre pieno di gentilezza e d' amore, lontano da ogni malignità, e da quel-

1 In extrema pagella epiſtolæ ejuſdem ſunt hæc Mureti manu.

2 Atque hæc alia manu, quod videtur reſponſum fuiſſe Manutii ipſius.

* *Al magnifico ed eccellente mio come honorato fratello M. Marcantonio Mureto. In corte dell' Illuſtr. e Rever. Cardinale di Ferrara.*

da quella ſimulatione, con la quale quello amico dalle ſcuſe magre ha acquiſtato appreſſo alcuni nome di bontà e di ſemplice natura. Vorrei, che haveſte viſitato il Robortello mio nuovo amico, ſe però tra diſſimili può eſſere amicitia; e non è già poco che non ci ſia odio. Non ho ancor veduto M. Scipio dopo ricevuta la voſtra lettera, al quale dirò quanto mi ſcrivete. M. Durando mi ſarà a cuore, non meno per le ſue qualità, che per eſſermi raccomandato da voi, il quale potete meco, e dovete poter quanto amico, che io habbia al mondo. Nel Titio ho ritrovato veriſſimo il teſtimonio voſtro, che ſia giovane e per la bontà, e per la virtù amabiliſſimo, e venendomi occaſione di honorarlo, conoſcerà quanto io amo e lui, e voi. Il Padre Ottavio [1], e l'Arciveſcovo di Raguſi [2] vi riſalutano. Non ho potuto veder Monſignor Agoſtini. Il Faſinardi è tutto voſtro. Baſti queſto per riſpoſta. Udite hora quel che forſe non ſapete. Il Faerno fa ſtampare le Filippiche con le ſue correttioni: non ſo ſe vi aggiungerà annotazioni: ma conforto voi, ſe farete ſtampare le voſtre in Parigi, come voi mi diceſte, e come pare che il Faerno habbia temuto, e forſe da qualche uno inteſo, che vogliate ad ogni modo mettervi annotationi alla fine: che ſo quanto importa per l'ordinario, e quanto acquiſtarete nell'opinione degli uomini con la bellezza del voſtro ſtile, e con que'

1 Pantagato. 2 Beccadello.

que' tratti d' ingegno, a' quali quanto pochi habbiano poſto mano all' età noſtra, ſenza che io il dica, il ſapete; e di quanto haverete operato, ſiate contento avviſarmi. Nell' arrivar in Parigi, mi pare di vedere l' allegrezza voſtra, conoſcendovi tanto diſſimile da quello che eravate, quando vi foſte un' altra volta. Salutate Monſieur Tornebo; dal quale intenderete, ſe a qualche modo ſi poteſſe haver uno impronto di quel carattere greco, col quale Henrico Stefano ſtampò l' Anacreonte: di che ho preſo ſperanza per le parole di eſſo Henrico, e perchè egli l' hebbe. Deſidero ancora di ſapere, ſe li Commentarj di Ceſare furno mai ſtampati in Parigi con le correttioni di Monſieur Daneſio, quelle ch' egli già molti anni paſſando per Venetia diede a Meſſer Antonio mio fratello, in tempo ch' io mi ritrovava in Urbino con Mr. Federico Badoero: erano molte e tutte belle. Ma non ſo per quale ſciagura il libro mi fu rubato. Pregovi a far riverenza in nome mio al predetto Monſieur Daneſio, hora Veſcovo di Selva, affermando a S. Signoria, che io conſervo memoria della noſtra antica amicitia, e predico in ogni occaſione le ſue rariſſime virtù, con le quali mi eccitò già a bel deſiderio di gloria, benchè poi le forze non ſono ite del pari con la volontà. Pregarete poi S. Signoria, che ſia contenta darvi a copiare le medeſime correttioni; ovvero ſe per avventura le haveſſe donate a qualche ſtampatore di Pari-

Parigi, per eſſere egli corteſiſſimo, intendete di che anno furno ſtampate, e mandatemi il libro per via ſicura, o portatelo voi, dovendo preſto ritornare in Italia. Ci è in Parigi Meſſer Bernardo Torreſani mio cugino, che ha una bella libraria, & è giovane di gran valore ed amabile creanza. Salutatelo da parte mia, e valetevi di lui dove vi tornerà bene; che ſo per amor mio e qualità voſtre ſarà pronto a farvi ogni piacere. Il Vicomercato ſtampò già un ſuo comento ſopra il ſecondo libro dell'Anima: inteſi dapoi, che haveva fornito il comento ſopra gli altri due libri. Di gratia, ſe gli ha ſtampati, fate che io il ſappia, e così ſe ha ſcritto coſa alcuna ſopra il Cielo. Perciocchè mi piace mirabilmente la maniera del ſuo commentario: e pare che la capacità dell' ingegno mio habbia convenienza grande co' ſuoi ſcritti, laddove malamente ſi accomoda agli ſcritti degli altri. Sarammi cariſſimo, che ſia da voi ſalutato caramente a nome mio, Attendete a conſervarvi, e ſcrivetemi a che tempo dobbiamo aſpettare il voſtro ritorno. Di Roma a' 9. di Agoſto MDLXI.

Come fratello amorevoliſſimo
Paolo Manutio.

XXVIII.

XXVIII.

Magnifico M. Marcantonio come fratello.

PER l' altra vi ſcriſſi a lungo. Hora non ho da dirvi altro, ſalvo chele Philippiche del Faerno ſono vicine al fine. Ci aggiugne ſue annotationi, per quanto mi ha detto: il che non ſapeva, quando vi ſcriſſi l'altra. Le dedica al Vittorio, quaſi per riſtorarlo dell' honore toltogli dalle voſtre varie lettioni. Se voi ſtampate le voſtre, loderei che voi ancora le dedicaſte ad un letterato, come al Padre Ottavio, o a Monſignor Carneſecca. Più alto non monterei: perchè fatica più nobile ſi richiede al voſtro Cardinale per l' altezza del grado, e pel valore infinito. Le coſe mie vanno beniſſimo. Il Robortello è condotto a Padoa alla lettura dell' Etica, aggiuntovi il luogo del Fagiuolo, il quale ha dimandato licenza, e credeſi che anderà al luogo di Venetia: altri dicono il Giraldi. So, che vi darà gran maraviglia la nuova del Robortello. *Mihi non videtur in gratiam ſatis bona fide rediiſſe.* Dio vi conſervi, e riduca preſto a Roma, con pubblica e privata contentezza, come ſpero e deſidero. Di Roma a' 20. di Settembre 1561.

Il Manutio voſtriſſimo.

XXIX.

[1] * *Al magnifico & eccellente mio come honorato fratello M. Marcantonio Mureto. Alla corte dell' Illuſtriſſimo e Reverendiſſimo di Ferrara.*

XXIX.*

Magnifico M. Marcantonio come fratello.

RAre appariſcono voſtre lettere: il che mi fa dubitare, non che vi ſiate ſcordato di noi, ma che ſiate impedito da qualche indiſpoſizione. Onde vi prego a ſcrivere, e darmi avviſo dello ſtato voſtro. Già molti dì vi ſcriſſi, che il Faerno era morto ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος. Hora vi darò nuova di coſa che mi ha dato eſtremo dolore, e ſo, che voi ne ſentirete la medeſima paſſione. Habbiam perduto il noſtro caro & honorato Padre, frate Siſto [1], che fu, come ſapete, la bontà ed humanità del mondo. E' morto parimente con eſtremo mio cordoglio il mio Monſignor Vitelleſchi giovane di 19. anni, ingenioſo, e modeſto, e ricco, *ſi quid ad rem attinet*, di 6000. Δ. di entrata, in caſa del quale alloggiai queſta eſtate. Io & il noſtro Padre Ottavio mio vicino ſtiamo beniſſimo. Se Morellio ſtampa il commento di Ulpiano ſopra Demoſtene con l'autore, ricorretti, datemene avviſo, e così del Vicomercato, ſe ha fatto, o fa coſa nuova. La ſtampa è incaminata. Vi manderei la mia prefatione; ma è troppo lunga, e ſpero, che

* *Al magnifico & eccellente M. Marcantonio Mureto mio come fratello honoratiſſimo. In corte dell' Illuſtriſſimo e Reverendiſſimo Cardinal di Ferrara Legato di S. Santità (ricevuta a' 22. di Febraro 1562.**)*

** Hoc Mureti manu.

1 Medices.

che verrete a vederla quì. Dio vi conſervi. Di Roma a' 12. di Gen. 1562.

Voſtro come fratello, Paolo Manutio.

Ancora non ſi ſtampano le annotationi del Faerno ſopra le Philippice, credo che già le voſtre ſiano fornite.

XXX.* [1]

MI *Murete, ut vales?* Mill' anni, che non ſon corſe lettere, hora libero totalmente dal male [2], rifatto dall' indiſpoſizione ſcrivo, & pago il debito. Ben mi veggo & conoſco debitore di groſſo: ma vi giuro, che ſe foſte ſtato quì, & aveſte ſaputo i travagli, mi havreſte havuto per ſcuſato. Et talvolta mi ſon trovato talmente travagliato, che deſideravo, che voi foſte ſtato quì, o ch' io mi foſſi trovato in Roma, perchè nell' uno e nell' altro modo haverei havuto minor penſiero, havendo così vero & ſincero amico [3] da conferire. Et tuttavia dico, che è forza,

* *Al Magnifico, & Eccellente mio honorato Padrone, & come Padre, il Signor Marc'Antonio Mureto. Roma.*

1 *Viſum eſt epiſtolis Pauli, filii Aldi hanc epiſtolam ſubjungere Mureto ſcriptam. De ærumnis ſuis graviter dolet, & Romam deſiderat. Annum præfert epiſtola 1574. ſed more eum Veneto appellare puto, qui erat communi 1575. Cum ergo pater obiiſſet, & ſibi domus totius onus incumbere videret, Romaque nuper adveniſſet, hæc Mureto ſcribit.*

2 *Morbo ergo tentatus anno ſuperiore, de quo nihil Zeno.*

3 *Quam eſſet amicus idem Aldus hoc anno publice teſtatus eſt, cum in epitome orthographiæ ſuæ pag. 241. commentarium quemdam ſuum poſuit hoc titulo:* De epiſtolis commentarius Aldi Manutii Paulli F. Aldi N. Ad M. Antonium Muretum amicorum κορυφαῖον.

za, che o voi vi riſolviate di vivere a Venetia, o io dico di eſſere riſoluto di eſſere in Roma, per non perdere la dolce converſation voſtra. E vi prometto, che non burlo; & chi prima opera, ſia. O voi a me, o io a voi trovate luogo da poter vivere honoratamente, & mi vederete riſoluto: dico da vero. Quì non vivo, poichè mi trovo travagliato; & con la compagnìa voſtra e quì & altrove goderei. Quando fui coſtì, hebbi parecchi aſſalti di reſtarvi, con minor briga, di quella haveva mio padre, e proviſione medeſima, che la prima aveva. Vi prometto, che forſe forſe farei hora quel trattato. A me non ſta attizzare di nuovo queſta prattica: ma un Mr. Giulio Giacob. [1] noſtro ſarebbe buono. Deſidero, che con eſſo lui ragioniate inſieme una mezz' hora del fatto mio, & poniate in quella conſideratione che vi parrà quanto ſcrivo; che può eſſere che io penſi bene; & può eſſere ancora, che accecato da' travagli non habbia buon penſiero. Sono in buone mani di amico, & di amico intendente. Vi raccomando queſto penſiero mio; & haverò caro ſapere qualche coſa: & quanto più ſcrivo, tanto più mi creſce la voglia. Ma baſta ſin quì.

E' con queſta il principio delle voſtre orationi [2], cioè tre fogli della carta in che tutte ſaranno. Ma ne ho fatti far 20. in carta mezzana: ſi ſeguirà, & pre-

1 *Julium Jacobonium eſſe puto, quem poſtea etiam appellat.*

2 *Prodiit a.1575.* apud Aldum *additis hymnis ſacris, & aliis quibuſdam poematiis.*

& preſto haverete ogni coſa. O quanto m' increſce, che non abbiate avuto il voſtro intento più preſto: di che ne è ſtato cagione quanto ho detto.

Mando inſieme cinque fogli de' Commentarj di Ceſare [1], che inſieme ſo ſtampare; e credo vi piaceranno. Faccio anche fare le figure di nuovo, per eſſer le vecchie troppo vergognoſe.

Ancora due fogli del Terentio [2], che credo vi doveranno piacere. Haverò caro aver, ſe ci havete altro ſopra: che per le ſcholie ſarà a tempo. Credo che tutto e di carta, e di correttione, e di ſtampa doverà piacervi.

Non ſo, ſe Mr. Fulvio, o il Statio [3] in certo libro

1 *Extat Caſar editus h. t.* C. Julii Cæſaris commentarii ab Aldo Manutio Paulli F. Aldi N. emendati, & ſcholiis illuſtrati ad Ill. atque Excell. D. Jacobum Boncompagnum S.R.E. Gen Gubern. Venetiis MDLXXV. apud Aldum. *Habemus in Biblioth. Mureti Caſarem editum a. 1564. cum ſcholiis Bruti, ubi Muretus ſcripſit:* M. Antonii Mureti dono Aldi Manutii: *in eo multa ejuſdem manu correcta ſunt turpia menda, ut pag. 7.* fratrem ſtatueret *pro* in fratrem, *ut correctum eſt pag. 4. Pag. 28.* milites conſertos *pro* militer confertos, *pag. 57. Pag. 40.* ab altare impetur fieri poſſet *pro* a latere &c. *Quædam tamen a Mureto licet adnotata retenta ſunt, ut pag. 13. Muretus pro* commeatu atque emolumento *ſubſtituit ex cod.* molimento: *pag. 14. pro* non magnum periculum miſerabantur *ex cod. p.* magnum periculum eſſe rebantur: *p. 27. pro* adjici poſſit *ex codem* adigi poſſet &c. *Alia Muretus adnotavit in edit. a. 1570. in qua Manutii, puto, manu* M. Antonio Mureto.

2 *Editum hunc quoque habemus:* P. Terentius Afer a M. Antonio Mureto emendatus. Ejuſdem Mureti argumenta & ſcholia in ſingulas comœdias. Venetiis MDLXXV. apud Aldum.

3 *Fulvium Urſinum compellat. Liber extat hoc tit.* Imagines, & Elogia Virorum Illuſtrium, & Eruditorum ex antiquis lapidibus, & nomiſmatib. expreſſa cum annotationibus ex Bibliotheca Fulvii Urſini a. MDLXX. Romæ Ant. Lafrerii formis. *Ibi pag. 42. Terentii imago habetur ex cod. Vaticano. Eadem exſtat in Terentio cum ceteris codicis imaginibus edito Urbini a. 1736. pag. XIII. In Muſæo Capitolino tom. 1. num. 36. & 37. Terentii effigies aliæ duæ

de Viris Ill. ſtampato dal Lafieri pongono una Imagine di Terentio cavata dal libro Vaticano. Haverei caro, che gli deſte un' occhiata; & mi ſcriveſte, ſe vi pare che faceſſi intagliarla con alcuna voſtra diceria, o no. Ne aſpetterò riſpoſta.

Al Giacobonio mi raccomando, col quale & con ogni amico ſarò parſo aſſai negligente per li miei travagli. Lo ſaluto & lo abbraccio: E voi ſtringo di tutto cuore.

D. V. S. agli 8. di Genn. 1574.

Figlio e Serv.
Aldo Man.

XXXI.*

Dionyſius Lambinus M. Antonio Mureto S. D.

JOannes Doluſius [1] tibi (ut ipſe ait) notiſſimus paucis ab hinc diebus mihi dixit, N. [2] Magnum Avanſonii [3] Gallici apud Pontificem Maximum Legati ſcribam litteras tuas ſibi recitaſſe, in quibus tu mihi nomi-

dua exhibentur, de quibus ibid. pag. 24. Alio titulo Urſini opus in Bibliotheca Card. Imp. recenſetur: Illuſtrium imagines ex antiquis marmoribus, nomiſmatibus, & gemmis expreſſæ cum commentario Joannis Fabri. Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1606. *De eo libro Hankius de Romanarum rerum Scriptoribus part. 2. cap 74. Achillis Statii opus inſcribitur:* Inluſtrium Virorum ut extant in Urbe expreſſi vultus. Romæ MDLXIa. Formis Antonii Lafreri. *Statii nomen legitur in epiſtola, qua ſubjicitur,* Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Dn. Dn. Antonio Perenotto S. R. E. Cardinali Granvelæ Archiepiſcopo Mechlinienſi Achilles Statius S. P. D. Qui virtutes &c. *Hic in exemplo meo Terentii Vaticanam effigiem non reperio, nec eam Aldus in Terentio repræſentavit.* * *In extrema epiſtolæ facie legitur* A Monſr Monſr Muret. Venize. 1 *Is eſt, cui Muretus adnotationes ſuas in Horatium dedicavit a 1555.* 2 *Sic in autographo:* Nicolaum *lege.* 3 *Legatum hoc tempore fuiſſe conſtat.* V. Daniel.

nominatim ſalutem adſcripſiſſes. Id ego te mirabar feciſſe. Nam neque tu me unquam videras, neque ego te: tantum in ſermone (ut fit) cum eſſem Lutetiæ anno ſuperiore [1], Ronſardus, Auratus, Brino ὁ μακαρίτης, qui mihi commentarios tuos in Catullum paucis diebus antequam e vita excederet dono dederat, de te amanter & honorifice mecum erant locuti; ita ut illorum quaſi teſtimonio in eam de te opinionem adductus eſſem, quæ de Viro omni humanitate perpolito & eruditiſſimo haberi & debet & poteſt. Acceſſit poſtea lectio tuorum commentariorum in Catullum, & quinti libri Ariſtotelis de Moribus abs te in latinum ſermonem converſi, quæ orationem illorum de te, qui alioqui magnam apud me auctoritatem habebant, plane confirmavit & comprobavit. Sed ut ad id redeam quod cœperam ſcribere; miratus ego, quid tibi in mentem veniſſet, quamobrem tu me ignotum hominem, de quo nunquam fortaſſe audiſti, cujus denique nulla ſcripta in hominum manus unquam venerant, ſalvere juſſiſſes; N. Magnum, cui forte a cœna ambulans obvius factus eram, dextra prehendi, & cum ſalutaſſem, eaque quæ in occurſu ſunt uſitata locutus eſſem: Sed quid ſibi vult (inquam) Muretus noſter (noſtrum enim te libenter appello, qui cum amicis meis uſu & conſuetudine vitæ, mecum ſtudiis & natione conjunctus es) quem mihi dixit Doluſius litteras ad te dediſſe, in quibus ſa-

 lutem

1 1556.

lutem mihi adſcripſerit? Nam neque ego illum, neque ille me novit. Tu mihi (inquam) amabo te, hanc dubitationem ac difficultatem expendi. Ille autem: At ego (inquit) facile expediam, atque adeo tollam. Rogaverat me Muretus per litteras, ut aliquid ad ſe de rebusRomanis ſcriberem,qui nam hîc Galli eſſent, quorum præcipue conſuetudine uterer,quibus ſtudiis,aut vero quibus ludis rerum ſeriarum cura ſolutus delectarer: ego ei reſcripſi,Gallos hic eſſe elegantiores Bellayum, Cardinalis Bellayi propinquum & familiarem, Doluſium, & Lambinum e comitatu Cardinalis Turnonii, alios præterea multos: cetera addidi, quæ ille ſuis litteris requirebat. Ex hoc mearum litterarum loco nata eſt illa tui nominis, & aliorum amica atque officioſa *in litteris* Mureti commemoratio ac ſalutatio. Hæc cum ille dixiſſet; primum gratias egi, quod me in iis, quos plurimi faceret, numeraſſet: deinde me excuſavi, quod eum moratus eſſem, hominemque dimiſi; atque ita ab eo digreſſus ſum. Cum primum autem vacuus fui; functurum me hominis humani officio exiſtimavi, ſi non ſolum tantumdem ſalutis, quantum tu mihi adſcripſeras, tibi reponendum per Magni litteras curaſſem, verum etiam egomet litteris meis tibi meam erga te benevolentiam declaraſſem, beneficiique iſtius gratiam mea ipſius manu, meiſque litteris retuliſſem, ac liberaliori veluti menſura cumulaſſem. Atque hæc mihi gravis & juſta cauſa viſa eſt, quamobrem ego ad te ſcri-

ſcriberem, ne tibi forte magis mirum videatur, cur ego ſcripſerim, quam mihi fuit, cur tu me ſalvere tuis ad Magnum litteris juſſeris. Verum quemadmodum cum aliqua de cauſa congreſſum alicujus expetivimus, poſteaquam ea res, quamobrem eum convenire voluimus, acta a nobis & tranſacta eſt, ſolemus nonnunquam vel in alium ſermonem fortuito incidere, vel noſtra voluntate venire, qui nihil habeat cum illo commune: ſic cum ego initio has ad te litteras propter eam quam ſcripſi cauſam dediſſem; venit mihi nunc primum in mentem eadem opera, de eodem atramento, in eadem charta alienum adſcribere a ſuperiore illud quidem oratione, ſed non omnino a noſtris litteris alienum. Scis, homines longe facilius ea reprehendere quæ non probent, quam quæ admirentur laudare. Nuper in ſermone cum eſſem cum Gulielmo Sirleto viro doctiſſimo (ne forte putes, me quæ mihi in mentem venerint aliis attribuere), de tuis commentariis in Catullum ſermo natus eſt: eos enim ego magnopere probaram, tum quod ita ſentirem, tum ut ejus ſententiam elicerem. Multa ille quidem de te honorifice dixit, ingeniumque tuum vehementer laudavit; locum unum dumtaxat memoriter protulit, in quo explicando diceret, te tui diſſimilem, parumque diligentem fuiſſe. Locus eſt in carmine illo, quod ſcripſit Catullus in Nuptias Juliæ & Manlii,, *Floridis velut enitens myrtus Aſia*

ramulis [1] „ ad quem ſic notas [2] : *Quod videlicet in Aſia propter regionis calorem arbor hæc feliciſſime proveniat;neque eſt quod quenquam moveat ſyllabæ modus. Sic Hom.* ιλ. *β.* Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι &c. *& Virg.* [3] *Quaque Aſia circum Dulcibus in pratis &c.* Dicebat igitur Sirletus, illud Ἀσίῳ nomen eſſe *prati* proprium a quodam *Aſio* Lydiæ rege : ita *myrtum Aſiam* dici a Catullo, non quæ in Aſia, ſed quæ in prato illo Aſio, virgultorum & florum variorum pleniſſimo atque amœniſſimo, nata ſit. Atque ut ego quoque dicam quod ſentio, M. Murete, nunquam ego putavi neque apud Hom. neque apud Virg. illud *Aſia*, regionis, quam mundi partem tertiam faciunt, nomen eſſe. Itaque cum Sirletum audiſſem, nihil aliud ad tui defenſionem attuli, quam tibi per

1 *V.21.pag.52.* 2 *pag.67.*

3 *Verba ipſa Mureti ſunt :* Sic Maro :

> ....*& quæ Aſia circum*
> *Dulcibus in pratis rimantur Stagna Cayſtri.*
> Et alibi .....*Sonat omnis & Aſia longe.*

Sic cum Arabes, & Italos prima correpta enunciemus, Arabiam, & Italiam prima producta dicimus. *Quibus Muretus in altera editione a. 1558. hæc ſubjunxit pag.75. :* Biennio fere, poſtquam commentarius editus eſt, ſcripſit ad me Roma Dionyſius Lambinus, homo mihi, & propter doctrinæ præſtantiam, & propter ſuaviſſimos mores eximie carus, eſſe illic quoſdam homines eruditos, qui cum ceteroqui perhonorifice de me ſentirent, hoc loco diligentiam meam requirerent, qui ab Aſia regione, oon ab Aſia palude *Aſiam Myrtum* diei putaſſem, neque ſaltem ea vidiſſem, quæ hac de re pervulgati Homerici ac Virgiliani Interpretes tradidiſſent. Ego autem, quod de me bene ſentiant, gratiam habeo : quod me, hoc quidem loco, reprehendant, facere injuſte puto. Nam illam ipſam paludem in Aſia eſſe conſtat ; & pratum illud Aſium, ut nonnulli a nomine ἄσις, alii ab heroe quodam Aſia, ita ſunt, qui a terra Aſia nominatum opinentur : idque & Euſtathius teſtatur, & is cujus ſunt ſcholia in Homerum. Eſt autem mihi quoque, niſi fallor, liberum in ſententiarum varietate id ſequi, quod maxime probabile videatur.

per imprudentiam adnotationem illam excidiſſe; neque veriſimile eſſe, tibi ea, quæ ab Homeri interprete, & Euſtathio dicuntur, ignota aut inaudita eſſe, qui aperte nomen illud aliter quam tu explicant. Heſychius autem Ἀσίον λειμῶνα vult eſſe ἄσιν καὶ ἰλὺν ἔχοντα, quam interpretationem notat quoque Homeri interpres. Sed ſive tu recte, ſive ſecus, illa ſcripſeris, velim mihi credas; reprehenſionis hujus non me auctorem eſſe, ſed Sirletum, cui tamen aſſentitur vir doctus Faernus. Hæc autem quæ ſubjiciam mea ſunt illa quidem, ſed tamen ea lege ponam, ut exiſtimes tui admonendi non reprehendendi cauſa eſſe a me excogitata. Epigramma eſt Catulli ad Lesbiam, in quo quid interſit inter amare & bene velle doces. Sed antequam tua verba ponam, ſubjiciendi ſunt oculis Catulli verſus, ad quos pertinet tota tua diſputatio.

Nunc te cognovi, quare etſi impenſius uror,
Multo mi tamen es vilior & levior.
Qui potis eſt? inquis, quod amantem injuria talis
Cogit amare magis, ſed bene velle minus?

Primum igitur hoc proponis; *amandi* verbum latius patere, quam *bene volendi*. *Neque enim* (inquis) *ſi quis amat, continuo illud ſequitur, ut etiam bene velit, cum tamen bene velle niſi quis amet non queat. Ita ſæpe propter corporis voluptatem libidinoſus atque intemperans aliquis mulierem amare poteſt, cui tamen*

men & animo bene velle non curet[1]. Tua illa ſunt, quæ mihi valde probantur. Sequitur mox: *Jam vero beſtias & res inanimas ut cibum & vinum amare dicimur, ut ait Ariſtoteles, quibus tamen nemo ſanus bene velle nos dixerit*. Videntur mihi hæc quoque veriſſime dici: tametſi Ariſtoteles illo loco, de differentia inter bene velle & amare nondum loquitur (ut ſcis) ſed vult oſtendere, φιλίαν non poſſe dici ἐν τῇ τῶν ἀψύχων φιλήσει. Rationes duas affert: prior eſt hæc; In amicitia debet eſſe mutua (ut ita dicam) amatio: at cum in rerum inanimarum amatione, neque mutuò reſponderi, neque par pari referri poſſit, ἡ τῶν ἀψύχων φίλησις φιλία dici non poteſt. Altera ratio eſt: neque quiſquam eis bene vult; ridendus ſit enim, ſi quis dicat ſe vino bene velle. Ex his verbis colligis & recte, latius patere verbum amare, quam bene velle, quia ſit ibi φίλησις, ubi non ſit ἀγαθοῦ βούλησις. Ariſtoteles autem concludit, φίλησιν non eſſe φιλίαν, quia amare poſſit & qui non redametur, & qui alteri non bene velit; ut ſi quis amet vinum, aut currum. Sed videamus, quemadmodum pertineant illa ad Catulli ſententiam: non enim Catullus ita Leſbiam amat, ut vinum aut rem aliquam inanimam, aut

1 *Poſtrema Mureti verba ita ſe habent pag.* 155. Ita ſæpe propter eam, quæ ex corporum commixtione efficitur, voluptatem, intemperans aliquis meretricem amare poteſt: cui tamen, bene an male ſit, non laboret. *Atque ibidem ſequitur*: Et vero cum beſtias, tum etiam res inanimas, ut cibum potumque, ut ſigna tabulaſque egregii operis amare (ait Ariſtoteles) dicimur, quibus tamen nemo ſanus bene velle nos dixerit. *Sententiam ergo potius, quam verba ſpectavit Lambinus, cum hæc afferret.*

aut ſcortum denique, ſed ut pater filios; quæ amatio non admodum late patet, ſed tam reſtricta atque in anguſtum contracta eſt, adeo ut amicitia dici poſſit. Dicis[1]: At poſteaquam ſe blanditiis ejus in fraudem inductum eſſe cognovit, amat nihilominus, aliquanto etiam magis, ſed tamen depoſuit ex animo paternam illam benevolentiam, quam in eam habebat. Sic aliquanto vehementius amat, quam ſolebat, & cum ejuſmodi amatione benevolentia ita copulata eſt, ut ab ea divelli non poſſit. Quomodo poſſunt hæc cohærere, magis amare, & minus bene velle? Mihi certe (pace tua dixerim) ad epigramma Catulli hæc diſputatio non ſatis lucis videtur afferre, neque in ea ſola difficultatis hujus explicandæ rationem poſitam eſſe arbitror. Ego autem, ne me aliorum inventa improbare, ipſum nihil invenire aut ex me promere poſſe dicas; inculcabo id, quod initio dixi, me non ſtudio contradicendi aut reprehendendi, ſed tui admonendi gratia quicquid horum ſcripſerim attuliſſe. Qui admonet autem, non hoc ſemper de ſe profitetur, aut ſibi arrogat, ſe eo quem admoneat eſſe ad aliquid agendum aptiorem, ſed hoc tantum ſignificat, id quod ille ageret, hoc, quam illo modo, commodius ac venuſtius agi potuiſſe: ita ſi ego vel officio vel benevolentia adductus admonendum te eſſe putavi, mihi videri iſta minus con-

1 *Neque hac ipſa Mureti verba ſunt, ſed paullò diſſimilia. Ceterum in altera editione nihil mutavit Muretus; ut hac* ἐν ϛιϛικῶς *dicta arbitratus eſſe videatur. Vide pag.* 127.

conſiderate, minuſque accomodate eſſe ſcripta; non continuo hoc mihi onus impoſui, ut aliquid melius afferrem. Nam neque ita otio abundo, ut mihi liceat quod tibi licet, auctorum ſcripta & accurate legere & docte atque acute explicare; neque unquam ita meis viribus confiſus ſum, cum annos circiter XXXVI. natus ſim, bonamque ætatis partem in litteris conſumpſerim, ut auſus ſim quicquam a me ſcriptum hominum judicio committere. Verumtamen, quando multum intereſt, utrum id ſcribamus, quod in multorum manus perventurum ſit, an quod unus dumtaxat ſit lecturus; non me pigebit aperire, quæ ſit meo judicio horum Catulli verſuum ſententia. Dicit igitur Catullus (in quo nihil abs te diſcedo) ſibi Lesbiam, priuſquam eam fallacem, mendacem, & perfidam eſſe comperiſſet, caram fuiſſe, non ſolum ut amicam amanti, ſed ut filiam parenti. Poſteaquam autem ejus fallacias, blanditias, & artes ad fallendum comparatas cognoverit, deſiiſſe ſe illam ita, ut antea ſolebat, amare: ſic eam porrò amare, ut amatur amica, ea quæ a forma & ætatis maturitate commendata, multis autem ab amico beneficiis cumulata, ingratam & crudelem ſe in eum præbeat, aliumque ei præferat; quibus fiat, ut amans miſerrime amore crucietur, neque ei bene velit tamen. Quamvis enim propter ejus formam, cetera & corporis & naturæ bona, incredibili ejus amore flagret & pene contabeſcat; propter vitioſos mores

tamen,

tamen, ingeniumque ingratum, atque inhumanum, eam odit peſſime: eſtque id, quod ſignificat Catullus in duobus poſtremis verſibus „ *quod amantem injuria talis &c.* „ amantem (inquit) injuria talis cogat *magis amare, ſed bene velle minus*. Itaque mihi vedetur tota difficultas in verbo amare eſſe poſita, quod & honeſte & libidinoſe amare ſignificat: quarum duarum rerum duo videntur eſſe apud Græcos propria nomina, φιλεῖν, & ἐρᾶν: quamvis ſciam, φιλεῖν nonnumquam pro ἐρᾶν accipi: ſed certe ἐρᾶν proprie valet in amore libidinoſo. Perinde igitur eſt, ac ſi dicat Catullus; Ego te tamdiu, quamdiu me abs te vere & ex animo amari putavi, vere quoque & honeſte amavi, i. καλῶς ἐφίλησα, & dum te ita amavi, tantiſper tibi bene volui; quiſquis enim hoc modo amat, neceſſario & bene vult: tuis autem moribus perſpectis & cognitis, amorem illum priſtinum abjeci, teque multo minoris quam ſolebam facere cœpi, ſed amore tamen vehementius uror, i. μᾶλλον ἐρῶ· καὶ ἔρωτι φλέγομαι πλέον καὶ καίομαι. Quod uſque adeo novum aut mirum non eſt, ut quotidie videamus, inter amantem & eam quæ amatur tantam oriri diſcordiam, ut alter alteri manus afferat, alterque alterius vitam infeſtus perſequatur; cum nihilominus amore ardeat ac pereat. Ac tum ſerio miſerabilis eſt amantis conditio, cum pugnat cum odio ac dolore tabificus ille amoris ardor. Sunt & alia quædam, quæ ſi aliquando congrediamur coram, inter

inter nos communicabimus. Unum hoc non differam in aliud tempus, de quo te mecum minime pugnaturum arbitror. Verſiculum illum [1] „ *Scitis & in quo me corruerit genere* „, mendoſum eſſe puto; neque plane verbum illud *corruerit* accipi pro *proſtraverit*. Reperi olim in quodam vetuſto codice ita ſcriptum „ *& in quo mexorruerit genere* „: ex qua lectione, quæ tamen litura non vacabat, conjecturam feci, legendum eſſe „ *& in quo me exercuerit genere* „: cui conjecturæ omnes elegantes homines facile aſſenſuros eſſe confido [2]. Diſtichum illum flagitioſum & nefarium „ *Multus homo es naſo* „

1 *Eſt in Elegia ad Manlium*. Quod mihi fortuna &c. *verſus* 52.
Nam mihi quam dederit duplex Amathuntia curam,
Scitis & in quo me corruerit genere.
Muretus pag. 110. *ad verbum* corruerit *hæc adnotaverat*; Proſtraverit: adnotandus autem eſt uſus hic verbi corruo non admodum frequens.

2 *In altera editione addidit Muretus poſt ſuperiora verba pag.* 122.: Eo tamen ad eumdem modum uſus eſt alicubi Lucretius. Lambinus meus, cujus ego doctrinam, & judicium plurimi facio, hunc verſum ita legit „ Scitis & in quo me exercuerit genere „: aitque, ſe vidiſſe veterem librum, in quo eſſet *exhorruerit*; unde ipſe eam, quam dixi, conjecturam facit; in meo quidem, qui ſcriptus eſt centum & eo amplius ab hinc annos, omnibus literis aperte legitur *corruerit*. *Hunc codicem nos unum ex Mureti libris, qui fratris filii teſtamento ad nos redierint, habemus: continet vero Propertium, Tibullum, Catullum hoc ipſo ordine; in fine hæc nota adſcripta eſt eadem manu*: Catulli Veronenſis liber feliciter explicit. 5. Auguſti 1460. *& in fine Propertii*; Propertii Aurelii Naute ad Cynthiam Monobyblos explicit feliciter per me Joannem Carpenſem die 16. Februarii a. 1460. *Habemus & codicem alium trecentis annis & amplius fortaſſe antiquiorem, ex quo eadem lectio; in editis vero eadem in Catullo Parmæ edito a.* 1473. *Cæterum Cl. Vulpius cum in prima, tum in altera editione Catulli legit* torruerit. *Jo. Franciſcus Corradinus de Allio*: Lego quoque contra fere omnes libros excuſos, ut fidem facit omnis vet. Scrip. nullo libro ſcripto excepto, Achille & Mureto teſte „ corruerit „; quod neſcio, quo fato docti mutarunt in „ torruerit „ ſpurium, quod ſolito Vulpius ſecutus eſt immerito, cum „ corruerit „ ſit elegantius, & venuſtius &c.

ſo ,, ex illo verſiculo ad Gellium intelligi poſſe puto. Sed & tu ingenue ſcripſiſti, abs te non intelligi, & ego portentoſas hujuſmodi libidines non modo commemorari & proferri, ſed ne cogitari quidem oportere cenſeo. Video, te in Terentium quoque aliquid ſcripſiſſe: ſed vellem locum illum, qui jamdudum in *Heautontimorumeno* corrupte legitur, felicius emendaſſes ,, *Niſi eos qui opere ruſtico faciundo facile ſumptum exercerent ſuum* ,, ; ad quem nihil adnotaſti; tantùm in locum vocis *ſumptum*, *victum* ſubſtibuiſti [1]. Ego & ex Nonio Marcello, & ex

[1] *Hæc ſunt Mureti verba pag. 55. edit. Ald. a. 1575.* Sunt qui putent, hoc loco legendum ,, ſumptum exſarcirent ſuum. Sed in libro Petri Bembi, non tantum, ut in aliis ,, exercerent ,, legitur, verum etiam adſcripta eſt ad latus explicatio quædam hujus vocis, quæ ſcripturæ illius integritatem confirmet: multum autem ejus libri valere debet auctoritas; eſt enim ita antiquus, ut Angelus Politianus, qui multos veteres libros viderat, teſtatus ſit, omnium cujuſque generis librorum, quos ipſe umquam vidiſſet, eum ſibi antiquiſſimum videri. *Hunc quem hoc loco nominat laudatque Terentii codicem vidi oculis ego, & tractavi ſæpius, notaſque, quæ in pura priore charta leguntur: ſunt autem hæ:* O fœlix nimium prior ætas. Ego Angelus Politianus homo vetuſtatis minime incurioſus nullum æque me vidiſſe ad hanc diem codicem antiquum fateor; *hæc inferiùs, ſuperiùs vero:* Terentio di lettere majuſcole con ſcholii in lettera Longobarda, fu del Bembo, in pergamena, in 4. Ful. Urſ. Eſt mei Bernardi Bembi, qui poſt ejus obitum maneat in ſuos. Antiquiſſ. antiquitatis reliquiæ. *Quod lectionem pertinet*, victum exercerent ſuum *habet ille codex in lucem aliquando productus Urbini 1736. Aliis tamen placuit retinere vulgatam lectionem* ſumtum exercerent ſuum, *ut viro eruditiſſimo, qui eam Romæ 1738. vulgavit, novo quodam prologo, ſive edicto de fabula agenda ornatam. Bentlejus, ubi quid ſit* exercere ſuum ſumptum, *neminem explicaſſe animadvertit, ne Gronovium quidem ipſum, quamvis id conatus fuerit Obſerv. Eccl. cap. 1., ſubdit:* Reponendum hic ,, exſarcirent ,, ut primus, opinor, vidit Janus Palmerius acutiſſimo vir ingenio. Atque eſto, ut s. Ambroſius ter quaterque ea phraſi uſus ſit ,, ſumtum ſuum exercere ,, nempe ante ejus ætatem jam hunc Terentii locum interpolaverant Magiſtri, ne verbo obſoleto diſcipulos male loqui docerent.

ex bonis codd. lego „ *Niſi eos qui opere ruſtico faciundo facile ſumptum exarcirent ſuum* „ Eſt autem *exarcire* verbum ex *ſarcio*, & propoſitione (ut vocant) *ex* compoſitum ; neque quemquam vel de ipſius loci integritate dubitaturum, vel quid ſit „ *ſumptum exarcire opere faciundo* „ ignoraturum arbitror. Alius eſt locus in *Andria* turpiter & pene dicam flagitioſe a viris doctis, iis qui certo in loco commorantur, neque ſedes & domicilia quotidie mutant, neglectus. Eſt igitur locus in prima ſcena actus primi „ *Eho : quid Pamphilus ? quid ? ſymbolum dedit, cœnavit &c.* „ mendoſe legitur ea vox *ſymbolum*, corrigendumque *ſymbolam* [1]. Sic in *Sticho* Plautus „ *Eadem nocte ſymbolam dabo, & jubebo ad Sangarium cœnam coqui* „ Sic interpres. Theocr. ad Θαλύσια. ἐπὶ δὲ τῶν βραδυνόντων τῶν παροιμία ὅϛις ἐπὶ δεῖπνον κληθεὶς ὀψὲ ἔρχεται, ἢ χωλός ἐϛιν ἢ ἐ δίδωσε συμβολάς, & Interpres Hom. Οδυσ. α. & λ. ἔρανος λέγεται τὸ ἐκ συμβολῆς γινόμενον δεῖπνον. Athenæus quoque lib. 1. idem declarat. Quamobrem nemo

cerent. *Turnebum*, credo, *ſpectavit*, *qui Adv. lib.* 3. *cap* 5. *ita* exſercirent *ſe ait legere*, *ut* exercerent *non damnet*, *& teſtem producit Ambroſium lib.* 2. *de Offic.* Sed direptione alicujus, & amiſſione patrimonii in eam recidere injuriam, ut ſumtum exercere non queat. *Guyetus legit* exercirent. *Quin Muretus ipſe var. lect. lib.* 7. *cap.* 13. Aſſentior etiam viro eruditiſſimo Dionyſio Lambino, qui ignoratione antiqui verbi locum hunc ex eodem libro depravatum judicat... Idemque ita legit verſus illos ex Heautontimorumeno „ Ancillas, ſervos : niſi eos, qui, opere ruſtico faciundo, facilem victum exſarcirent ſuum „.

1 *Convenire nunc inter doctos videtur*, ſymbolam *legi debere*, *poſtquam id ex mss. codd. aſſeruerunt Georgius Fabricius*, *Faernus*, *Daciería &c. denique ita legendum probavit Henr. Stephanus libell. de abuſu ling. Græc. etſi Bentlejus unum aut alterum ex libris ſuis id dicat habere*.

nemo jam futurus eſt qui dubitet, quin locus ille ſit ita corrigendus. Mihi quidem vir acerrimi judicii ingeniique politiſſimi Adrianus Turnebus, cum anno ſuperiore Lutetiæ eſſem, dixit, ſe ita legendum eſſe dudum cenſuiſſe. Sed ne volumen, non epiſtolam, ad te miſiſſe videar, finem ſcribendi faciam, ſi hoc tantum addidero, me decem libros Ariſtotelis de Moribus, qui ſunt (ut queruntur omnes docti) a Perionio contaminati, jamdudum in latinum ſermonem convertiſſe, eoſque ipſos Adriano Turnebo diſceptatore & judice cum Ariſtotele Græco contuliſſe. Nunc cogito, ſi modo id a meo Cardinale impetrare potero, Venetias proficiſci, ut ſi tibi & Manutio digni videbuntur, qui perveniant in manus hominum, veſtro judicio totam rem permittam. Inſtitui etiam commentarios plenos & copioſos in totum Horatium: mallem, ut eſſent docti, doctiſque omnibus probati. Sed nondum hoc opus abſolvi. Urgeo tamen quantum poſſum, in eoque perficiendo, ejus temporis, quod mihi vacuum datur, partem maximam conſumo; reliquum ſeveriora ſtudia ſibi vendicant. Sed totius diei meliores horas in deducendo & reducendo Cardinali, atque in equitando perdimus. Vale. Jo: Doluſius jubet te ſalvere. Velim mihi tuis litteris, ſi modo te ſcribere ad me non pigebit, rationem afferas, quamobrem exiſtimes [1], *tergeminis*

1 *Ita enim ſcripſerat Muretus in edit. a.* 1554. Tergeminos autem honores acciplo Quæſturam, Tribunatum plebis, Ædilitatem majorem, Præturam, Con-

honoribus, ſex honores ſignificari; cum tergemini Horatii tres fuerint, & totidem Curiatii, niſi forte tregeminos dici oportere putas, & inter has duas voces aliquid intereſſe exiſtimas; quod non videtur.

XXXII. *

Lambinus Mureto S. D.

TUis brevibus litteris æque breves repono. Heri Allianum [1] a me diſcedentem oravi, ut ſuorum librorum lectionem in aliud tempus differri pateretur, meiſque occupationibus & neceſſariis temporibus locum daret. Reſpondit ille mihi perbenigne, & perliberaliter, neque ulla ex parte ſignificavit, ſe preces meas iniquo animo tuliſſe. Sic optimo hoc mehercule viro me exolvi: neque ſane id aſtute feci. Putabam enim ſerio, librarium mihi hodie, aut certe cras operam daturum. Audi inſidias. Exemplar meum quod initio remiſerat, non alio conſilio repopoſcit, quam ut me pro ſua libi-

Conſulatum, Cenſuram; *quæ verba in altera editione* 1561. *non apparent; credo, quod ſingularem eſſe eam explicationem viderat. Nam vetus Interpres aliud omnino;* finitus numerus pro infinito ideſt multis: aut etiam tergeminis, ideſt tribus honoribus primis, Quæſtura, Prætura, Conſulatu: *Et hanc poſteriorem explanationem refutat Cruquius; priorem admittit. Turnebus lib.* 3. *Adv. cap.* 20. *& lib.* 18. *cap.* 12. maximos atque ampliſſimos *honores intelligit, quod* geminus, & tergeminus, & ſeptemgeminus *pro magnis ſæpe a veteribus ſumantur, atque idem placet Lavino Torrentio: alii alia. Explicationem vero Mureti, ſuppreſſo ejus nomine, multis impugnavit poſtea Lambinus in comment. Horat. ad h. l.*

* *Al molto eccellente, & honorato Signor mio Signor Marcantonio Mureto, in caſa della Fortuna contrada di s. Pietro dietro la Chieſa. In Padoa.*

1 *Alliani meminit Muretus lib.* 1. *ep.* 7.

libidine vana ſpe produceret ac ludificaret. Veritus eſt fortaſſe, ne ſi me libera bilis, & juſtus animi dolor perculiſſent, ad alium librarium æquiorem confugerem; cum & libros omnes impreſſos domi haberem, & annotationum exemplar mea manu deſcriptum. Id igitur veritus, exemplar annotationum a me abſtulit. Ego hodie eum conveni; rogavi, quando eſſet annotationum impreſſionem orſurus: reſpondit ille; brevi tempore: quando? inquam; poſt quatriduum, inquit: recte, inquam, ſi modo non falles; non fallam, inquit, niſi me fallet dies & operæ, quæ ponuntur in aliorum librorum impreſſione. Ita diſceſſi ab eo ἀχνύμενος κῆρ. Quod ſi putaſſem, mihi rem fururam cum tali nebulone, & plane improbiſſimo, libros potius conſcidiſſem & concerpſiſſem, quam ei traderem. Obſecro te, mi Murete; fac, te meus juſtiſſimus dolor exacuat ad me hac moleſtia liberandum: invitus tibi meum dolorem impertio; ſed tam gravis eſt, ut totum ferre non poſſim, niſi me opprimi malim. Sine igitur me tibi ejus partem aliquam imponere. Neque tamen tibi a me onus hoc doloris imponi puta, ut tantum doleas, ſed ut me leves, mihique conſulas. Non tam me hæc mora conturbat, quam contemptiſſimi hominis injuria cruciat. Itane auſus eſt me ſuis legibus & conditionibus iniquiſſimis devincire & conſtringere! Itane rationem excogitavit, qua me ſuo arbitrio ut captivum quovis impelleret ac traheret!

Deeſt mihi oratio: ita perturbatus ſum animo. Accedit quò magis doleam, quod Cardinalis intra quindecim dies Venetiis exiturus, eſt non in Galliam, ſed in villam neſcio quam[1] cujuſdam Patritii Veneti, ut ibi aliquot vel dies vel menſes ruſticetur. Tu, mi Murete, ſi quid vides, aut ſi quid potes, leva me quam primum hac cura. Scribito ad fratres Vincentii, aut ejus liberos, ut hunc operarium mihi æquiorem reddant, mihique operam dare cogant. Vale. Venetiis Idibus Martiis.

XXXIII.
Lambinus Mureto S. D.

Litteræ tuæ poſtridie Non. April. datæ fuerunt mihi ſub noctem e piſtrino meo reverſo, cum quatuor horas molam verſaſſem; ita defatigato denique, ut non ſolum ad ſcribendum, ſed etiam ad legendum, atque adeo ad cogitandum ineptus eſſem. Itaque nihil heri ad te ſcripſi, præterea temporis anguſtiis, etiamſi maxime vellem, fuiſſem intercluſus. Litteras tuas Cardinalis ipſe primum legit ſolus, deinde mihi legendas dedit: pergratas ei fuiſſe ſcito; dixit illa ſolemnia: te ſibi eſſe cariſſimum, ſibique magnam abs te injuriam factum iri, ſi ſe fallas. Ego pro te reſpondi quæ noſti; nempe te, etſi tua ſponte recta & honeſta conſilia ſequaris, & pietatem colas, hoc multo

to

1 *Cornelianum puto, unde Mureto ſcribit in collect. Bruti pag. 382. & 399. &c.*

to acrius & ſtudioſius eam ob cauſam facturum, quod facile intelligas, te aliter ipſius erga te benevolentiam retinere non poſſe. Reſpondit ille, ſi ſe fallas, & ſi ſua ſpes in te fallatur, ſe nunquam cuiquam fidem habiturum. Incidit ſermo poſtea de Card. Ferrar. dixiſſe illum, ſibi nihil unquam fuiſſe longius, quam ut te domi ſuæ videat, tuaque virtute, & tuo ingenio perfruatur. Reſpondi ego, idem tibi uſuvenire, daturumque omnem operam (ſi modo id conſequi poſſis), ut de hac annua mora aliquid detrahatur. Reſpondit ille, te quo citius ad Card. Ferrar. ieris, eo melius tuis rationibus conſulturum. Et tamen ſi tempus præſtitutum expectes neceſſitate coactus, nihilo eum deterius in te animatum futurum. Atque hæc ultro citroque loquebamur, cum alius nemo præter nos duos intereſſet. Redeo ad tuas litteras. Obſecro te, jocone an ſerio ſcribis, te cupere tuas litteras a me Cardinali recitari ea lege, ut ſi quid eſt minus politum diſſimulem? Primum quid fieri poteſt tuis litteris politius? Deinde quid eſt mihi te uno carius? Egone igitur aut quod ſit elegantiſſime & politiſſime ſcriptum improbem? aut de eo quod abs te perfectum ſit inimice & malevole exiſtimem? Ego vero, quovis me malo dignum deputem, ſi hoc unquam in animum inducam: abeſt hic nigræ loliginis ſuccus a meis moribus. Et putabam tibi meos mores ita perſpectos eſſe & cognitos, ut nihil tale de me ſuſpicari poſſes. Quod te per ge-

nium tuum, per amicitiam noſtram oro atque obſecro, ut ne unquam talia me poſtules: ipſum enim poſtulati genus videtur cum aliqua mea vituperatione & injuria eſſe conjunctum. Venio ad Nicol. multum mihi .... adventus profuit, maturant enim operarii quam maxime poſſunt, immo vero properant: perveniunt jam ad dimidium octavi; perendie nonus erit impreſſus: cras propter diei religionem [1] unica folii pars exarabitur; duobus diebus poſt Paſcham omni hac cura ſolutus ero: unus dies in decimo, alter in epiſtolis & verſibus ponetur. Poſtridie Paſchæ, niſi quid interveniet, quod meum conſilium interp...... & impediat, ad te ire cogito. Utrum die an nocte navigaturus ſim, nondum conſtitui. De deſcribendis carminibus illis, ego videbo, quid effici poſſit; nam illa quidem, eo ipſo die quo diſceſſiſti, Legato reddidi: petam ab uno e ſcriptoribus illius, ut mihi deſcribat; aut ipſe deſcribam, ſi per has occupationes licebit. De nomine Legati nihil dum exploratі habeo. Muratus, qui mihi receperat ſe exquiſiturum, nihil præſtavit. Cras tibi morem geram. Villarius noſter Petrus ſuo nomine appellatur [2] vII. Id. April.

XXXIV.

1 *Erat* vI. *Id. April. in quem incurrebat eo anno feria* vI. *hebdomadæ, ut dicitur, majoris a.* 1558.

2 *Ita leges & in epiſt. Mureti ex edit. Comin. lib.* 1. 4. Interea velim ex te audiat P. Villarius.

XXXIV. *
Lambinus Mureto.

NOmen Legati nondum ſcire potuì. Muratus mihi pollicitus erat, ſe quæſiturum: verum dum id expecto, dumque ejus fide & diligentia confiſus, negligentior fio; mendax in te reperior. Cras igitur non fallam. De mea itione etiam nunc incertus ſum: hæ cauſæ ut incertus ſim faciunt; Pridie Idus me hic veſperi præſto eſſe oportet: nam Idibus operarii noſtri opus facient, mihique operas dabunt. Si igitur poſtridie Paſchæ ad te irem, ut ſcripſeram: ſi quidem mane diſcederem, totum eum diem in navigatione me ponere oporteret, & poſtridie reverti: quod ſi facerem, plane & mihi inutilem laborem ſuſciperem, & tibi parum voluptatis mea præſentia meoque adventu præberem. Itaque puto, me vel non iturum ad te, vel Paſchæ ſub veſperam diſceſſurum, ut ſim domi tuæ mane poſtridie, ideſt tertio Idus, quem diem totum tecum traducam. Cœnatus navem conſcendam, ut pridie Idus mane ſim Venetiis. Habes meæ deliberationis ſummam. De verſibus, nondum eos potui obtinere, propter diſceſſum fratris Legati, qui hodie equis mutatis in Galliam proficiſcitur. Nam ille eos verſus, quos petis, tenet ſub ſigno: Sed quidam e familiaribus

* *Al molto eccellente Signor Signor Marco Antonio Mureto in caſa della Fortuna, contrada di s. Piero. In Padoa.*

ejus mihi promiſit, ſe priuſquam diſcedat verſus ablaturum, mihique ſtatim miſſurum. Vale. Venetiis. Pridie Paſchæ.

XXXV.[1]

Lambinus Mureto.

CONſultabam heri, utrum ad te irem, necne. Conſtitui igitur, ad te non ire, priuſquam ea res, in qua me ſcis totum occupatum eſſe, confecta & abſoluta ſit. Conſilii mei hæ cauſæ ſunt. Bidui ſpatium, in quo mea itio & reditio verteretur, nimis mihi breve eſſe videbatur. Volebam ad te ire omni cura ſolutus, omnique occupatione expeditus; quod mihi contingere non poterat, his reliquiis in animo meo hærentibus. Decimoſeptimo Cal. Apr. hac moleſtia defunctus, his compedibus liberatus fuero: poſtridie mihi ſolutum ac liberum erit te adire, idque faciam, niſi Cardinalis ea hebdomade proficiſcatur. Vides, quam miſera ſit ſervitus. Nihil tibi de mea itione poſſum certius, quam quod ſane ſcripſi, promittere. Legati nomina exquiſivi: hæc ſunt; Franciſcus Noallius Epiſcopus Aquenſis Legatus Reg. Verſus habeo: ſed hodie non ſum auſus a quoquam e noſtris petere, ut eos mihi deſcriberet, propter diei religionem; cras experiar. Mitto ad te quæ in Terentium effudi: tu, ſi quid erit boni, ſumes, quæ improbabis tolles;

ſi ni-

[1] *Huic epiſtolæ reſpondit Muretus epiſt. quæ eſt in edit. Comin. Lib.* 1. 8. Sciebam me.

ſi nihil erit quod probes, ego tamen quod mihi licuit per has occupationes tibi præſtitero. De verbo *iritandi* quod mihi dixiſti, cum legeres verſus, te ea quæ animadverteram, in vocabulariis reperiſſe, puto te erraſſe; in nullis enim libris ea reperies: immo ſi recordari volueris, quæ tu dicebas, in libris illis eſſe annotata, ea ex me audieras domi tuæ, cum de eo verbo ſermo (ut fit) inter nos legendo incidiſſet. Dixi enim tum tibi, mihi videri ita eſſe ſcribendum hoc verbum, & ab ira, aut iraſcendo duci. Tu fortaſſe noſtri ſermonis oblitus exiſtimaſti, quæ ego tibi coram dixiſſem, ea in vocabulariis eſſe abs te lecta: quod longe aliter eſt. Ego enim dedita opera libros illos vidi; reperi (id quod ſciebam) ſcriptum in illis, *irritare* deduci a verbo irruo &c.[1] Quare hæc annotatio mea eſt,

1 *Ambroſius Calepinus edit. Tridin.* 1521. Irrito ..... frequentativum ab irruo, per mutationem u in i, euphoniæ cauſa; tractum a canibus, qui cum provocantur irruunt: vel, ut Donatus ait, qui reſtrictis dentibus hanc litteram R imitantur. *Eſt hac altera ſententia, qua aliis placet; Nonius Marcellus*: Irritare dictum eſt proprie provocare, tractum a canibus, qui cum provocantur irriunt, *atque affert Lucilium ſat.*1. Irritata canes, quam homo, quod plenius dicit; *ubi de R littera loqui Lucilium, quam caninam Perſius appellat, animadvertit Voſſius; atque hanc canis laceſſita cum ingeminat*, irrire, *ſive ſpiritu adjecto* hirrire *dicitur; atque hinc Feſtus* Hirrire... genus vocis eſt canis rabioſæ. *Hi ergo cenſent, ab* irrire, *ſive* hirrire, *quod eſt verbum a ſono factum, eſſe* irrito, *quod ſit proprie* canem laceſſo, atque ut irriat facio. *Hinc Caſſiodorus in illud Pſalmi* LXXV. Irritat adverſarius nomen tuum, *ſcribit*: Irritat a canibus tractum eſt, quorum latratibus R littera plurimum ſonat. *Probat idem etymon Turnebus lib.* 29. *Adverſ cap.*17. *Item Baſilius Faber in Theſauro, ſcribens* irrito *eſſe frequentativum ab* Irrio, *vel* Hirrio. *Voſſius* valde probabilem *ſententiam hanc dicit; unum tamen cenſet ei poſſe opponi; quod non tantum* irrito *dicitur, ſed etiam* prorito. *Itaque inclinat in tertiam quamdam ſententiam, ut antiquum verbum fuerit* rito, *unde &* irrito, *&* prorito *dicatur*.

eſt, neque ab ullo libro, aut a quoquam mortalium accepta [1]. Velim igitur, ſi quæ probabis, ea mihi ſignifices, & quæ tibi non probabuntur, ea quoque mihi nominatim perſcribas; ſi omnia improbabis, chartas remittas, in quibus illa deſcripſi. Vale. Venetiis 4. Id. Apriles, qui dies erat Paſchæ 1558.

Tu his litteris reſcribes, ſi homo eſſe voles: hæ enim tertiæ te oppriment non reſpondentem; ſed me ipſum fortaſſe expectabas: itaque præterita ignoſco; nam huic te aliquid reſpondere volo.

XXXVI. *

Lambinus Mureto S. D.

FAcile cognovi ex tuarum litterarum aſpectu, te valde eſſe occupatum. Scripſiſti enim admodum feſtinanter. Itaque & tibi ignoſco, quod heri non ſcripſeris, & litteras dabo breviores, ne earum

2 *Muretus Lambino reſpondens locum attulit Pierii ad illud Virg.* x: Irritatque virum telis. *Potuiſſet afferre & alium ejuſdem ad* iv. Ira irritata Deorum. *Sed alios quoque producere Grammaticos licuiſſet, ut Perottum edition. Thuſculan. ap. Benacum a.*1522. *pag.*44. Si vero irrito penultimam productam habet, ſignificat incito, ſtimulo, vel ab ira, quaſi in iram provoco, vel ab irruendo &c. *Hi unico* r *ſcribi volunt. Itaque hoc ipſo argumento rejicit illud etymon Matthias Martinius in Lexico Philologico, quod in veteribus libris irrito, ſive inrito ſcriptum legatur; additque alind argumentum, quod Voſſii etiam eſt, a verbo* prorito, *imo in ea ipſa epiſtola, Mureti. Cenſet vero Martinius, dici a* ritu, *quaſi contra ritum alicujus facere, vel a* ratus. *Voſſius Lambini hanc ſententiam refutat, quod ſi ſimplici* r *ſcribendum ſit* irito, *potius ſit ab* ἐρίζω, *quod idem notat.*

* *Al molto eccellente & honorato Signor mio Signor Marco Antonio Mureto, in caſa della Fortuna contrada di S. Pietro dietro la chieſa.*

rum lectio tua tempora moretur,atque interpellet. Nicolaus noſter ſua ſponte fit in dies commodior. Typorum ſtructor,qui ſuperioribus diebus dimidias operas mihi dabat, jam totus eſt meus. Sed cum in Græcorum typorum ſtructura non admodum ſit exercitatus (neque erat tamen eo quiſquam exercitatior in tota officina) non admodum magnos progreſſus facit. Si ad Nicolaum ſcribere voles, ego ejus cognomentum exquiſivi: comperi Nicolaum Tridentinum appellari, aut vulgari ſermone *Niccolò Trenti*. Sed parum arbitror has litteras profuturas, cum plures uno qui Græcarum litterarum figuras norint, non habeat. Scribe tamen εἴ τοι θυμὸς ἐπέσσυται. Omnino tuæ litteræ nihil oberunt: τάχυ δὲ καὶ ὀνύσουσι. Jam de tuo adventu deſperavi, quoniam conſilium illud tuum, quod cœperas, caſus neſcio quis, & difficultas illa quam dicis interpellavit. Sed dic mihi ſodes: Quid eſt, quod te hominem tantopere occupatum, & tot compedibus diſtrictum Venetias protrudat? Eſtne aliquid ἀπόῤῥητον? Nam ſi quid eſt tale, non excutio te, οὐ πυνθάνομαι οὐ περιεργάζομαι. Sin nihil eſt, fac ut ſciam quid ſit. Nam ſi ut Cardinalem noſtrum diſcedentem ſalutes, & oratione honorifica & benevolentia proſequaris; poteras ſuperſedere hoc labore. Nam vel brevi epiſtola, vel per nos id facere poteras. Sin aliquid aliud eſt, quod te huc vocet; non te deterreo. Quid eſt enim quod malim, quam te coram intueri, tecum loqui,

qui, te complecti? Si tuæ igitur rationes poſtulant ut venias, nihil mihi & omnibus nobis gratius accidere poteſt tuo adventu: Sin vel propter illam quam dixi cauſam, vel propter aliquam aliam ſimilem venire cogitas, non tibi ſuadeo, ut te Patavio commoveas. Vale IX. Kal. Apriles.

Nihil litterarum Ferraria venit, quod mihi permirum eſt. Guardaſonem receperunt Farneſii: ſine clade tamen: nam metu Ferrarienſes milites profugerunt, urbemque reliquerunt.

XXXVII.[1]

Lambinus Mureto S. D.

SUaviſſimis tuis litteris referrem gratias, ſi quantum debeo, tantum & poſſem exſolvere. Nunc cum ſolvendo non ſim, tuæ erit humanitatis, quod ultro expenſum tuliſti, libenter etiam acceptum ferre, ne ſi acerbius exigere hoc nomen velis, non tam me abs te beneficium accepiſſe gaudeam, quam referre non poſſe, moleſte feram. Tuæ igitur, quas nudius tertius accepi, litteræ plane mihi gaudiorum acervos attulerunt. Verumtamen, mi Murete, qui tibi iſtuc venit in mentem, aut vereri, ne quid de tuo erga me amore deminutum eſſe ſuſpicarer, eo quod rariores ad me litteras dares, aut a me petere, ne meam erga te voluntatem

1 *Hæ Lambinum epiſtola puto reſpondere Mureti epiſtolæ, quæ eſt 9. libri 1. Nec me dierum major illa differentia movet, cum vitioſiſſimas eſſe in editis dierum adſcriptionem plane noverim.*

tem imminuam? Nam neque tu de mea erga te voluntate conſtantiaque dubitare ſine gravi ſuſpicione potuiſti, neque ego ob intermiſſionem litterarum tuum erga me ànimum eſſe immutatum, exiſtimare debui. Quare ſi me amas, & me talem eſſe, qualis ego ſum, puta; & te eum a me haberi, qui es, tibi perſuaſum habe. Tuis litteris ego quidem incredibiliter delector, eaſque vehementer expeto, fateor: ſed ita tamen, ut ſi minus ſæpe quam cupiam ſcribas, occupationibus tuis adſcribi malim, quam vel negligentiæ tuæ, vel ulli alii cauſæ noſtra amicitia indignæ. Unum mihi in tuis litteris fuit moleſtum, quod nullam de meis poſtremis litteris partim Gallicis, partim Latinis, quibuſcum oratiunculam latinam a... Scotiæ habitam ſponſaliorum die, & Cucuronis [1] cantilenam ad te miſeram, mentionem feciſti. Torodes quidem, cui Venetias eunti dederam perferendas, ait ſe tabellario cuidam Patavino notiſſimo dediſſe, & mihi fidem facit, ſe officio functum eſſe. Sed tuarum litterarum (ut dixi) de meis ſilentium ſcrupulum mihi injecerat. Tu igitur, ſi me amabis, eum quam primum eximes. Expecto Catullum, Tibullum, Propertium cum ſcholiis tuis: *εἰρωνίαν* autem tuam (ſic enim accipio) non probo. Nam nihil abs te vulgare, nihil tritum, nihil niſi limatum & politum naſci poteſt. Tua igitur mittes, ut ad ſitientes oculos & aures. Clariſſimo & tui amantiſſimo Car-

1 *Meminit hujus Muretus ep. 8. libri 1.*

Cardinali, Villario, Broæo, Torodi, Lauræo [1], Florentino ſalutem tuis verbis nuntiavi. Heri miſi in Galliam, hoc eſt Lutetiam, libros de Moribus, multis locis correctos mea manu, non ſolum ubi librarii de me peſſime meriti errarunt, verum etiam ubi egomet dormitavi. Mitto ad te epiſtolam Uſpern. de expugnatione Theonvillæ, & conditionibus, quibus Guiſio reddita eſt. Tuum erit & epiſtolarum & conditionum exemplar remittere, ſimulque mentionem aliquam Cucuronis in tuis litteris facere. Nam is nunquam me videt, quin me roget, ecquid ad me ſcripſeris, cui ego belliſſimo vultu, quicquam me accepiſſe abs te nego, ne graviter ferat, ſe abs te eſſe contemptum. Vale XII. Kal. Sextiles.

XXXVIII.

Lambinus Mureto S. D. [2]

TUas litteras poſtremas accepi poſtridie quam tabellarius ἐγκύκλιος Cardinalis Venetias ire ſolet.

1 ***Hos omnes nominat in epiſtola Cardinali Tournonio, qua libros x. ad Nicomachum latinos factos eidem nuncupat*** : Atque alii quidem pro ſuo quiſque gradu & munere præſto tibi ſunt, tibi operam dant, tibi inſerviunt, homines in ſua quiſque arte nobiles ac præſtantes, P. Villarius Juriſconſultus doctiſſimus, idemque centumviralis Conſilii Pariſienſis judex ſelectus, & Regis conſiliarius, B. Broæus item juris peritiſſimus, Vinc. Laurus Philoſophus acutiſſimus, medicuſque clariſſimus .... G. Torodes Latinis & Græcis litteris admodum eruditus. ***Eoſdem ſæpius commemorat Lambinus, ut epiſt. ad Muretum in epiſtolis Bruti pag. 417. & Muretus Ibid. pag. 411. &c. Villarius vero & Laurus dignitate ipſa notiſſimi ſunt.***

2 ***Edita inter Mureti epiſtolas lib. 1 ep. 13. ex Bruto pag. 405. Sed ab autographo noſtro non adeo leviter illa diſcrepat, ut edi rurſus non debue-***

ſolet. Itaque non potui tibi citius quam hodierno die reſcribere, niſi vellem hominibus incertis committere. Magno me metu, magna cura, magna denique animi ægritudine & moleſtia, iis litteris liberaſti; ex quibus rumores illos inanes & falſos eſſe cognovi. Dii male faciant talium ſermonum, qui ad alterius exiſtimationem lædendam valent, architectis. Sed unum eſt, quod te admonere volo, ut poſthac ſcias, quibus credere, & quos ſuſpectos habere debeas. Is, qui nobis primus hanc falſam fabulam narravit, dicebat, ſe eam Patavii a quodam familiari tuo accepiſſe, ab eo qui te quotidie inviſere ſoleret, denique ab eo cui non ſolum tuæ fores, ſed & aures, neque ſolum aures, ſed etiam pectus pateret: nomen e memoria excidit, nationem memini; Lotharingium eſſe narrabat. Ille, mi Murete, homo mihi ne de facie quidem notus, te, quod in eo fuit, propemodum perculit; quamvis difficile ſit te tali virtute præditum percellere: ſed tamen expertus es (magno cum animi mei dolore dico) quantum valeant ad peſtem innocentium, rumores populi, hominumque malevolorum ſermones, & perdita conſilia. Illi igitur cave, ſi ſapis, fidem habeas; illum, ſi te ſalvum vis, a foribus tuis exclude. Item quid in te gravius potuit? Ille ad quoſdam, quos nomina-

buerit. *Extima inſcriptio*: Al molto honorato & eccellente Signor mio Signor Marco Antonio Mureto. In Padoa. *Similis huic, ac pane gemina videtur epiſtola in edit. lib.* 1. XI. *qua lucem huic dabit, uti eidem hac ipſa, quemadmodum eſt edita.*

minare non eſt neceſſe, detulit, tibi cum tuis non convenire; cauſam addebat incredibilem, & te indignam. Cum dico te, me dico; ob illud diſſidium, te Venetias cucurriſſe, ibique menſem integrum delituiſſe: poſt id temporis Patavium reverti ſſe, ſed alias ædes conduxiſſe longe prioribus anguſtiores & viliores, propterea quod tecum multo pauciores quam antea diſcipulos haberes; reliquis, neſcio quo, verbone an facto tuo, offenſis & abalienatis. Hæc te ſcire volui, ut ne hirundines [1] in contubernium tuum, aut ſub idem tectum admitteres. De libro noſtro quid futurum ſit, neſcio. Ego (quia te ita velle video) ſcripſi hodie ad meos Lutetiam, ut eum a librario repoſcant, reflagitent, atque adeo extorqueant, neve excudi patiantur, niſi a Theologis impetrent, ut tua epiſtola, epigrammata, nomen maneant. Ego hoc vereor, ne meæ litteræ ſerius quam opus ſit, eis reddantur. Nam quotidie experimur, noſtras litteras ex hoc loco vix dierum xxv. intervallo Lutetiam pervenire. Scribebat ille quidem quiſquis ſit (nam ſe nominari non vult) ſe longius progredi noluiſſe, quin meam hac de re ſententiam ac voluntatem exquiſiviſſet; addebat autem, librarium cupere hunc librum quam primum excudere, propterea quod intelligeret, complures ludimagiſtros eum ſuis explicaturos; ſeſeque ex eo magnum quæſtum eſſe facturum, ſi calendis Octobribus excuſus

1 Ὁμωροφίους χελιδόνας μὴ ἔχειν, parœm.

ſus eſſet, quo die (ut memoria tenes) magiſtri illi Pariſienſes docendi munus annuum ordiri, novaſque prælectiones inſtituere conſueverunt. Itaque valde me hæc cogitatio curaque ſolicitat. Si hunc eventum prævidiſſem, librum apud me ſervaſſem potius, quam me in eas anguſtias demitterem, unde me explicare non facile poſſum, propter locorum intervallum: nam ſi popius ab illis abeſſem, omnia eſſent expedita; ego enim meo jure uterer. Nunc cum tam longe abſim, cumque illi vocem meam non audiant, urgeantur a librario, priorem meam voluntatem ſpectent tantum, mutatam neſciant; quemadmodum ſe in hoc negotio geſturi ſint, horreo. Juvat me tamen, librum de tua ſententia, teque approbante in Galliam eſſe miſſum. Omnino ego omni ſtudio & conatu elaborabo, ne imprimatur ea lege, quam Theologi nobis impoſuerunt. Sed ſi quo tempore meæ litteræ ad eos perlatæ erant, res non erat integra, quid conſilii capiemus? immo vero quomodo rem jam factam corrigemus? an reſcindemus? *ἀμήχανος εἰμι ἀπορίας ὕπο*. Itaque ego litteras illius amici mei, ad quem librum miſi, & cui rem totam mandavi ac permiſi, ad te mitto, ut & ex earum verbis, & ex dici, quo illæ datæ ſunt, ratione, & ex tempore, quod interceſſit a litteris datis uſque ad hunc diem, intelligere & quaſi præſagire poſſis, quid futurum ſit. Tu tamen eas litteras conſerves; quod ut facerem, a me ille

petierat, veritus ne emanarent, neve in alienas manus pervenirent: eſt enim mihi homo peramicus & vir bonus. De Catullo, Tibullo, Propertio noli laborare; ego eos accepi eo ipſe die, quo meas litteras poſtremas Jannoctio dedi, cum eas ſcripſiſſem diebus aliquot antequam darem; proptereaquod non haberem cui recte dare poſſem, neque auderem incerto homini committere, binarum jactura admonitus. De invidis, dubium non eſt, quin ab hoc hominum genere acriter oppugneris: itaque vigilandum eſt tibi. Multæ inſidiæ ſunt bonis, inquit ille. Sed & invidi & Pelopidæ ubique terrarum ſunt, neque quicquam prodeſt terras alio calentes ſole mutare, ut inquit Flaccus noſter. Iuvidorum, malevolorum, tyrannorum plena ſunt omnia. Invidos tibi tua eximia virtus & ſingularis doctrina conciliat, non tuum aliquod præcipuum fatum. Si ignavus, iners, humilis, & obſcurus eſſes, nemo tibi invideret, nemo te odio proſequeretur. Itaque ſi invidiam effugere aut placare voles, nihil utilius quam ut virtuti πολλὰ χαίρειν dicas. Solas autem terras cur cogitemus, non video. Nam talibus in locis neque tibi neque mihi vita optabilis eſſe poteſt; ne longinquas quidem, aut nimium remotas petere debemus. Nam neque iſtæ, ſi ab hominibus incolentur, ab his peſtibus erunt vacuæ; & erit ibidem major in hoſpites expromendi odii licentia. Quare hoc unum nobis faciendum eſſe puto, ut primum integri-

tegritate & innocentia & continentia, invidorum linguas comprimamus, deinde ampliſſimorum Virorum opibus, auctoritate, præſidio vitam, & caput noſtrum muniamus. Cardinalis Turnonius eodem, quo antea fuit, in te animo eſt. Sermones illi vaniſſimi ad ejus aures non pervenerunt, & ut ne perveniant operam dabimus. Villarius, Auratus, Laureus, Torodes te ſuis oculis habent cariorem, quos ego tamen omnes meo in te amore vinco. Vale mi Murete; & tuis te bonis conſolare, & omnes tuas litteras & Muſas in his malevolorum ſermonibus æquo animo perferendis explica. Commentarios in Horatium ego propediem abſolvero. Iterum vale. Ex Corneliano tertio Nonas Septembris.

XXXIX.

Achilles Statius M. Antonio Mureto S. P. D. [1]

ITane tandem nos expectatione adventus tui ſuſpenſos tenes ac deludis? Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi, quam ſancte, ut quivis facile poſſet credere. Si eſt igitur, ut tu veniendi ad nos conſilium omiſeris, fac iſtuc ex tuis litteris intelligamus, & illa, quæ pollicitus es, ſuaviſſimos Elegos tuos, ac Terentium ſingulari tua in-

 du-

1 Inſcriptio epiſtolæ in externa facie: *Al molto magnifico Sig. M. Antonio Mureto lettor publico della Illuſtriſſima Signoria di Venetia Signor mio Oſſervandiſſimo. In Venetia in caſa del Sig. Paolo Manutio*. Sequuntur carmina in ejus & Manutii laudem; quæ addere aliis poſſumus, quæ in teſtimonium doctrinæ atque eloquentiæ Mureti præmitti ejus operibus ſolent.

duſtria reſtitutum nobis iſthinc cura: nihil enim profecto tantopere videre amo, ac legere. Nam cum ardentiſſima horum omnium cupiditate antea æſtuarem, quantum credis diuturnam hanc ſitim noſtram & auctam & moleſtam hic eſſe, ut niſi tu adſis ac reſtinguas, vel contabeſcendum omnino ſit, vel amœniſſimus iſte Adriæ ſinus, quem tu ſuaviſſimo ingenio tuo dulciſſimum reddidiſti, & adeundus ſit, & ebibendus. Manutio noſtro ſalutem: ſed ita tamen, ut aurem vellices homini parum memori, ut quem ab illo jamdiu exſpecto, Longinum, ſi modo jam eſt editus, ad me mittat. Vale IX. Cal. Aug. 1555. Si quid ad me mittes, Patavii Simoni librario redditum cura. Iterum vale, meque ut facis ama.

Ad Paulum Manutium, & M. Antonium Muretum.

Paule, & Marce animæ, meique ocelli,
Par amabile, nobile, eruditum,
Noſtri lumina bina uterque ſecli,
Quam nunc quam rem agitis boni ſodales,
Jamdiu mihi non uterque viſus?
Quod ſi non licuit, carere certe
Non tam verſiculis diu ſodales,
Mutuis nec epiſtolis decebat.
Verum hæc jam fuerint, boni petamus
Viciſſim hanc veniam, ſimulque demus.
Nunc vos quid mî agitis? valetis ambo?
Ecquid luditis ambo, tenditiſque

Vel

Vel Calvum ſuperare, vel Catullum?
Cum magno magis an juvat ſubire
Certamen Cicerone, jam jam & ipſum
Æquantes numerum, elegantiamque?
Quicquid nunc agitis vel edidiſtis,
Quicquid denique cogitatis ambo,
Veſtris noſcere litteris laboro;
Ac me nunquid ametis, anne veſtro
Veſter ex animo excidi ſodalis.

Veſter Achilles Statius.

XL.

Molto eccellente Signor mio [1].

MAndai la lettera voſtra a Mr. Franceſco, & hebbi cara queſta occaſione, cioè che mi ſcriveſte, anchorachè di leggier coſa. Intendo che vi ſete accomodato da Signore, & me ne rallegro con voi: ſiccome non poſſo ſe non dolermi della mia diſavventura. Perciocchè non credo di poter uſcir di caſa di qua da Paſqua, e queſto per l'enfiagione rimaſami nella gotta, la quale, ſecondo il giudicio de' Medici, non ſi riſolverà prima. Come ſi leggerà; faretemi, potendo, a ſapere, come la fanno coteſti dottori di fama, dico come la fanno a ſcolari. Mi vi raccomando.

Di Venezia il 16. di Febbrajo 1558.

Ser. Carlo Sigone.

 XLI.

1 Inſcriptio externa: *Al molto magnifico, & eccellente Signor mio Mr. M. Antonio Mureto. Padova.*

*XLI.

Molto magnifico, & Eccellentiſſimo Signor mio Oſſervandiſſimo.[1]

HEbbi l'oratione[2] di V.S. la quale ho letta con grandiſſimo mio piacere, & l'ho moſtrata a molti miei amici, li quali medeſimamente l'han commendata infinitamente. Il Sig. Pappio mi diede le correttioni di V.S. ſopra le Filippiche, dalle quali ho imparato alcuni belli paſſi. Conforterei V.S. a farle riſtampare in Italia[3], acciocchè più perſone ne poteſſero partecipare, & ſe vi ſarà alcuna giunta, tanto meglio ſarà. Aſpettava alcuna emendatione ſopra quel luogo, dove dice; *Aude dicere, te prius veniſſe ad patrem tuum, quam ad me*[4]: percioc-

1 *Inſcriptio extima epiſtolæ*: Al molto magnifico, & eccellentiſſimo Signor mio Oſſmo il Sig. Marco Antonio Moretti. In Corte dell' Illmo di Ferrara. Roma.

2 *Quæ ea oratio ſit, mihi non liquet; an habita anno ſuperiore pro Carolo IX. Galliæ Rege tanta omnium approbatione, quanta illi nunquam contigerat, ut diximus, & quam Paulo etiam Sacrato miſit; an pro Alfonſo II, pro Sigiſmundo Poloniæ Rege &c.*

3 *Pariſiis edita fuerant, ut diximus.*

4 *Extat Philipp. II. num.20. Paruit Sigonio poſtea Muretus eumque locum ſatis luculenter tractavit Var. lect. lib.18. cap 6. atque ubi a multis, & ingenioſis hominibus tentatum dixit, & a nullo integritati ſuæ reſtitutum, ſubdit*; Atque ego ante hos viginti annos cum Lutetiæ libros illos a me purgatos edidi, ſecutus ſum vulgatam ſcripturam; quamvis in optimo libro, quo uſus eram, ſcriptum reperiſſem „ Ad parentem tuum „, quod illud „ parentem „ eo quidem loco, ingenue ut loquar, mihi ſubineptum videretur; neque tamen celavi lectores, quid in optimo libro ſcriptum extaret. Faernus, qui paulo poſt ipſe quoque eodem libro uſus, eaſdem orationes hic Romæ edidit, veterem ſcripturam hoc quidem loco cum fide repræſentavit. Extitit poſtea homo ingenioſiſſimus, & eruditiſſimus, qui de eo loco ſatis co-

proſe

ciocchè io dubito, che quella parola *Patrem* non ſia ſcorretta; ſendochè il padre di Marco Antonio era morto già ſopra trenta anni. Parmi, che voglia intendere di Curione: ma non ſo come Curione poſſa eſſer padre di Marco Antonio, eſſendo ſuo amatore. Se V.S. ſi riſolverà in alcun modo ſopra queſto paſſo; ella mi farà gran piacere, ſe me ne farà partecipe. Ho havute lettere del Cantero, ch'è in Vinegia. V. S. potrà rimandarmi dunque la ſua lettera. Il libro [1] dedicato a me, è quell' antico migliorato & accreſciuto di tre libri, sì che ſon ſette: & le baſcio le mani. Di Bologna il dì XVII. Febrajo LXVII. Di V.S.

Ser. Carlo Sigonio.

 XLII.

pioſe ſcripſit, neceſſariiſque rationibus pervicit, neque „ patrem „, neque, parentem „ legi poſſe ... Statuit igitur legendum eſſe „ ad matrem tuam „ idque ab aliis magno conſenſu probatum eſt. Magis autem confirmatus eſſet in illa ſententia, ſi veterem librum vidiſſet, quem ego poſtea nactus ſum, in quo legitur quidem „ ad patrem tuum „, ſed ita ut manifeſto ex litura appareat, ſcriptum prius fuiſſe „ ad matrem tuum „ ..... Ego autem non dubito quin duæ potius litteræ adjungendæ fuerint, ſcribendumque „ ad amatorem tuum „ ut intelligamus Curionem ... Certe Carolus Sigonius, cum ſententiam ſuper eo loco meam decem ab hinc annos per litteras exquiſiiſſet, ita eam probavit, ut ad me poſtea ſcripſerit, nihil ſibi videri potuiſſe rectius, aut verius cogitari. *Lectionem* parentem tuam *probavit Manutius*, *Lambinus*, *Bucananus*, *Abrahamus*, *Biſciolam etiam appellans*, *retinuitque nuper Olivetus*. *Ceterum ex allato Mureti loco videtur anno* 1577. *ea Muretus ſcripſiſſe in variis lectionibus*. *Sed cum Pariſiis Philippicas ediderit*, *ut ſuo loco oſtendimus*, *a.*1561., *anno* 1581. *omnino illam lectionum partem confecit*, *& de alia epiſtola Sigonii loquitur a.* 1571. *ſcripta*, *niſi malumus*, *deficiente memoria*, *tempus aliquanto ampliaſſe*.

1 *De altera editione loquitur* novarum lectionum *Canteri*, *facta Baſileæ* anno 1566. menſe Julio, *ut in fine earum legitur*, *eſtque Sigonio inſcripta*, *& complectitur lib.*VII. *cum prima editio haberet tantummodo* IV. *dedicata Iſraeli Minckelio*, *Tertia a.* 1571. *Sigonii nomen retinuit*, *addito libro* I.

XLII.[1]

Molto magnifico & Ecc. Sig. mio Oſſer.

L' amico che mi raccomanda V. S. mi è parſo pieno di tanti meriti, che anchora ſenza il riſpetto ſuo, io ſono per ſervirlo: & la raccomandatione di V. S. è di tanto peſo appreſſo di me, che io ſono per vincer me medeſimo in accomodarlo, anchora che non meritaſſe tanto, quanto merita. Et voglio, che ella ſi perſuada, che io ſon tanto ſuo, quanto può eſſere un huomo d' un altro; dico ſuo, & ammiratore dell' ingegno, & amatore della bontà; & perciò V. S. ſenza cerimonie mi comandi, dove conoſce, che io ſia buono, che non ſi troverà ingannata da me. In quanto al giovane raccomandatomi, eſſo non dee deſiderare altro, ſe non che toſto appaja chi habbia biſogno dell' opra ſua. Perciocchè io ſono parato ad interporre tutta la mia autorità, o gratia; & ſe non baſterà della mia, io ſpenderò anchora quella di V. S. la quale non è minor della mia, non ſolamente in queſta Città, ma ancora appreſſo tutto il mondo. Io mi ſon creduto infin quì, di poter venir a Roma, & di goder V. S. fra tutti gli altri; & mi facea a credere, che V. S. dall' altra parte mi havrebbe viſto volentieri. Ma hora ſono fuor

1 Al molto magnifico. & eccellente Signor mio Oſſmo il Sig. M. Antonio Mureto. Roma. *Commendatiis Sigoniis litteris reſpondet; & quadam ſubindicat de Romano itinere ſuo.*

fuor di ſperanza : il che mi duole infinitamente ; nè ſo che dir altro, ſe non quel vecchio proverbiazzo : *Non omnibus datur adire Corinthum* [1]. Nel vero io ho un triſto fato nella venuta di Roma. Ma di queſto ſia detto aſſai. Prego V. S. a conſervarſi ad utilità di queſto, & del futuro ſecolo ; & le baſcio la mano. Di Bologna il 20. di Aprile 1575.

Ser. affmo Carlo Sigonio.

XLIII.

Alexander Rocius Marco Antonio Mureto S. P. D. [2]

TE poſt tuum diſceſſum Venetiis in febrem incidiſſe, ægre ſane tuli, ut debui ; idque ſtatim meis litteris ſignificaſſem, ſed præter morbum tibi moleſtus eſſe nolui. Nam in dies experior, quantum moleſta ægrotantibus omnia pene eſſe ſoleant. Ceterum miteſcentem jam morbo, nullum *παραμυθητικοὶς λόγοις*, in tam magno præſertim elatoque animo adverſus omnem fortunæ temeritatem, mihi locum relinqui video, & fortaſſis ipſo jam fugato, convaleſcenti gratulandum potius. Aliquid ſerii ad te ſcriberem, niſi id mihi Medicorum legibus *περὶ τῶν ἀνακομιζομένων* interdictum ſcirem. Scribam alias, & quod toties recepi,

1 *Vulgatiſſimum proverbium, quod aliter Suidas, aliter Strabo exponit* οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς, *ſed & latine apud Horatium:* Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

2 *Al molto magnifico, & eccellente Mr. Marcantonio Mureto Signor mio Oſſervandiſſimo. In Padova al borgo di ſanta Croce nella caſa del magnifico Mr. Daniel Foſcarini.*

pi, tandem cumulatiſſime præſtabo, præſertim cum χρύσεα ἀντὶ χαλκείων ſperare liceat. Interim cura ut valeas. Ego vero & Joannes noſter valemus, teque plurimum ſalutamus, & quam primum per valetudinem tuam licuerit, a te litteras expectamus. Vale. Venetiis pridie Cal. Oct. MDLVIII.

XLIV. [1]

Petrus Morinus M. Antonio Mureto S.P.D. [2]

Etſi me aliorum negotiis non admodum libenter interpono, propter offenſionem, quòd & meas res parum bene geram, & alienas nonnunquam infeliciter (quod utinam ne in hominis omnium chariſſimi & amiciſſimi negotio expertus eſſem) tamen committere non potui, ut Niceti [3], cui ob ſingularia in me beneficia, non ſolum omnem operam, ſed me ipſum debeo, voluntati non obtemperarem. Is tecum proxime egit, ut Duarenum huc per litteras allliceres, eique exponeres, paratum in Illuſtriſſimi Cardinalis familia honoris & dignitatis locum. A te nihildum huc allatum eſt;

1 *De Morino ſatis diximus in Præfatione. Epiſtolæ quas hic damus omnes ſunt in codd. noſtris* αὐτόχειρες*; præter has vero aliam habebamus, quæ jam eſt edita inter Mureti epiſtolas lib. 2. 70. Inſcriptio eſt vero illius* A Monſieur Monſieur Muret a Chaly.

2 All'Eccellentiſſimo Signor M. Antonio Mureto maggior mio Oſſmo. Padova. *Duarenum cum Hippolytus Cardinalis Ferrarienſis accerſiviſſet, ut in ſua familia eſſet; idque per Muretum feciſſet nomine Cardinalis Nicetus, nec reſponſi aliquid accepiſſet, quid rei ſit, Morinus poſtulat. Significat etiam Muretum eodem pacto a Cardinale invitatum. V. epiſtolam Cardinalis ipſius poſt has Morini poſitam. Scripta videtur a. 1557.*

3 *De hoc Cardinalis in ſuis, de quibus dixi, litteris.*

eſt; quod aut ille nondum, quid ſententiæ ſit, reſcripſerit, aut tu facultatem ejus reſponſa mittendi non habueris. Hoc qualecunque eſt, petit a te, ut ſe per litteras facias certiorem. Miror quid te ab hoc laborum tuorum portu tamdiu retineat. Deſideraris quidem, mihi crede; & ego, te veniendi cupidum eſſe, mihi perſuadeo. Quod ſi ita eſt, Deus iſtis meliorem mentem; qui ut ex te capiant incredibiles fructus, & ſuaviſſima conſuetudine delectentur, obſtrictum etiam promiſſo teneant: tamen, qua prudentia & ſapientia ſunt, ſi cives Veneti ſunt, intelligant neceſſe eſt, ſummum jus, ſummam ſæpe eſſe injuriam. Hoc tu quoque in tempore iis demonſtrato: adducentur fortaſſe, ut æquitatem aliquid apud ſe valere patiantur. Tu Ferrariæ, inquis. Equidem, ſi iſtic eſſem, non ſilerem. Quid tu? qui civitatem nobiliſſimam & clariſſimam, ſi non adeptus es, certe es meritus, ut minimum *ἰσηγορίαν* jam uſurpare poſſis. Sed hæc hactenus. Jam enim; Viden, inquis, quid faciat otium? At tu has ineptias antea tuliſti. Ego te amo, te quamprimum videre cupio, tecum eſſe, & ſi id non ſit ex ſententia, ac moram habeat, a te certe amari. Vale. Ferrariæ ad VII. Idus Jun.

XLV.

XLV.

Petrus Morinus M. Antonio Mureto S. D. [1]

UT primum Nichetum hominem tui percupidum, litterarum tuarum feci participem, is ratus, illo poſtulato & rem & gratiam tuam læſum iri, a principio ſummopere a me contendit, ut te per litteras ab eo dimoverem. Etſi enim eamdem, quæ tibi eſſet, impetrandi fiduciam, habebat, propter ſummam Cardinalis, cum in ceteros homines, tum in veſtrum ordinem, facilitatem ac pene indulgentiam, tamen valde tua intereſſe cenſebat, de eo, quod facile poſtea, ſi ita ratio tua poſtularet, poſſes conſequi, nullam in præſentia fieri mentionem. Quas cauſas afferret, & ipſe conjectura potes aſſequi, & ex eo, qui iſtuc jam iter parat, propediem intelliges. Tandem, cum te id valde cupere, tuoque otio communis utilitatis cauſa ſummo ſtudio ſervire demonſtrarem, pervici, ut de eo cum Cardinale ageret. Qui cum ex illius primum ſermone, deinde ex tuis litteris, quid ſtuderes, cognoviſſet, reſpondit, ſe non ſolum tibi in Italia manendi poteſtatem libenter facturum, ſed etiam ceteros fructus, qui a te ſummi expectantur, prætermiſſurum eſſe, cum ita rationem otii tui ferre intelliget. Jam igitur

tur

1 All' Eccellentiſſimo Sig. M. Antonio Mureto Maggior & Signor mio Oſſmo A calc Mocenigo appreſſo ſan Samuel. Venetia ſubito ſubito. *Conditiones, quibus ut in Cardinalis familiam reciperetur, poſtulaverat, Cardinali placuiſſe ſignificat.*

tur nihil eſſe moræ videtur, quin ad nos quamprimum venias. Scito enim, te hic in omnium commemoratione & expectatione eſſe; Cardinali ſingularem opinionem tuæ virtutis & doctrinæ, ejuſque perfruendæ incredibile ſtudium attuliſſe; ceteris præterea ſummum deſiderium ſuaviſſimæ conſuetudinis. Multus mihi cum Medico, cum Philoſopho, cum nonnullis aliis de te ſermo fuit. Nemo eſt, quin ſibi gratuletur, & magnum uſum, conjunctionemque tecum intercedere cupiat. Medicus, ſeſe de Cardinale audiviſſe dixit, Carolum Sigonium, cujus hic ſumma eſt eruditionis opinio, fortaſſe adjunctum iri; de Gambaro poeta, jam certum eſſe. Nichetus habet, quæ tibi amice, prudenterque præcipiat, cujus te copiam paucis diebus habiturum lætor. Ac in primis cenſet, tua multum intereſſe ad commendationis aditum, ut Cardinalis Turnonius proximis ad Ferrarienſem litteris tui mentionem faciat cum aliqua ſignificatione ſuæ in te voluntatis; idque per Vilarium hominem clariſſimum & humaniſſimum poſſe confici. Matura, ut ſuperioribus litteris oſtendiſti, huc venire; & a me omnem operam, ſtudium, ac laborem expecta; ſuſtinebo, quantum in me erit, expectationem tuam. Sandrinus tibi ſalutem, cui & Nicheto tua ſui memoria fuit gratiſſima. Nichetus etiam valde amavit τὸ ἰσχνόν τι, καὶ ἠθικὸν, καὶ ἀποίητον, καὶ εὐκρινὲς tuarum litterarum. Paulum Manutium, Lambinum, Georgium, Alionium, cete-

ceteros communes amicos velim meis verbis ſalvere jubeas. Vale. XII. calend. Januar. Ferrariæ.

XLVI.

Petrus Morinus M. Antonio Mureto S.P.D. [1]

CUM proximis litteris adſcripſiſſem, ut tibi quamprimum redderentur, quo ſpatium haberes conveniendi Vilarii, & ad nos, ſi ita tibi videretur, reſcribendi, miratus ſum quid cauſæ eſſet, cur litteræ a Cardinali Turnonio ſine ulla tui mentione venerint, ſumque ſuſpicatus, ſerius ad te eſſe perlatas. Tuas enim occupationes puto, nullam moram ei rei allaturas fuiſſe, quæ tantopere ad gratiam & exiſtimationem tuam pertineat, nec te in diſceſſum tuum id differre, quod ante fieri, cum aliis de cauſis, tum eam ob rem longe ſatius eſt, ne potius tuis precibus, quam ſua in te benevolentia, ad commendationem adductus eſſe videatur. Montemerlus huc rediens, quæ hominum de te exiſtimatio iſtic eſſet, quamque te gratum jucundumque omnibus eſſe intellexiſſet, Cardinali expoſuit, injectumque jam tui deſiderium mirifice auxit. Habitatio tibi, Cardinalis juſſu, parata eſt, inſpectaque a Nicheto, & nonnullis aliis: tria conclavia, duo tibi deſtinata, tertium, ut opinor, tuis: ea tu nec inſtructa offendes; ne forte quid

1 All' Eccmo Sig. M. Antonio Mureto publico lettor nell' Illma Signoria di Venetia, Maggior & Signor mio Osſermo. In cale Mocenigo appreſſo ſan Samuel. Venetia ſubito ſubito. *Muretum rogat, ut maturius in Cardinalis familiam veniat.*

quid ſuppellectilis imprudens diſtrahas, quod habeas uſus tui cauſa; nec enim eo contentus eſſe debes, vel potius nullo in numero debes ponere, quod hic tibi ſuppeditabitur. Tum hoc etiam te monitum velim, omnia fere iſtic, præter ſericum, eſſe viliora; ut ſi quid tibi opus ſit, ſi pannus, ſi tapetes, ſi cetera, temporis & loci opportunitati ne deſis. Nichetus tardius iſthuc ibit, quam putabamus, nec quicquam certi de ſuo diſceſſu habet. Nos te hic ineunte Januario. Si fallimur, ad quod tempus expectemus, certiores facias velim. Vale III. Calend. Januar. Ferrariæ.

XLVII.

Petrus Morinus M. Antonio Mureto S. D.

QUod conveniendi Nicheti cupidus es, ſcito eum de congreſſu tuo non minus laborare, & ante triduum, aut ſummum quatriduum, hinc eſſe diſceſſurum: ex quo, habita ratione temporis, videtur, ejus tibi ante tuum diſceſſum poteſtatem fore. De vaſis, nullo culinæ inſtrumento, tibi opus erit, cui ſit communis cum ceteris cibus capiendus, itemque tuis; nihilque domi parandum & coquendum; Contingere ſane poteſt, ut te neceſſariam ob cauſam domi aliquando contineas, vel etiam nonnunquam foras pedem efferre non libeat: itaque retinere potes aliquid diſcorum, in quibus tibi coctum obſonium in prandium, vel in cœnam petatur; mappas item & mantilia. Nam poſtquam

huc

huc veneris, ſi quà iter ſuſcipietur, cum tantum librorum convehendum habeas, vecturæ aliis rebus levandæ quam maxime inſerviendum eſt. Hanc ob rem vel unum lectulum afferre potes; tuis enim ſolum erit ea ſuppellex, quæ tibi a Cardinale ſuppetet. In Pauli Manutii judicio agnoſco ſummum ejus in me amorem. Sed tamen nunquam mihi in mentem venit, ne tum quidem cum legi tuas litteras, ut me in eo loco ponerem: non adeo me ignoro. Multum proficere mihi ſemper viſus ſum, ſi hoc aſſequerer, ut cum ceteri omnes, vobis ducibus longo ſpatio anteceſſiſſent, tum inter poſtremos venirem in numerum. Neſcio quo meo fato tum a Paulo Manutio ſum abſtractus, cum, remiſſo editionum labore, me familiarius uti, & ſecum plus habere cœpiſſet. Ac niſi ego illam ζῶσαν φωνὴν, & fortunam meam deſeruiſſem, non conſtitiſſem credo in infimis; ſed cum reliquæ me facultates deficerent, imitationis certe ſtudio aliquot fortaſſe gradus aſcendiſſem. Ei, peto a te, ut meo nomine agas gratias, ei & Lambino, cujus amor meam in eum obſervantiam non vincit, ceteriſque noſtris plurimam a me ſalutem impertias. Nichetus & Sandrinus te ſalutant. Vale. Pridie Nonas Januar. Ferrariæ.

De conclavibus hoc me fugerat, Cardinalem, cum ſtuderet, ut te in palatio collocaret, nullam habuiſſe vacantem habitationem; ab eo vero habitabis paulo propius, quam ædes divi Paterniani abeſt ab ædibus Pauli Manutii.

XLVIII.

XLVIII.

Petrus Morinus M. Antonio Mureto S. D. [1]

NEgotium tuum ac fortunæ quod in diſcrimen inciderit, mei officii eſſe arbitror ad te perſcribere: facile enim rei nunc primum exulceratæ, tua diligentia, amicorumque ſtudiis & ſublevatione mederi poterit. Illuſtriſſimus Cardinalis noſter, cum antea neſcio quid de te audiſſet, idque, non admodum certis auctoribus, parum crederet, proximis Reverendiſſimi Cardinalis Turnonii litteris commotus eſt. Itaque ſtatuit Nicheto noſtro, cui brevi tempore iſtuc erit eundum, hoc negotii dare, ut ex eo rem totam, & qualis ſibi auctor ſit, plane intelligat. Quamobrem vides, tibi ſummopere elaborandum eſſe, ne a tanti viri ſtudio, amore, benevolentia, auctoritate, commendationeque deſerare; qui ſi cauſam tuam ex animo ſuſcipiat, ſi te amplectatur, velitque huic noſtro ſtudioſe commendare & tradere, is nihil de ſua in te voluntate commutabit. Ex quo fore confido, ut quantulum de exiſtimatione tua hoc ſermone & rumore imminutum erit, vitæ tuæ ſumma integritate & religione facile ſarciatur. Perfice itaque, ut ille, quam opinionem Venetiis te habuiſſe cognoverit, non eruditionis modo, ſed

1 Suadet, ut rumores de eo quoſdam diſſeminatos, delatoſque ad Cardinalem Ferrarienſem, per Turnonii Cardinalis litteras, & teſtimonium extinguat.

etiam probitatis, quam bene de te exiſtimet, quam ſuum numeret, quam ſibi purgatus ſis, quid ſpei porro habeat, litteris ſignificet; ac tibi perſuade, eas tantum ponderis, quantum vel ipſe optare potes, habituras eſſe. Vale III. Idus Jan. Ferrariæ.

XLIX.

Magnifico M. Marcantonio mio cariſſimo. [1]

Dalla relatione che hebbi da più parti delle buone qualità e meriti voſtri, mi moſſi i meſi paſſati a farvi ricercare di venire al mio ſervitio: & crediate, che da quell' hora, che vi riſolveſte di accettare il partito, vi ho aſpettato ſempre con grande deſiderio. Ben è vero, che fra tanto mi fu gettato un motto ſopra alcune coſe; ma elle non furon però baſtanti a rimuovermi punto da quella buona oppinione, che di già havevo di voi, contuttochè mi pareſſe bene d' intenderne il parer ancora di Monſignor mio Rm̃o di Tornone, alla molta prudentia & integrità del quale io tribuiſco tanto, che havendo S. Signoria Rm̃a quella notitia che ha della perſona voſtra, mi pareva di potere intieramente quietarmi nel giudicio ſuo, & a queſto fine aſpettavo di valermi della occaſion di Nichetto, il quale havevo a mandar d' hora in hora da S. Signoria Rm̃a. Ma il caſo portò che io fuſſi aſtret-

1 Cardinalis ipſius Ferrarienſis litteræ ſunt, quibus agitur de rumuſculis adverſus Mureti probitatem ſparſis: de his in vita. Inſcriptio epiſtolæ *Al Magnifico Mr. Marcantonio Mureto mio cariſſimo.*

aſtretto a trattenerlo aſſai più di quel che penſavo; onde vi ſia penetrato a l'orecchie queſto maligno ufficio, che era ſtato fatto con me, prima che io habbi potuto haver la relatione di detto Signore, & forſe per opra de' medeſimi autori, li quali haveran voluto perſuadervi, che io habbi preſa la coſa in altra parte di quel che feci con effetto. Et certamente non poſſo ſe non eſcuſarvi, che di ciò reſtaſte con l'animo ſoſpeſo, benchè dall'altra parte haveſſi deſiderato, che non vi fuſte però addotto a pigliar altra deliberatione, avanti che di ſaper l'animo mio con più fondamento, potendo ben imaginarvi, che l'innocentia voſtra havrebbe potuto più in me, che la malignità d'altri. Ma poi che pur vi trovate già obligato per queſt' anno, ſe ben io haveſſi deſiderato, che fuſte in termine di poter venir da me prontamente; io anteporrò nondimeno volentieri l'oſſervatione della voſtra parola ad ogni comodo, che poteſſi ricever del ſervitio voſtro per queſto tempo, doppo il quale io vi tengo per accettato, conforme a quanto avete detto a Nichetto ancora; onde con la ſicurezza che habbiate a conferirvi da me, fornito detto tempo, mi parrà di ſentir con tanto manco diſpiacere l'impedimento che ſi è interpoſto, perchè non ſiate venuto di preſente. Et attendete a conſervarvi ſano. Di Ferrara li XXII. di Febraro MDLVIII.

Tutto voſtro

Hip. Car. di Ferrara.

L.

Petrus Morinus M. Antonio Mureto S. P. D.

BInas a te eodem prope tempore accepi litteras humanitatis pleniſſimas & benevolentiæ : harum poſteriores etiam cum redderentur, adjuncta ſororis mea epiſtola (dicam libere, tametſi pro mea perpetua in te obſervantia parum fortaſſe prudenter) facile patiebar, id tibi oneris eſſe impoſitum, quod ſcribendi occaſionem obtuliſſet. Studium tuum, quod tam amanter & prolixe polliceris, eò mihi melior ſpes eſt, quòd te ſim expertus, quicquid amicorum cauſſa ſuſcipias, κατορθῦν ſolere. Itaque jam mihi non videntur βάρδιϛαι μακάρων ὧραι φίλαι, ſed ἐλπίδες καλοῖς ἐμὲ βλέπειν ὀφθαλμοῖς : ita mihi eas propitias conciliaſti ; quas tamen ego ea moderatione animi ſuſtinebo, quam mihi ſapienter & amice, ut omnia, præcipis. De ſororis litteris quam maximas tibi & habeo & ago gratias. Julianus Granuccius, quo minus negotii aut ipſe haberet, aut ſui, quas ad Nicetum ſcribo litteras, in has conjeci, quod te ſciret ſine ullo labore mittendi facultatem habere : quod ut facias a te peto. Vale. Poli. XVII. Kal. Octob.

LI.

LI. [1]

Petrus Morinus M. Antonio Mureto S. P. D.

CUM antea perſæpe me Martiranus invitaſſet, ut ad ſe me reciperem, propterea quod negaret, ſatis commodum diverſorium hominem hoſpitem reperire poſſe; tamen, quod & perhoneſtum hoſpitium, atque ex ſententia eſſem nactus, & vererer moleſtiam ei ſumptumque afferre, adduci non potueram, ut me commoverem. Tandem vero, cum crebro eum inviſerem, me diutius Neapoli hoſpitem & peregrinum eſſe paſſus non eſt: apud ſe eſſe voluit, adeoque liberaliter & humane tractavit, ut mihi non viderer ſatis erga te, Scipionemque Tethyum, atque adeo erga eumdem Martiranum gratus futurus, niſi & de eo certiorem te facerem, & utrique veſtrum agerem gratias. Tibi igitur, mi Murete, Tethyoque quam maximas & habeo & ago; tametſi tu a me pro innumerabilibus in me ſtudiis (quæ tua humanitas eſt) gratiarum actionem nunquam deſideraſti. Verum ego percupide & libenter officio certe pietatique, quantum in me eſt, ſatisfacio. Ego propediem Genuam ſum profecturus, ibique commendationem tuam etiam atque etiam deſideraturus; ac eam, quoniam me tecum ſemper familiariter agere

1 Al molto Reverendo Signor mio oſsmo Monſignor Mureto appreſſo Monſignor Illmo di Ferrara. A Roma. *Muretum de officiis erga ſe Martirani certiorem facit, & de conſilio Genuam proficiſcendi.*

voluiſti, fortaſſe acceſſam, & moleſtus ero. Ego hic nihil proficere potui, nihil ex ſententia gerere. Vale. Septimo Idus Febr. MDLXVIII. Neapoli.

LII. [1]

Petrus Morinus M. Antonio Mureto Oratori Regio S. P. D.

REgium me tandem veniſſe, quò receptum munus obirem, lætatum eſſe te, non miror; qui & mihi, ex quo in tuam me amicitiam contuli, fraterno animo conſultum volueris, & fortunarum mearum auctor atque adjutor in primis extiteris; & proxime in eo quod cupiebam, adipiſcendo, plurimum præſtiteris & voluntatis, & curæ, & diligentiæ tuæ: qui maximus ad tua innumerabilia in me ſtudia & beneficia cumulus acceſſit. Quod vero peramanter mones; levitatis non ſolum crimen, ſed etiam opinionem quantum potero, ac ſuſpicionem effugiam; ut me, non tam triennii condicione & lege, quam mea voluntate liberaliter officium perſolviſſe, & homines hi agnoſcant, & tibi etiam, cujus auctoritatem atque judicium in me probando ſecuti ſunt, gratias agant. Zoboli quidem liberos, cùm propter eximiam hominis & nobilitatem & liberalitatem erga me, tum quod ita te velle ſignificas, commendatiſſimos habebo:

1 Al molto Reverendo & Magnifico Signor mio Ossmo, il Signor M. Antonio Mureto Roma. *Regium ſe incolumem veniſſe narrat, ut humaniores litteras docendi munus obiret triennium.*

bebo: ſed ita, mi Murete, ut rationibus etiam meis inſerviam, utque ex rerum, & temporum, & perſonarum momentis conſilium mihi capiam; in quo rationem meam ſpero vel iis probatum iri, ſi qui mihi forte iniquiores eſſent, nedum tibi, qui non ſolum mihi ſemper æquus, verum etiam πατὴρ ὡς ἤπιος fuiſti. Vale, & in iſta amœnitate, clementiaque cœli Tiburtini valetudini conſule tuæ, & me, quod facis, amare perge. Regio ad III. Id. Quinctileis MDLXXI.

LIII. [1]

Petrus Morinus M. Antonio Mureto Oratori Regum S. P. D.

Nihil erat in meis rebus novi, quod ad te, a quo erant conſtitutæ, ſcriberem. Tua in mè ſingularis perpetuaque voluntas atque humanitas epiſtolæ argumentum dedit. Neque enim ex quo, ope & commendatione tua hic ſum collocatus ullum prætermiſiſti animi, ſtudiique tui teſtificandi locum. Gabriel Lippus Canonicus Regienſis ſummo vir officio & comitate pæne incredibili ſe mihi, cum primum huc veni, liberaliſſime detulerat, cum id ſe facere oſtenderet, quod & popularibus noſtris cuperet (qui in Gallia perquam amanter eſſet & honorifice tractatus) & mei, quem tibi carum eſſe intelligeret, tua potiſſimum cauſ-

1 Al molto Reverendo & Magnifico Signor mio Oſsm̃o, il Signor M. Antonio Mureto preſſo Monſignore Illm̃o e Rem̃o di Ferrara. Roma.

cauſſa eſſet ſtudioſus. Non multum temporis interceſſit, cum certiorem fecit, Georgium Anguſolum huc in patriam rediiſſe, cui me Romæ ſtudioſiſſime & diligentiſſime commendaſſes, eamque ob rem mei videndi & cognoſcendi eſſe cupidum. Is me, ut primum vidit, ſtudium ſuum atque officium benigniſſime eſt pollicitus; eamdem erga me voluntatem honoris tui cauſſa ſignificavit Corradinus, cum filium ſuum diſciplinæ tuæ eſſe alumnum ſibi gratularetur, & egregiam erga te benevolentiam atque obſervantiam pro ſummis tuis meritis declararet. Hæc cum plurimi facerem, contigit poſtremo, quod familiam ducat, quodque omnium jucundiſſimum mihi acciderit. Cum proxime Cardinalis Alexandrinus hac iter haberet, Contarellum, quem tibi intelligerem amiciſſimum eſſe, & eximia virtute atque integritate præditum, ſtudui in ſummis anguſtiis temporis ut viderem, & quam officioſiſſime poſſem ſalutarem. Is cum me perhumane complexus eſſet, quantum mea cauſſa cuperet, amantiſſimis verbis declaravit, cui cum agerem gratias, tam propenſum in me ſtudium & humanitati ejus adſcripſi, & amicitiæ veſtræ. Gratulor vero tibi, mi Murete, atque etiam mihi, de ampliſſimo munere ſummis ejus virtutibus, probitati, innocentiæ, prudentiæ, integritati delato; & eas virtutes in tanto munere tuendo atque ſuſtinendo illuſtratum iri, incredibiliter lætor. Tibi de tam claris & crebris ſigni-

fica-

ſicationibus benevolentiæ erga me tuæ immortales ago gratias, & a te ſummo ſtudio peto, ut, ſi eam orationem edidiſti, quæ in victoriæ navalis gratulatione a te habita eſt, ad me mittas. Id & mihi, & pleriſque aliis feceris gratiſſimum. Vale. XI. Kalend. Jun. MDLXXII. Regio.

LIV. [1]

Mag. Mr. Marc' Antonio mio Car.

IO non riſpoſi per il procaccio paſſato alla lettera con che mi mandaſte la prefatione del voſtro libro. Perciocchè oltre all' haverla veduta io, volſi farla anche vedere da queſti miei, ſi come ho fatto. Et da tutti è ſtata non ſolo approvata, ma commendata ancora, di che non ſi haveva a dubitare, venendo dalle mani voſtre. Et quanto più conoſco, che quel che attribuite a me, è cauſato dall' affettione che mi portate, & non da effetti, che per ancora ſe ne ſiano viſti, tanto più ho da aver caro queſto voſtro buon animo, & da tenermi obbligato a riconoſcerlo in ogni occaſione. Intanto piacendomi, che voi fuſſi a quel buon termine della ſtampa d' eſſo voſtro libro, ſtarò aſpettando, che ve ne torniate quanto prima, & ſtate ſano. Di Ferrara li 27. di Giugno 1559. [2]

Tutto voſtro

Hip. Card. di Ferrara

LV.

1 *Hippolyti Card. Eſtenſis epiſtola, qua Præfationem in libros Variarum Lectionum ſe accepiſſe ſignificat; litteras ſcilicet quibus illi eos libros inſcribit. Inſcriptio Epiſtolæ:* Al Mag. Mr. Marc' Antonio Mureto mio cariſſimo.

2 *Editæ Præfationi ſive epiſtolæ, diximus Muretum addidiſſe manu ſua diem* Kal. Maj. *Atque eum nimirum diem, cum ſcripta primum eſt epiſtola & Cardinali miſſa, habebat.*

LV. [1]

Mag. Mr. Marc' Antonio Cariſs.

HEbbi fin per l'altro ordinario l'oratione per il Re, e con tutto che fuſſe ſenza voſtre lettere, io preſupoſi ben però che me n'haveſte ſcritto, ſi come ho dipoi inteſo per la voſtra de XIX. Voi potete imaginarvi il contento, ch' io ho preſo, che ella habbia ſodisfatto tanto a ogn' uno, & voi n' habbiate riportato tanto honore; come però di queſto non facevo alcun dubbio. Et ſe ben io havevo trovato belliſſima quella prima, ſecondo la recitaſte [2], ho nondimeno trovato anche buone tutte le correttioni, che ci havete dipoi fatte per opinione di Monſ. Illmõ Vitelli, & del Sig. Ambaſciatore, & quella ſi manderà alla Reina, nè ſe ne laſcierà uſcir copia, ſe non conforme a quella. Iddio da mal vi guardi. Da Ferrara alli XXVII. D' Ottobre 1566.

Tutto voſtro
Hip. Car. di Ferrara

LVI.

1 Al Magnifico Meſſ. Marc' Antonio Mureto mio Segretario cariſſimo. *Ex hac hujus epiſtolæ inſcriptione quem locum in familia Cardinalis haberet Muretus, intelligimus, cum ſecretarius appelletur. De oratione autem ſcribere eum puto, quæ eſt* XIII. *vol.* I. *pro Carolo* IX. *& de qua etiam ſuperius egimus.*

2 *Atque hinc nimirum cognoſcimus, non uti dictæ ab eo ſunt, ita editas orationes, ſed recognitas, correctaſque fuiſſe.*

LVI.

Horatius Cardanetus [1] *Mureto S. D.*

PLures jam dies quotidie ad te ſcripturus, nunquam tamen ſcribo; quod cum multis de cauſſis factum ſit, cave exiſtimes, propterea me intermiſiſſe, quod meas tibi litteras vel intempeſtivas, vel loquaciores ac ineptiores, haud gratas eſſe putem. Quî enim poſſum de tuo in me amore, tuis mihi litteris teſtato, amiciſſimi etiam hominis teſtimonio confirmato; deque tua ſingulari humanitate dubitare? Ne quid de mea dicam utilitate, quam & ſcribendo nonnullam, & ex litterarum tuarum ſubtilitate ac elegantia maximam capio. Accedit etiam ambitio quædam. Quod enim ego ſæpius ad Muretum ſcribam; quod item ad me Muretus, ac pluribus quidem, ut feciſti, ſcribat, quamdam mihi apud homines exiſtimationem auctoritatemque comparat. Nunc tandem ad ſcribendum redeo, de locis quibuſdam Horatianis te con-

1 Excellentem doctrinam, & eloquentiam *hujus laudat Paullus Manutius lib.6. ep.14. ejuſque epiſtolam ſibi miſſam* elegantiſſimam *vocat ep.13. additque*: Quid? quod iſta humanitas, qua me tibi devinxiſti plurimum, ingenii, eloquentiæ, doctrinæque laude cumulatur: quæ facile apparent in litteris tuis, itaque dedi ſtatim eas legendas filio meo, ut exemplo tuo commoveretur, & quaſi tua per veſtigia ad eamdem gloriam contenderet. *Ex eadem epiſtola Jacobi Grifoli diſcipulum eum fuiſſe conſtat: docuit vero ipſe humaniores litteras Peruſiæ, iiſque inter ceteros erudivit Balthaſarem Anſideum: quod & Cæſar Alexius tradit* Elog. Civium *Peruſ. cent.* 2. *pag.*52. *Ad eumdem aliàs ſcribit Manutius lib.* 10. *ep.* 14. *lib.* 11. *epiſt.* 12. *& M. Antonius Bonciarius lib.*1. *ep.*6. *&c. Mureti vero ad eumdem editæ ſue rant lib.*2. *ep.*31. *&* 32. *lib.*4. *ep.*86.

conſulturus, qui eruditum illum poetam eruditiſſimis tuis annotationibus exornaſti. Mihi igitur ſuperioribus diebus primi libri epiſtolas interpretanti, Lactantius Firmianus [1] cogitandi dubitandique cauſſam dedit. Illa enim verba obſervans, *Virtus eſt vitium fugere*, cum primò aliquo modo laudaſſet, deinde, inepte eum de virtute locutum eſſe, ait; quod eam a contrario terminaverit. Non poſſum ego non moleſte ferre, quod tam nobilis urbanuſque poeta, ineptus appelletur. Miror etiam, a Lambino erudito viro, accuratiſſimoque ejus Interprete, non fuiſſe defenſum. Quo circa ipſius ego nomine ad tuum confugio patrocinium: meum enim tenue eſt, ac nullius pene auctoritatis. Decet autem, magnos ac eruditos viros a magnis ac eruditis patronis defendi. Quid igitur contra Lactantium ipſe afferas, expecto. Ejuſdem epiſtolæ verba ſunt non longe ab initio; *Quo me duce, quo*

lare

1 *Horatii verba lib. 1. ep. 1. (ordin. Sanadon. lib. 2. ep. 7.) v. 41. ſunt*

Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima
Stultitia caruiſſe.

de quibus Lactantius lib. 6. Divin. Inſtit. cap. 5. ubi Lucilii deſcriptionem quamdam virtutis attulit; Horatius igitur paulò melius, Virtus eſt &c. Sed inepte, quod eam contrario terminavit, ut ſi diceret; bonum eſt, quod malum non eſt. Cum enim quid ſit virtus neſcio, ne vitium quidem quid ſit, ſcio: utrumque igitur indiget definitione, quia natura rei talis eſt, ut utrumque aut intelligi, aut non intelligi ſit neceſſe. *Notavit hanc virtutis definitionem Chabotius quoque ex Lactantio. Sed facilis Horatiani loci defenſio mihi videtur, ſi non eum virtutem definire velle ex dialecticorum praeceptis, aut Ethicorum formulis, dicamus, ſed id nimirum velle, maximam hominum multitudinem vitiis adeo oppletam, ut qui illis carent laudare quaſi mortalium optimos debeamus, vel etiam majori ad virtutem aſſequendam labore perfunctos exiſtimare. De virtutis definitione V. S. Thom. 1, 2. qu. 55. art. 4. & Ariſtot. 11. Eth. eorumque Interpretes.*

lare tuter. Explicant omnes *lare* pro familia [1]. Lambinus addit, *ſeu quo familiæ duce*. Pro familia, quod ad ſententiam ſpectat, appoſite: at *larem* pro *familia* poni, mihi durius eſt. Pro familiæ duce, præter hoc, ſupervacaneum eſt, cum ante dicat, *quo duce*. Itaque de hoc quoque, quiddam adſcribere ne graveris. Locus etiam eſt, ut tertium addam, in tertia epiſtola, in fine, ubi ſunt ea verba, *Si tibi curæ quantæ conveniat Munatius*: quæ ut depravata, tu jam *quam te* reſtituiſti [2]: quæ etſi ingenioſa, commodaque eſt emendatio; tamen quod verbum *conveniat* non videatur eo loco convenire, quod ad ipſius latinam attinet ſignificationem, minime Lambino probatur. Quid igitur tunc ſecutus ſis, quidque nunc ſequaris, ſi libet, ſcribas. Atque hæc hactenus: quæ ſi mihi tecum coram conferre, teque de ſuperiore loco docentem, ex æquo aut familiariter colloquentem liceret audire, uberrimos meorum ſtudiorum fructus ſperarem; quæ alioqui frigent, ac nihil mihi præclarum polliceri queo. Gisbertum [3] ſalutabis,

1 *Seu* domo, *ideſt Philoſophorum ſecta*. *Nam* Socraticam domum *idem Horatius dixit lib.1. od.29. Itaque & hujuſce loci facilis explicatio mihi eſſe videtur*.

2 *Diſplicuit Guillelmo Silvio Mureti iſta emendatio; nam in exemplo Horatii a Mureto recogniti, quod ejus fuit, hanc delevit, reſtituitque* quantæ. *Vide Cruquii & Sanadonii lectiones, & explicationes ſibi adverſantes, & Chabotii duas*,

3 *Gisbertum Oddum intelligit, quem ſæpe Muretus nominat lib.2. ep.31. 32. & 33. atque in hac poſtrema*; Gisbertus enim noſter, propterea quod ei hodie ad fores herilis cubiculi aſſidendum eſt, ut ſtatis vicibus omnes cubicularii ſolent, operam mihi dare non potuit: *Vide quæ de nobilibus hiſce amanuenſibus diximus in Manutii vita*.

tabis, quocum placet nunc doloſe agere. Cum enim ad ipſum has mittam litteras, ejus fruſtrabor expectationem: illas enim explicans, ne litteram quidem ad ſe ſcriptam reperiet; quod tamen invitus facio, temporis exiguitate coactus: hodie namque ſcribentem cariores quidam amici ſæpius interpellarunt. Vale, Murete ſuaviſſime, meque ut facis ama. Peruſiæ VI. Id. Junias MDLXV.

LVII.

Horatius Cardanetus M. Antonio Mureto S. D. [1]

QUI poſſum, Murete doctiſſime, juveni ingenioſo, litteris ac moribus exculto, meo ante aliquot annos auditori, honeſtiſſimo in hac urbe loco nato, mei peramanti, tui ſtudioſiſſimo deeſſe, maximopere a me petenti, ut aliquid ei Romam profecturo litterarum ad te dem, quas ipſe reddat, itaque fores ſibi quodam modo aperiat ad amicitiam tuam, quam mire expetit? Id officii hominibus nulla re cum hoc juvene comparandis haud denegare potui; ſumpſique hoc mihi pro noſtra aliquot jam annorum amicitia, ut eos mea cauſſa, ſingularique in te benevolentia diligeres. Multo igitur magis tam honeſto, tamque multis ornamentis prædito juveni illud debeo: cupide ad te adibit, tui videndi cognoſcendique gratia, ſibi antea cùm meis ſermonibus, tuiſque monumentis, tum ipſa

1 Commendatitia eſt: nec tamen, quis ille ſit, quem adeo diligenter Mureto commendat, dicere habeo.

ipſa fama cogniti. Ipſum, ſi me amas, excipe tuo illo vultu hilari ac perhumano; primum, uti juvenem ſua ſponte tua amicitia digniſſimum, deinde mihi arctiſſima neceſſitudine conjunctiſſimum. Nunc primum Romam venit: itaque cum magnam ex multis rebus capturus ſit voluntatem, nihil tamen ei jucundius futurum certo ſcio, quam quod te allocutus fuerit, tuamque adeptus amicitiam. Plura in hanc ſententiam ſcribere putidum foret. Darem equidem libentiſſime crebras ad te litteras, mi Murete, elegantiſſima quondam, omniumque humaniſſima epiſtola [1] a te invitatus: ſed ne quid dicam, quod te occupatiorem eſſe cenſeo, tam infirma ſum valetudine, tam imbecillis utor oculis, ut calamum ſi non oderim, certe vitem quam maxime poſſum: officii memoriæque gratia nihil eſt quod ſcribam; vulgaria hæc ſunt. Scio etiam, Lucam noſtrum [2], cui tuam amicitiam valde gratulor (de quo ingentes tibi ago gratias, quod mea primum commendatione amplexus, optimis deinde ipſius moribus, maximaque in te obſervantia diligas) ſæpe tibi meis verbis plurimam ſalutem dicere: quem ego pro ſingulari ejus probitate, etſi prorſus eſt ſupervacaneum, iterum tibi commendo. Hac una re facilius patior, eo me carere, quod tua ipſe conſuetudine fruitur. Plura velim:

1 *Vide ep. 32. lib. 1.* Volo tecum, Horati, ſi modo ab eo voluntas tua non abhorret, quaſi mercaturam quamdam inſtituere litterarum, &c.

2 *Lucas Ariminenſis ille eſſe videtur, quem idem nominat epiſt. in editis lib. IV. 85.*

lim: ſed quid opus eſt pluribus? ama me, ut facis, & vale. v. Cal. Mart. MDLXXVI. Peruſiæ.

LVIII.[1]

SÆculum fere mihi videtur, cum nihil litterarum, vel a te mihi adfertur, vel ipſe ad te mitto. Te migratio fortaſſe mea excuſabit, quod tamen jampridem litteris tibi indicavi, ex Italia in Germaniam me reverſum, Argentorati vitæ & ſtudiorum velut domicilium collocaſſe. Me cum alia, tum id tibi excuſabit, quod etſi de tua in me voluntate nunquam dubitavi, amico per imprudentiam nocere, meaſque litteras fraudem aliquam adferre noluerim. Metui enim, ſi ſtatis & legitimis tabellariis eas committerem, ne tanto intervallo, totque ſtationum mutationibus multa perpeſſæ, & ab aliis apertæ, vel hujus nomine urbis tibi fraudi eſſe poſſent. Memini enim quid Onofrius Panvinius in Chronologia ſua Eccleſiaſtica[2] propter Romam Fabricii a ſe compilatam adferat. Nunc, mi Murete, nactus hunc adoleſcentem, qui rectà ipſe Romam iret, non putavi mihi committendum, ut eum ſine meis ad te litteris abire paterer,

1 *Giphanii commendatitiæ litteræ ſunt, quibus & Philologica quædam continentur. De Giphanio a* Giffen *populari ſermone dicto. Valerius Andreas Biblioth. Belgic. pag. 702. Teiſſier in Elog. tom. 4. &c. Andreas ejuſdem opera diligenter recenſens nihil habet de Gellio ab eo edito; nihil Fabricius tom. 8. B. nihil Funccius veget L. L. Senect. p. 331. qui Gellii editiones, quique eum Scriptorem illuſtrarunt, nominant. Lipſius tamen Giſanio ſcribens Epiſt. quæſt.* IV. 19. Deſiderium Agellii tui ferimus nimium diu.

2 *Vide epiſtolam præfixam Chronico ejus Eccleſiaſtico, ubi Fabricium intelligit nomine* Hermunduri.

rer, præſertim, quem Canterus vir doctus, & tibi, ut puto, notus, litteris non vulgariter mihi commendarit; & hoc amplius rogarit, ut euntem in Italiam viro docto & noto alicui commendarem, ac velut de manu in manum traderem. Quare amiciſſimi hominis litteras ſubſecutus, rogo te, ut tua illum humanitate complectaris, ita ut intelligat, meam commendationem, non tantum notitiæ aditum & viam muniiſſe, ſed ad omnem tuam humanitatem ejuſque officia momenti & ponderis aliquid attuliſſe. Canterus eum mihi commendat ab elegante eruditione, quam tu facile & brevi cognoſces: mihi unum ejus colloquium per & gratum, & jocundum fuit. Ab hoc & de meis rebus quædam cognoſces: nam Ilias malorum & calamitatum cognoſcenda tibi eſſet, ſi hujus mei atri non diei, ſed anni caſus meos perſcribere velim. Quæ domeſtica pleraque mala ſtudiis quoque meis magnopere nocuerunt: id certe effecerunt, ut Gellii (an Agellii [1]?) mei typographica, ut ita dicam, deſcriptio ab hinc fere biennio cœpta, neceſſario intermiſſa fuerit, etiamque nunc jaceat. In quem utinam tuas obſervationes, quarum in Italia ſpem aliquam litteris tuis mihi olim feciſti, auferre tandem aliquando poſſim. Vix rogare te auſim: ſed tamen ita hæc ut accipias velim, tamquam vehe-

1 Gellius *an* Agellius *dicendus ſit, multi diſceptant, Lipſius qu. epiſt. c. 8. lib. 5. Barthius lib. 35. Adverſ. c. 12. Salmaſius ad Arnob. Fabricius B. L. vol. 3. pag. 1. Lambecius prodr. lucubr. ad Gell. Bœclerus Bibliogr. Crit. Kroopſt. in vit. &c.*

menter te rogarim, ut eas ad me tuo commodo mittas: poteris id vel per hunc adoleſcentem, vel, quod malim, per Franciſcum Bracheri *Agente del Duca di Baviera*, commorantem Venetiis *al Traghetto di Murano ſul campo della Claſon*, cui & meas ad te litteras mittam, ſi has tibi non ingratas, aut moleſtas fuiſſe intellexero. Et quia acumen ingenii, & εὐστοχίαν tuam novi, rogo te, ut ſi quid ex verbo ΑΔΥΡΗΝΕΣ, quod habent veteres codices, & mei, & quos P. Victorius vidit, in *cap. 6. lib. 13.* [1] Gellii eo loco, & cujuſmodi Homerus dicat in Ulixis domo στειρῆνες, veri & boni exſculpere poſſis, ut id quoque mecum communices. Velim quoque ex te cognoſcere, an qui nihil longo jam tempore edideris, præter orationes quaſdam; ea quæ potes plurima & tua & aliorum proferre, ſemper nobis invidere velis. Quam multa præclara hiſtorica & theologica latent in bibliotheca Vaticana, numquam typis edita, quorum ſi pauca quædam a te vel ab D. Urſino proferrentur, incredibile dictu eſt, quam fructuoſa, quam grata, quam glorioſa hæc opera veſtra eſſet. Hoc mercatu

1 *lib. 14.* Et cuimodi Homerus fuiſſe dicat in Ulixis domo ἀδυρῆνες. *Incredibile dictu eſt, quantopere viros eruditos hujuſmodi* ἀδυρῆνες *vexaverint, & vexata illa ab ipſis ſint. Petrus Victorius var. lect. lib. 35. c. 16. ſe in ms. cod. & ſatis fideli ſe ita ſcriptum hoc nomen reperiſſe teſtatur: alii fecere* ἀδιρῆνες. *Neutrum tamen reperitur apud Homerum: ut autem reperirent, fecerunt aliqui* στιρῆνες. *Cauſabonus legit* ὀρσοθύρην, *& ſpectari putat ad locum illum Odyſſ. 22. v. 126.*

Ὀρσοθύρη δέ τις ἔσκεν ἐϋδμήτῳ ἐνὶ τοίχῳ.

Qui locus veteres etiam Criticos exercuit, ut Euſtathius, Heſychius, aliique teſtantur.

tu Pimpuntii Senatoris Pariſien. Virgilius editus eſt, & Stobæus ex bibliotheca Sambuci a Cantero verſus. Lipſius quoque tibi notus lectiones quaſdam, ut vocat, divulgavit. Hiſtorica, & apud vos odioſa, nec inſulſa tamen multa hoc anno ſunt edita: ex quibus vitam Amiralii a JC. quodam, cujus tu in Variis tuis facis mentionem, deſcriptam, vix me continui, quin huic ad te perferendam darem. Sed utriuſque periculum me deterruit. Quod ſi ejus generis aliquid ad te mitti, vel ullum a me officium tibi, aut tuis præſtari voles, fac quæſo, ut primo quoque tempore id ſciam; dabo ego operam, ut ſi nulla re alia, ſaltem in officiis tibi præſtandis fide ac diligentia nemini concedam. Vale, V. C. & Doctiſs. Salutem, ſi tibi videbitur, D. Urſino. Argentorato Kal. Octob.

Tuus Obſ. Giphanius.

LIX.

Juſtus Lipſius M. Antonio Mureto S. [1]

NIhil erat, Murete mi, quod ſcriberem, niſi hoc ipſum, nihil eſſe quod ſcriberem; nec tamen volui epiſtolam tibi debere diutius, & ut fidem

1 *Lipſii nomen vel auditum ſatis declarat, quis ille homo fuerit, quin aut ad Miraum confugere, aut ad alios, qui de eo uberrime ſcripſerunt, neceſſe habeamus. Epiſtolæ noſtræ non extant in epiſtolis ejus editis cum ceteris operibus* Lugduni 1613. *aut in* Epiſtolarum, quæ in Centuriis non extant, Decad. XIIX. *editis Hardervici* 1621. *etſi alia ibi leguntur* Epiſtolic. quæſt. *lib.* I. 6. *lib.* III. 14. *lib.* IV. 15. *lib.* V. 15. *& inter epiſtolas Mureti lib.* III. 3. *Atque hic dicere ego quoque poſſum, quod in Præf. tomi* 5. *Syllog.*

ſidem meam liberarem, inanes malui litteras mittere, quam nullas. Non ita tamen inanes, ut te, quem in aliis rebus libenter ſequor, etiam in ſcribendo imiter, qui ad amicos, quod nuper præſens vidi, ſchidas ſane bene magnas, ſed ita inanes mittis, ut unum epiſtolæ argumentum tribus verbis expleatur. O te hominem non tantum ingenio mirificum, ſed etiam in conſuetudine facetum & ſuavem! Narro tibi; me ipſum mihi reſtituiſti paucis illis horis, quibus tecum fui. Antea enim, mihi crede, & tui deſiderio, & malorum iſtorum inſolentia, languebam. Quod ſi mihi Tyburi, in illo ocello Italiæ, in illo nitido ſole tuo, aliquot horas ejuſmodi tecum ponere liceret; quæ ego regna & quas beatorum inſulas, præ una ambulatiuncula noſtra non contempſerim? Sed ego ineptiis aulicis hic ita detineor, ut nuſquam poſſim vel digitum. O rem minime aptam nec meis ſtudiis, nec moribus! Fero tamen omnia fronte & vultu, ut poſſum, belliſſime. Sed mihi modo [1], Murete mi, angor interdum & diſcrucior intimis ſenſibus. Quod niſi tua conſuetudo me adhuc ſuſtentaſſet, & Romæ tenuiſſet, juratus tibi dico, jamdudum talaria induiſſem, quibus aliquà evolaſſem; ubi neque Pelopidarum nomen, neque iſtas moleſtias ferrem. Paulum Manutium ſcito heri conventum

leg. Epiſt. Petrus Burmannus, cum manu ſua deſcribere epiſtolas illas congeretur; Lipſii inexplicabiles ſæpe litterarum ductus millies iram & indignationem in manum ejus feſtinantem provocaſſe; *quod & in ſuperioribus Lambini mihi accidit.*

1 *id,* crede: *Frequentes ſunt in Lipſio hæ Ellypſis.*

tum eſſe a me: hominem eruditum, humanum, & quem ſecundum te facio plurimi; ſed in quo tamen ſuavitatem illam & facilitatem morum, quam in te tantopere amo, valde requiram. Plautum tuum [1], vel jam potius noſtrum fero in oculis: ejus cotidiana conſuetudine, & ſermonibus magnam partem lenio deſiderium abſentiæ tuæ. Quem ego adoleſcentem non tantum ideo amo, quia amatur a te; etſi id quoque ſed multo magis, quia ea elegantia ingenii eſt, & ut captus eſt hujus ætatis, etiam doctrina, ut amore & amicitia noſtra maxime videatur dignus. Habes epiſtolam, ut initio tibi prædixi bene inanem: ſcripſi enim quicquid in buccam; & in qua te non aliud, quam voluntas mea delectare poſſit. Ad quam nollem te equidem reſpondere, niſi nuper admirabilem illam tuam facilitatem in ſcribendo cognoviſſem, qui me præſente momento temporis decem litteras [2] ad amicos dederis, & quidem tua manu. Quamobrem puto, te vel aliud agentem facile unis litteris tuo commodo reſpondere poſſe.

Vale Roma CIↃIↃLXVIII. A. d. XVIII. K. Septembrium.

1 *Is eſt Franciſcus Bencius, cui Plautus nomen erat: ſed illud Sodalitatem noſtram ingreſſus deponere voluit.*

2 *Atqui hæc nimirum confirmant illa, quæ in Mureti vita ſcripſimus num. 30.*

LX.

Juſtus Lipſius M. Antonio Mureto S. [1]

NE vivam, Murete mi, ſi quidquam in omni vita gratius, aut jucundius mihi accidit tuis litteris, non ſolum quia tam eleganter ſcriptæ; nihil enim vidi ἀττικώτερον, verum etiam quia tam ſuaviter & amanter. Itaque antea diligi me a te ſenſi; nunc vero etiam amari: omnibus enim in partibus epiſtolæ tuæ mirifica quædam ſignificatio amoris elucet; cui utinam ceteris rebus reſpondeam, amore quidem certe præſtabo ne vincar. Sed ut ad litteras tuas reſpondeam, ſcito mihi jucundiſſimam epiſtolam tuam, hoc tantum attuliſſe moleſtiæ, quod ſcribis, te iſtic non ſolum commode, ſed etiam delicate, & pæne Phæacum vitam vivere. Poſuiſti enimvero verſus Homeri εὐφροσύνη μ' ἔχει. Vide igitur quam moroſi, ſeu potius inepti ſint qui amant. Qua in re gaudere debebam tuum gaudium, & lætari, commode tibi eſſe: hoc ipſum angit me & excruciat, verentem, ne te deliciæ illæ, ut quondam Ulyſſem a patria, ita te illecebris ſuis irretitum ab Urbe & a nobis diutius detineant; præſertim cum iſtic etiam Alcinoi hortos eſſe audiam: bene habet, ſi nec Cirra ulla, nec Calypſo; quod

1 *Elegans & feſtiva epiſtola de Mureti Tiburtino ſeceſſu, & libro ſuo ad eum miſſo. Sunt autem in his epiſtolis nomina quædam, quæ nonnullis fortaſſe diſplicebunt, damnavitque in* Recognit. ſuorum oper. *Bellarminus, ut cum* Deos *ſæpius nominat; animo tamen Chriſtiano ab eo hæc dici, & antiqui latini ſermonis amore, omnino conſtat.*

quod ſi eſſet, næ tu, ut es homo facilis, una cum Ulyſſe vel decennium modo peregrinareris. Sed tamen meminiſſe te oportet illud Homeri *αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν*: nolo enim addere vel ominis cauſſa *κενεόν τε νέεσθαι*. Quod autem quereris, neminem iſtic eſſe, qui ſtudiis noſtris delectetur; id mihi quidem ænigma fuit. Quî enim poſſit, ubi tu ſis homo in Muſarum manibus educatus, ibidem etiam non Muſas eſſe oportere? Quod quidem nos reapſe experimur. Scito enim a diſceſſu tuo & Apollinem & Muſas ita Urbem reliquiſſe, & in agros tecum commigraſſe, ut ſæpius a me ad carmen quoddam, quod Veneri illi Neapolitanæ tuo juſſu ſcribere conabar, invocatæ, nunquam advenerint, nec vatem ſuo numine adjuverint. Hoc videlicet commodi a Mureto noſtro habemus, ut, eo abſente, ne carmen quidem propitiis Muſis ſcribere poſſimus. Jocari me putas? moriar, niſi te abſente non tantum Muſæ, ſed etiam omnes Gratiæ Urbem reliquiſſe mihi videntur; ut Roma jam, dum tu ſemen urbanitatis abes, vel rure quovis inficetior ſit. At etiam audes ſcribere; vereri te, ne barbarus nobis videaris *χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις*. Ubi eſt, Murete mi, frons tua? tu nobis barbarus? quo nec Athenæ magis Atticæ, nec Latium ipſum magis latinum eſt? Narra iſtuc Juriſconſultis tuis, quibus tu fortaſſe, quod nova quadam & inſolenti lingua apud eos uteris, barbarus videaris. De Manutii amicitia retinenda quod me & amanter & pru-

denter hortaris, valde te amo; & efficiam certe, quoniam in eo homine mihi conciliando nimis indormivi diu, ut curſu ita corrigam tarditatem, ut intelligas, quantum calcar apud me una admonitio tua habuerit. Librum meum vix tandem aliquando accepi a meis, quem de itinere ipſo feſſum & pulverulentum timide mitto ad te: novi enim & aures teretes, & limatulum ac politum judicium tuum. Tu tamen pro eo quanta humanitas tua eſt, ſoſpitem hunc primo ingreſſu ita accipies, ut eum lenitate tua titubantem potius confirmes, quam ſeveritate obruas. Confirmatum deinde, licebit, non tantum moneas, ſed etiam objurges. Sed mehercle extra jocum; librum meum ea conditione mitto ad te, ut neque legas niſi ſummo otio & commodo tuo; & cum leges, obliviſcaris paulliſper, me Lipſium eſſe, & te Muretum, ideſt amorem illum verum, qui eſt inter nos, ad tempus ſeponas, & de eo, non pro affectu tuo, ſed vere & ex animi ſententia judices. Quamquam de eo non ita neceſſe fuit te admoneri, qui ita natus es, & ita conſueviſti, ut flammam in ore facilius comprimas, quam veritatem taceas. De me quidem [1], ſi hos naſcentium ſtudiorum meorum primos labores polito judicio tuo probavero, optandum quiddam conſecutus fuero; ſin minus, hoc tamen me conſolabor, in præclaro conatu non voluntatem mihi

1 *Eſt ex illis modis dicendi, qui in Lipſio ſæpius reperiuntur, & Muretus in veteribus etiam animadvertit lib. 2. cp. 33.*

mihi ad recte faciendum, ſed facultatem defuiſſe. Vale. Salvebis a Plauto noſtro. Roma pridie Kal. Septemb. CIↃIↃLXIX.

LXI. [1]

Itto ad te, Murete mi, exemplum epiſtolæ ejus, quam ad P. Manutium dedi, in qua mihi ipſe ſane diſpliceo; ſed præſtare volui genus illud, quo ipſe delectatur: in qua, quod quædam ſunt blandiuſcula, noli putare, me duos parietes de una fidelia: nam ad alios aliquid aliquando fortaſſe, quod aures illorum delectet; ad te, tanquam ad me ipſum, nil niſi ſimplex, ſincerum, purum putum. Quod ſcripſi ad Manutium de variis lectionibus meis, ejuſmodi eſt. Paro octo libros variarum [2]. Univerſum opus Cardinali noſtro a me vel invito debetur: habeo enim rationem conſtantiæ meæ; ſingulos tamen libros ſingulis eruditis viris conſtitui. In quo permitte quæſo, ut primum locum, non eruditione aut amore, πολλῦ γε καὶ δεῖ, ne dignitate quidem, ſed ætate, Manutio tribuamus. Detur hoc a nobis ambitioni Italorum. Tu quidem extra controverſiam ſecundum, & meo judicio ac volun-

1 *Ut hanc ſive epiſtolam, ſive epiſtolæ potius alicujus appendicem, divulſam a ceteris inter Mureti ſchedas repertam cum epiſtolis ad Manutium, & Urſinum, hoc loco collocarem, non habeo aliam cauſam, niſi quod in ſuperiori, de Manutii amicitia retinenda quadam Mureto Lipſius ſcribebat.*

2 *Nunc in operibus Lipſii Lugduni editis* 1613. *non extant, niſi* variarum *libri* III. & antiquarum lectionum *libri* V. *totidemque editi Antuerpiæ a Plantino*. Varias *dedicavit Cardinali Perrenoto Kal. Junii* 1566. Antiquas *Thomæ Redingero*.

voluntate, Deos teſtor, primum locum obtinebis. Ad Cardinalem Sirletum, ſi quid poſthac: in quo expecto judicium tuum. Litteras quas ad me dabis, huic ipſi adoleſcenti, ſi volueris, dare poteris; is ad me eas perferri curabit: nomen ejus eſt *S'. Dura*; agit domi Cardinalis noſtri.

LXII.

Juſtus Lipſius P. Manutio S. D.

PEccarem, P. Manuti, & vehementer peccarem, ſi ad quemquam prius de rebus meis, quam ad te ſcriberem. Nam ſive amorem hac in parte conſidero; nullius illuſtrior erga me voluntas fuit, quam tua; ſive merita, nemo eſt (quod libenter præ me ferre ſoleo), cui plus debere me fatear, quam tibi; ſive etiam voluntatem meam: non poſſum profecto libentius ad quemquam ſcribere, quam ad te, quem & facio omnium hominum plurimi, & ſic amo, ut præ te uno, ceteros amicos diligere videar, non amare. Quod ſi fortunam præſtare unuſquiſque noſtrum æque ac culpam poſſet, ſatis feciſſem jampridem deſiderio meo, & hoc officium vel ante diem tibi libere repræſentaſſem. Nunc cum ita vel caſus, vel fatum meum tulerit, ut ſimul in patriam venirem, gravi & diuturno morbo, qui mihi vires omnes animi & corporis eripuit, affligerer; ſi amorem tuum novi, ut novi, deflebis potius cauſſam cur non ſatisfecerim, quam accuſandum me putabis, quod ſerius ſatisfecerim.

cerim. Nam morbi quidem vis non modo animum meum a ſcribendo, ſed pæne ab omni vivendi cogitatione abſtraxit. Sed venio ad litteras, ideſt ad delicias noſtras. Nam in hoc genere officii diligentiam tuam ſperare, meam præſtare tibi poſſum. Libri mei Variarum Lectionum adhuc ceſſant. Quid enim hoc morbo, qui me non ſolum ab hac cogitatione, ſed ab omni complexu Muſarum eripuit? Sed ſi Di volent, & ſi mihi optata ſemel valetudo contingat, paucis diebus inſtitutum opus poſſum abſolvere. Hac in re, quid ad honorem tuum, vel meum potius excogitaverim, memini me aliquando tecum coram; ſed & nunc ſcribam, ut exquiram ſententiam tuam. Ad quatuor libros meos priores, in quibus multa obducentur, multa mutabuntur, quatuor alios attexo: univerſum opus Cardinali noſtro debetur; ſic enim & ratio conſtantiæ meæ, & ſi vis, etiam merita ejus poſtulant; ſed & ſingulos libros ſingulis eruditis viris ſtatui inſcribere, in quo deſtituor exemplo antiquorum, ſed in re laudabili non defugiam auctoritatem ætatis noſtræ. Te igitur in illo catalogo, ut eruditione, ſic loco volo principem. Præſtantia in omni genere doctrinæ tuæ fert, ut id merito facere me exiſtimem; amor meus, ut etiam libenter. Adjungentur deinde ex illo flore Italiæ veſtræ Muretus, Fulvius, & ſi forte Sigonius; reliqui noſtrates. Statui etiam ſyntagma aliquod novum ad heroem illum Card. Sirletum, ad quod me impel-

pellit non tam ejus viri dignitas, etſi id quoque, nam ea quidem illi nunc aliquid rari eſt, quam ſingularis eruditio, & in eruditos propenſio, quæ nunc nulli. Illi igitur fortaſſe Propertium dare audebimus. Sed & hoc, & reliqua de tuo ſcilicet conſilio, qui & illo judicio es, ut poſſis, & ſic me amas, ut velis, quod convenire putabis, conſulere. Improbi hic rumorem diſſiparant de morte Cardinalis noſtri, quod ſit illorum capiti, illo ſalvo. Commentarios tuos in epiſtolas ad Familiares avide expecto, & angor te expectationem remorari. Dì faciant, ut & hoc opus, & alia rei litterariæ juvandæ, quod quidem fatale eſt familiæ veſtræ, felix & famæ tuæ ſuperſtes poſſis edere. In quam cogitationem, etſi parta quidem tibi jam eſt omnium ſæculorum immortalitas, tamen hortarer te, ut incumberes; ſi id aut adoleſcentiam meam deceret, aut apud te cauſſa eſſet; qui ingraveſcente ætate, non modo nihil de tam præclaro conatu tuo & labore remittis, ſed potius cum omnium gentium admiratione auges tu illum & intendis. Tu, Manuti, ſic exiſtima, ingenio, eruditione, judicio facile me tibi cedere, officiis etiam vinci fortaſſe a te poſſe, amore quidem certe paratum eſſe vel tecum contendere, vel te ipſum vincere. Vale.

LXIII.

LXIII.

Juſtus Lipſius F. Urſino S.

FAcit humanitas tua, F. Urſine, & amor tuus, cujus adhuc expreſſe apud me multa ſunt veſtigia, ut peccare mihi viderer, ſi ad quemquam potius de rebus meis, quam ad te ſcriberem. Nam & præſtantia eruditionis tuæ illa eſt, ut cum paucis amicorum meorum te conferre, nulli poſſim præponere; & ſic de me es meritus, quamdiu Romæ fuimus una, ut beneficiorum tuorum memoriam deponere impii ſit, ne dicam ingrati. Qua humanitate tua quantum me tibi devinxeris, & quid meritis tuis debeam, oſtendam aliquando monumento aliquo ex hoc genere litterarum noſtrarum, quarum tu & peritiſſimus es, & quibus delectari te maxime, ſcio. Antiquitatum informatam dum Romæ eſſem cognitionem nunc eo ardentius amplector, quo ea vere in dies majori mihi voluptati eſt & fructui. In quo genere, quoniam omnium judicio facile es princeps, non miraberis, ſi a te potiſſimum petam, ut ſi quid a diſceſſu meo inventum aut erutum eſt novi, quod legi noſtra intereſſe putabis, id a me per N. Florentium tranſmittas. In quo incredibile dictu eſt quam gratum mihi facturus ſis. Breviloquentem me morbus meus facit, a quo reſpiravi, non convalui. Laurentio Gambaræ principi poetæ, & qui memoria noſtra fere ſolus, quid in veterum imitatione eſſet,

ſet, acute vidit, & feliciter expreſſit, ex me ſalutem; quam equidem verſu aliquo ad eum miſiſſem, niſi Muſæ vocatæ venire ad ægrum recuſaſſent. Vale.

LXIV.

J. Lipſius M. Antonio Mureto S. [1]

QUidlibet potius putavi fore, M. Antoni, quam ut mihi ad te ſcribenti verba deeſſent. Et tamen narro tibi, in hac cauſſa deſunt. Quid enim de tam longo ſilentio meo ſcribam, aut non ſcribam? Dicam occupationibus factum eſſe meis, ut ſerius ſcriberem? vulgatum id quidem. Sed poſſuntne ullæ occupationes eſſe tanti, ut intercludant iter officii & amoris mei? At negligentia fortaſſe, aut oblivione tui? Dì meliora. Non tu quidem ſic de me mereris; & ſic mihi hæres in intimis ſenſibus, ut Deos teſter, nullum mihi non diem, ſed horam ſine tui jucundiſſima memoria traduci. Quid ergo eſt? Audi, mi Murete, & cognoſce miſeriam Lipſii tui. Ego tres jam menſes ipſos a reditu conficior acerrimo & diuturno morbo, qui me omnibus doloribus animi & corporis excruciat. Dì me pejus habeant, quam habent cotidie, ſi fallo. Et miraris, me nihil interea litterarum ad te, cui non dicam ſcribendi, ſed vix reſpirandi facultas fuit? Tum id expoſtulares, ſi ad quemquam

[1] *Narrat de morbo & ſtatu ſuo, deinde de eorum temporum turbis, amoremque ſuum in Muretum ſignificat.*

quam primo. At ego ne ad illum quidem patronum meum, cujus judicium facio equidem, ut debeo, plurimi, nec tamen pluris, quam tuum. At vide quam Deo meo irato, liceat enim hoc mihi apud te, reliquerim Italiam veſtram. Quod unum diſcedens a vobis, ut ſcis, ſpectabam, & in quo cogitationes meæ omnes erant defixæ, ut Aurato menſes aliquot operam darem, id ipſum mihi quaſi de induſtria fortuna eripuit. Vix attigi patriam: ecce tibi edictum Ducis Albani, ne quis extra Regis noſtri regimen ſtudiorum cauſſa, ſine fraude capitali, agere poſſit, Roma excepta; quo quidem edicto interverſa plane ſumma eſt cogitationum mearum. Cetera offendi adveniens, ut optabam; rem familiarem amicorum prudentia meliori etiam loco quam optabam. Itaque nunc iſtas principum virorum amicitias, quæ non multum a ſervitute abſunt, non contemno quidem, ſed neque valde ambiendas puto. Licet enim mihi fere dicere, quod illi adoleſcenti apud Poetam veterem; Mihi decus virtute, & majorum manu mediocria bona bene parta ſunt, quibus otium meum honeſte in his ſtudiis traducam, ſine quibus vita, non dicam vitalis, ſed nulla ſit. Ego propediem ſi convaluero, quod quidem mihi jam videbatur, Lovanium cogito, atque ibi, quod viatores ſolent, curſu corrigam præteriti temporis tarditatem. Plantinum a nundinis hic expecto. Tu cum ultro ſpem feceris ampliſſimæ laudis, vide obſecro, ut ejus

ejus exſpectationem ne fruſtrere, & meam fidem ut præſtes. Canteri Euripides apud Plantinum exprimitur. De Plauto Lambini nihildum vel tenuiſſima auditione accepimus; & aut ille homo ceſſator eſt, aut certe cogitationem illam jam plane abjecerit. Quod ſi mihi credis, Murete, adoleſcenti non valde prudenti, ſed certe tui amanti, eſt hoc omnino opus tuorum laterum, & dignum, in quo elegantiſſimi ingenii tui nervos velis contendere. Adſunt tibi omnia in hanc rem, quæ vel a natura, vel a fortuna poſſis expetere, ingenium, eruditio, judicium, quanta alii ne taciti quidem a Dis optent. Atque hæc vel ab induſtria, vel a natura. Fortuna autem dedit, ut verſeris in illa luce gentium, in qua & optimorum librorum copia non deſit, ſuperſit otium, & tui ſimiles multos, ideſt eruditos viros habeas, qui nutantem te in locis aliquot dubiis vel explicare conſilio, vel juvare poſſunt. Sed hoc tu pro tua prudentia dijudicabis: illud quidem cogita, expectari jampridem a te, quod ſolet ab agro fertili, qui ubi diu ceſſavit, lætiorem & uberiorem fructum ſolet fundere. Rumor hic fuit de morte Cardinalis noſtri; quod ſit illorum capiti, qui eum improbe, ut ſpero, & ſine auctore diſſiparunt. Canterum Lovanii eſſe audio, & Victorem Giſelinum, homines ſane tinctos litteris: verumtamen quid eſt in iis, quod lenire poſſit deſiderium tui? cujus una mehercule pomeridiana ambulatiuncula pluris ſit,

quam

quam iſtorum cottidianus uſus. Atque ita ſalvus ſim, ut hoc ex animo dicam; ſi unquam mihi veniſſet in mentem cogitare, me tam ægre deſiderium tui laturum, ad extrema potius, quam ut a te divellerer. Sed & ea perturbatio eſt omnium rerum in his regionibus, & tam ardens cupiditas mea viſendi tui, ut non deſperem, aliquid inventum iri, cur honeſte mihi aliquando, & ſine reprehenſione levitatis ad vos reverti liceat. In quo omine deſinamus. Tu, Murete mi, ſic tibi perſuade, multos eſſe, qui pro tua ſingulari eruditione & morum ſuavitate te vel admirentur, vel ament; ſed inter eos nullum eſſe, qui me uno de virtute tua aut melius exiſtimet, aut te ipſum ardentius amet, liquido confirmare poſſum. Vale. Bruxellæ xv. Kal. Octob. CIƆIƆLXX.

LXV.

J. Lipſius M. Antonio Mureto S. D. [1]

ITane, Murete mi, annus ipſe jam vertit, cum nihil a te non modo litterarum, ſed nec rumoris? Siccine oportuit? eſtne hoc vel amoris tui, vel meriti mei? At ego quando Romam dedi litteras, ut non eſſent ad te alteræ? Non ſoles in amore eſſe difficilis; ſed mihi modo & ſilentium tuum, & cauſſa ſilentii, ſuſpicio. Viviſne & va-

1 *In his aliiſque extima epiſtola inſcriptio erat* Clariſſimo viro M. Antonio Mureto J. C. Romam. *De benevolentia ſua in illum fuſe agit, de Lambino & Donato quadam adjungit.*

les, Murete mi? aut ſi vivis & vales, quod Dì approbent, eſtne tibi in amoribus Lipſius tuus? Quid enim aliud exiſtimem? niſi forte defuit, cui commode dares; aude enim hoc dicere; aut quas dediſti perierunt; quaſi non ego cottidie ab aliis litteras, quæ ſic tuto, tamquam ſi a ponte Mulvio Romam. Non tamen hæ cauſſæ minuendæ benevolentiæ meæ ſunt, quin potius, quod impotentes in amore ſolent, ſpretus, contemptus, neglectus cupio tibi vehementius, amo ardentius. Tu ſi me amas, aut amari a me vis, cave præſidium in eloquentia tua ponas; tam malam cauſſam, ne Marco quidem patrono, probaveris; ſed longiſſima epiſtola, quæ vicem multarum eſſe poſſit, omnem mihi & dolorem, &, ſi audeo dicere, iram abſterſerit. Sed hæc de te; tu autem de rebus meis fortaſſe malles. Etſi adumbratam vitæ meæ rationem ſuperioribus litteris conſcripſi, nec nunc quidquam novi. Nam reip. noſtræ ea adhuc forma eſt, ut nondum mihi ſtet, quamdiu in his locis & hac turbatione temporum velim degere. Germania, Britannia alienato animo; rumores etiam non belli de Gallia tua: *αἰδέομαι Τρῶας*, & vereor ne illa pax nobis bellum ſit. Sed hæc Deus aliquis. Piratas quidem in latere habemus, & majori numero, quam ut piratæ videri poſſint. Habes publica, quatenus id litteris licet. Quid quæris? num ut ad privata veniam? Quid ergo exiſtimas, me etiam in his malis niſi plane beatam vitam vivere?

in qua,

in qua, ut Epicurum auctorem ſequar, etiam hortos conduxi, in quos delitias Italiæ veſtræ melones, caules floridas, alia talia tranſduxi : in iis ſolem matutinum delibo; reliquum diei libris me, & litteris involvo; niſi ſiquis Canterus, aut Giſelinus interpellet, quod tamen ipſum in lucro pono. Quis enim ſermo, niſi de litteris, aut etiam de te? quem non tantum in ſinu, ſed etiam in lingua gero, & tuas laudes plena ubique manu. Carrio meus adhuc abeſt, qui mei videndi cauſſa iter longulum ſuſcepit, & brevi plane huc remigrat. O Murete mi, cur te non habeo vel ſocium gaudiorum meorum, vel teſtem? quod unum felicitati meæ non abeſt, ſed plane deeſt. Canteri Euripidem puto ad vos jam allatum, de quo tu fortaſſe majora conceperas; verumtamen exſpecto judicium tuum. Novas lectiones ejus libro uno auctas mitterem ad te, ſi per nuntios eſſet, ut commode poſſem. E Plantini bibliotheca nihil præterea expectandum, qui Bibliis Complutenſibus Regis juſſu hic diſtringitur, nihil ut loci litteris noſtris ſit. Hoc boni, ut alia multa, Hiſpanis debemus. Sed heus, Murete mi, ſciſne correctionis illius meæ in Terentium, *Benignitatem claudere*, quam olim irriſimus, auctorem Donatum eſſe; corruptum quidem illo loco, ſic tamen ut poſſit intelligi?

Avide expecto litteras tuas, quas quoniam Cardinalis Neapolim diſceſſit, licebit nuntio commu-

ni tradas, ſic tamen ut nihil ei exſolvas, cum inſcriptione, Juſto Lipſio habitanti Lovanii in ædibus Henrici Lottii e regione Jeſuitarum. Oportet enim profecto, aut tu ceſſationem, ne gravius dicam, iſtam exuas, aut ego amorem. Etſi jocor, Murete mi: quæ enim res tanta eſt, quæ amorem meum in te imminuat? quo vivus mortuuſque videar amaturire. Adoleſcentes hi noſtrates ſunt bono loco nati, quos cupio illa tua ſuavitate complectare: in iis unus Plantini corrector fuit; quibus tu ſi qua ratione, quod ſine tuo incommodo fiat, gratificari potes, rem mihi gratam feceris, idque beneficii, ut te blandiar, mihi imputabis. Vale, mi ſuaviſſime Murete, quem ego præſentem videre videor. Lovanii. Pridie non. Jul. CIƆIƆLXXI.

In tribus his adoleſcentibus, etiam Victoris Giſelini frater eſt, quem & tu Lutetiæ olim vidiſti, & quem tibi litteræ noſtræ faciunt notum: huic tu ſi quid boni feceris, gratum id & mihi, & ipſi Giſelino erit, cujus propenſam in te voluntatem erit ut brevi ex ipſius litteris cognoſcas. Sed heus quam pæne me fugit ſcribere de Lucretio Lambini, qui nuper prodiit, in quo homo natus ad bonorum contumeliam incurrit in notos, ignotos, præcipue tamen in noſtrates. Dì boni quæ ſtigmata ille Giſfanio! quæ Cantero! Nam tuo nomini gratiam jam fecit, ut ſcripta ejus ornares. Sed ſenectus illum, opinor, facit acerbiorem, ut non miremur ſenem contumelioſum, qui ab adoleſcente

inge-

ingenium & linguam continue petulanter exercuit. Et is pollicetur brevi Ciceronem integrum, Plauti fabulas, Ethica, Politica, Platonem totum. Hui! quamdiu ille vel ſilentio vel patientia meliorum abutetur? Cur enim tu, Murete, ceſſas, & Plautum addictum tibi uſque flagitantibus nobis non ſuſcipis? Eſt is tuarum virium: ſed nec deerunt qui juvabunt; velis modo. Nam Lambinum optimum quemque Scriptorem convitiis & maledicentia ſua contaminare, dedecus eſt noſtrum. Vides quam libere? quid ni in hominem talem, & in epiſtola ad te? Giffanius parat alteram editionem Lucretii ſui: ſi Dì volent, mirificas gladiatorum pugnas videbimus. Cum Placidiano componitur optimus longe poſt homines natos gladiator qui fuit olim: hoc nimirum eſt, quod ſalſe tu dicebas, graſſari ad famam. Vale, Murete mi, delitiæ Muſarum, Phœbi amor, mel ex Hymetto.

LXVI.

M. Antonio Mureto J.C. Civi Rom. Hugo Blotius Bibliothecæ Imperatoris Præfectus[1] *S. P. D.*

PUdet quidem me, V.C. Sed tamen cogor in ſummo occupationum mearum concurſu ad te

1 *De Blotio fuſe Lambecius lib.* 1. *n.* 44. *&c. Biblioth. cujus etiam libellum; ſive* conſilium de Bibliotheca Cæſarea augenda & ornanda *memorat, quod Imp. Rudolpho a.* 1579. *obtulit. Hic de Imperatoriis inſignibus, quibus ſtemma Mureti ornetur, quemadmodum illud Manutii ornatum eſt, agit. Manutii habes in Cæſare edito ab Aldo Venetiis* 1571. *& Epitome Orthographiæ eodem an.*

non modo prima manu, verum etiam feſtinanter & incondite ſcriptas litteras mittere. Occupat me Bibliotheca Imperatoria, occupat ſchola, occupat familia; quam mihi duorum menſium, & totidem dierum uxor, teſtamento condito moriens, mihi copioſam & locupletem reliquit. Rebus autem compoſitis, cum Muſis in gratiam redibo, & tibi accuratiora, gratioraque dabo: tametſi ignoro, quænam res palato maxime ſapiant tuo. Habet quidem Cæſaris bibliotheca libros quoſdam non vulgares, nec alibi exſtantes: ſed eos aliò mittere fas non eſt. Per otium catalogum eorum mittam, ut ſi qui eorum placuerint, tranſcribi queant, atque illuc mitti: mirifice enim cupio tibi gratificari; ſed ſcire velim, qua in re fieri id maxime poſſit. Si tu ſuggeſſeris, non ſurdus audiam, & ſequar. Cæſar Aldi Manutii patri Paulo, inſignia gentilitia locupletavit & cohoneſtavit teſtimonio & decoramento Imperatorio. Idem tibi ſi placeret, facile impetrare poſſemus; ſi ego, & Matthæi Stuffii illic in Jeſuitarum Collegio viventis pater, Archiducis Erneſti Archiatrus adniteremur. Quare, quid placeat a nobis fieri, ſignifices velimus. Plane enim adoleſcentuli illius parentes ſe tibi, ob eum, quem filius ſibi a te exhibitum ſcribit, honorem & beneficium devinctos eſſe fatentur; meque ut ad te ſcriberem, rogarunt, & qua in re tibi eam humanitatem compenſari cupias: ſeſe enim, magis ſuum in te animum declarare, quam

quam verbis multa promittere malle affirmant. Sæpe ego quidem ad te ſcripſi, ſed reſponſi nihil unquam accepi; vel quod litteræ ad me tuæ interciderunt, vel quod propterea nihil ad me ſcribere voluiſti, quod quarum eſſem in Religione partium ignorares. Hoc autem nunc ut ſcias volo. Sum veteris illius, non novæ hujus hominum inter ſe varie diſſentientium Eccleſiæ cultor: nec deſpero, me aliquando iſtuc ad Summum noſtrum Pontificem cum Imperatoris noſtri Oratoribus venturum, ut tecum copioſius de rebus omnibus ad politiam & litteras pertinentibus colloqui poſſim. Interim Deum Opt. Max. precor, ut te quam diutiſſime Reip. ſuperſtitem eſſe patiatur. Vale, & cum me, tum Matthæum Stuffium lepidiſſimum adoleſcentem tibi commendatum habe. Vienna ex Bibliotheca Imperatoria III. Id. Febr. CIϽIϽLXIX.

LXVII.

M. Antonio Mureto V.C. Hugo Blotius S. P. D.[1]

CAuſſa intermiſſæ meæ ad te ſcriptionis, neque promiſſorum oblivio, neque negligentia eſt, ſed occupationum mearum concurſus, & quod ex duobus alterutrum, priuſquam reſcriberem, expedire ſtatueram. Volebam enim cum Joanne Cratone Cæſaris Archiatro & Senatore, tum etiam

1 *Idem ferme argumentum habet hæc epiſtola ac ſuperior, de inſignibus Mureti, Imperatoris privilegio exornandis, & ratione qua id beneficii conſequi Muretus facilius poſſit.*

etiam cum adoleſcentis Stuffii patre Archiducis Erneſti medico, primo quoque tempore tibi gentis Muretæ inſignia ornata, atque Imperatoriæ Majeſtatis acceſſione condecorata conficere, ac deinde per litteras evangelia abs te petere. Sed cum hujus rei multa objicerentur impedimenta, quod Cæſar Vienna abeſſet, & quod qui res aulæ noſtræ exploratas habent ſuaderent, priuſquam negotium a nobis Cæſari proponeretur, ad te eſſe ſcribendum, petendumque, ut libello aliquo quantumvis parvo ipſius Majeſtati dedicato, anſam & cauſſam nobis dares, rem omnem noſtro ductu felicioribus auſpiciis abſolvendi. Quod amicorum conſilium cum mihi vehementer placeat, a te etiam atque etiam peto, ut vel orationem, vel libri alicujus verſionem; aut aliquid ſaltem, quod Cæſari, tuo nomine, inſcriptum offerre, & inſignium jus referre queamus, mediteris. Una tibi oratio [1] civitatis jus Romanæ adtulit: una item inſignium Imperatorio ſplendore illuſtrandorum jus deferre poterit. Ne autem in argumento erretur, de aulæ noſtræ ſtatu te paucula admonendum duxi. Quamquam Cæſar noſter earum eſt in Religione partium, quarum eſt ipſe Summus in Rep. Chriſtiana Pontifex, ita tamen ejus res ſunt conſtitutæ, ut alia-

1 *Jam in Mureti vita id eram ſuſpicatus num.* 14. *pag.* 338. *Romanam civitatem aſſequendi eam habuiſſe occaſionem Muretus, cum in reditu ad Urbem M. Antonii Columnæ orationem habuit* S. P. Q. R. mandatu. *Confirmare hanc ſuſpicionem noſtram & plane veram demonſtrare hic locus videtur.*

ut aliarum quoque partium homines, eoſque ſatis multos ferre cogatur, quorum cum nonnulli non parum eruditi habeantur, ſæpe ab ipſo Cæſare in re litteraria judices advocantur. Jam vero quis ignorat, affectuum æſtus, ne a doctis quidem ſæpenumero comprimi poſſe? Ne igitur hujuſmodi hominum judicia nobis in aula noſtra obſtent, conſultum videtur, ſi quid meditari volueris, ejuſmodi ſit, ut neutram in Religione partem offendere poſſit. Id autem quale eſſe poſſit, jam mihi in mentem non venit. Fortaſſis non ingratum foret, ſi patris Cæſaris, Maximiliani inquam ſecundi orationem funebrem conſcriberes. Quod ſi placuerit, argumenta ſuppeditabo quædam in ſumma laude ponenda & veriſſima, nec tamen ab aliis laudatoribus attacta. Sed ego ſus Minervam, quod ajunt. Quid enim non, multo acutius quam ego, inveniat Muretus? Hæc igitur tibi ipſi cogitanda relinquo. Sed me obliviosum! dum ad ſecundam cauſſam, cur reſponſionem diſtulerim, tendo, propemodum mihi excidi, plane a propoſito aberrans. Hæc igitur, quæ modo ſcripſi, tecum, prius quam aliquid in inſignium negotio tentaretur, conſultanda duxi; utque hoc fieret commodius, iter in Italiam facere, Venetiis Cæſari libros quoſdam coemere, & porro Romam ad te excurrere ſtatueram. Verum iſtud, Cæſaris mandato (quo mihi imperat, ut omnes Hebraicos, Græcos, Chaldaicos, Syriacos, & Turcicos libros in catalogum redi-

redigam, & quid ſinguli contineant, adſcribam) fuit impeditum. Magna eſt enim librorum iſtorum copia, nec res III. menſibus perfici poteſt. Et hæc ipſa quidem cauſſa eſt, cur Græcorum librorum catalogum hactenus ad te non miſerim, præſertim cum etiam lites quædam, hæreditatis a me aditæ cauſſa, ab avaris & improbis quibuſdam hominibus intentatæ, noctes dieſque inquietum detineant. Fiet id tamen, cum primum per negotia licuerit. Interim hoc tibi de me velim perſuadeas; majori quam me, te ornandi ſtudio inflammatum eſſe neminem. Vale. Vienna ex Bibliotheca Imperatoria, quam tuis libris illuſtrari magnopere cupio III. Id. Julii CIↃIↃLXXIIX.

LXVIII.

M. Antonio Mureto Joannes Caſelius S. [1]

SI ambitione potius, & oſtentatione ingenii niteretur hæc litterarum ſcriptio; ipſa jam ſu, perſe-

1 *Inſcriptio*. Al magnifico Signor mio Oſſiño M. Antonio Mureto. A. Roma. *Caſelii epiſtolarum libri* XV. *editi ſunt Francofurti a.* 1687. *ubi eſt lib.* X. *ep.* 6. *Mureto, eadem qua libri* II. *epiſt.*68. *oper. Muret. In Præfatione Hermannus Conringius nonnulla de Caſelio, quem virum ſummum vocat: plura in aliis, quæ illic ſequuntur, monumentis. Vitam etiam ſcripſit Melchior Adamus in vit. German. Philoſ. Satis eſt hic afferre quæ Morhoſius Polyh. lib.* 1. *cap.* 24. Caſelii epiſtolæ inter Germaniæ noſtræ κειμήλια litteraria, ut omnia iſtius viri, merito referendæ. Lumen ille Germaniæ fuit, Græce & Latine doctiſſimus, Orator, Philoſophus, & omnium litterarum vir, Roſtochienſis primum Academiæ, hinc Helmſtadienſis Profeſſor, ſuo exemplo, conſiliis, præceptis totam tum temporis Germaniam pene informavit &c. *Ex hac epiſtola, verſionem lib.* V. *Ethicorum a Mureto factam, in Germania, atque eo tempore (quod majus eſt) in ſcholis heterodoxorum hominum adhibitam, habemus.*

perſedendum mihi exiſtimarem. Ego enim quid hic valeam, immo quam nihil valeam, minime ignoro. Quod ſi quid tamen aliquo tempore eſſet, jam nihil eſſet penitus, quando ad meditandum nihil eſt temporis. Jamjam enim iter ingreditur, & multas ſimul a me epiſtolas efflagitat Nicolaus Raſcius, qui a nobis rectà ad vos proficiſcitur. Ei has quoque dedi; cùm ut initam aliquando, me valde deſiderante & te mirifice conſentiente, inter nos amicitiam, ſive hujus non omnino vanam ſimilitudinem, mihi curæ eſſe, & a me conſtanter obſervari, denuo intelligeres; tùm ut huic adoleſcenti veluti fores ad erudititiſſimos tuos & ſuaviſſimos ſermones aperirem. In eis videbit reconditum tuum animum, ſummam humanitatem, & aliquam etiam partem amoris in me tui; quem tu mihi haud vulgarem eſſe, confirmaſti, & ego libenter credidi; experietur quoque tuam erga ſe peculiarem benevolentiam. Quæſo te, ſi pateris te rogari, quod ſponte faceres; ut intelligat, hæc vere de Mureto ſe a me accepiſſe, multoque ampliora, quam docere verbis potuerim. Ipſe magna animi probitate eſt; magnopere in bonas litteras inflammatus; tam te colit, quam te a me coli ſcit. Sed nimis verborum in re, quam obtinuerimus. Nihil vidimus hic recens a te editum; perſolve aliquando, quos polliceris, Ethicos commentarios. Quincti *de Iuſtitia & jure* interpretatus ſum proxime in ſchola noſtra; utebamur tua verſione,

ſione, quam edendam curaveram. Vale. Ex arce Suerinia VI. Kal. Octobr. A. CIↃIↃLXX.

LXIX. [1]

EOdem tempore accidit, Murete, ut & de te nuncium haberem, cujuſmodi ſæpe optaveram, & ad te ſcribendi commoditatem, qualem multis annis non habuerim. Rediit enim hoc menſe ad nos familiaris meus adoleſcens ille Livonius ex Italia, mihique in ceteris narravit, ut, cum te Romæ aliquoties honoris cauſſa ſalutaret, mei amanter mentionem feciſſes. Hic autem civis noſter viſendæ Italiæ gratia iter ſuſcepit, neque Romam ſibi prætereundam, vel potius ante omnes alias contemplandam exiſtimat. Eum ſi dimittam ſine litteris, dignum non faciam neque litteris, neque veteri animorum noſtrorum conjunctione; quam amicitiam forſan appellare non poſſumus, etſi ab ea, mutua benevolentia, cujuſmodi inter nos ſatis multos annos fuit, & conſervatur hactenus, non admodum degenerat. Te mei non oblivîſci, ſemper credidi, quamvis ubi viverem, vel an viverem, vix tibi conſtaret: jucundum tamen fuit, id ex te auditum ab amico cognoſcere. Igitur

1 *Nullam habet internam inſcriptionem, hanc vero externam;* Clariſſimo Domino M. Antonio Mureto civi Romano amico ſuo præcipuo. Romam. *Amicum de ejus ſtatu rogat, & ſuum exponit. Habemus præter has duas, aliam Caſelii epiſtolam, qua Mureto Botuitum Nericium commendat, cum epiſtola* Nericii *ipſius: ſed cum nihil continere videretur, cur in manus hominum veniret, his contenti fuimus.*

tur etiam in poſterum ex animo tuo nunquam abjicies: quî enim? cum non minus te colam, quam ipſas litteras, ut utraque de cauſſa ultro me diligeres, niſi jampridem amares. Si quæris de me; habes iterum hunc adoleſcentem: ex litteris aliquid accipe. Ita fui in litteris, ita in iis ſum hodie, ut vix ullam partem negotiorum attigerim, putemque in perpetuum mihi ab omni ambitione eſſe refugiendum, quo tempore pleraque geruntur factioſe, pauca conſilio: quod homini ſapienti pluribus declarare, nihil attinet. Mihi igitur negotii erit ſatis in litteris; multum in tuenda valetudine, quæ non graviter, ſed ſæpe tentatur; plus etiam in procuratione rei familiaris. Nam poſtquam uxorem duxi, nati liberi plures, his debentur alimenta, educatio. Vides, ut fugientem occupationes, excipiant aliæ. Majus eſt tuum otium; magni etiam labores: quod ſi præmii aliquid tibi obtigit, gaudeo: hic ego tale nihil ſpero, ſive hujus cœli, ſive hujus ætatis, ſive omnium ſæculorum ille morbus eſt, & ſapientia contenta eſt ſeipſa, vel ſempiterna gloria, quo majus præmium cogitari non poteſt. Utinam mihi omnes fugienti factiones, hoc vitæ genus liceat tranquille colere! Metuendum enim eſt, ne quæ pervagatæ ſunt patriam tuam Erinnyes, pervagenturque hodie Belgium, meam quoque patriam petant, in tanta opinionum diverſitate, conſiliorum pravitate, acerbitate animorum; de quibus dici-

diči ſatis non poteſt; cum cogito, exhorreſco, & repente ad libros confugio, ſive ut remedium animo meo quæram, ſive ut in iis tempus ponens, illum dolorem minus ſentiam. Ex tuis monumentis quædam legimus; epiſtolas nondum vidimus: per etiam videre velim, quæ meditatus fuiſti, & conſcripſiſti etiam, cum Juris diſciplinam novo modo tractares: quæſo nihilne horum in lucem edes? Habes quod legas; item quod reſpondeas, ſi vacet ſcribere. Vale Roſtochio xv. Kal. Quinct. A. CIϽIϽXXC.

Joannes Caſelius.

LXX.

M. Antonio Mureto V. C. Lævinus Torrentius [1] *S.*

QUem cum adhuc eſſem Romæ inchoaveram de bello Turcico libellum, eum diu intermiſſum, tandem his noſtris bellis civilibus, quæ quovis Turcico funeſtiora ſunt, perfeci. Et quoniam me iſtinc diſcedentem pollicitum eſſe memini, ut ſi quid a me prodiret hujuſmodi, id ad te mitterem, liberare fidem volui. Accipies igitur exempla duo Chriſtophori Plantini typis excuſa: alterum Paulo Manutio, meo nomine, cum opportunum erit, tradi de-

1 *Mittit Mureto libellum*, De Bello Turcico, *Is nunc cum ceteris ejus poematibus legitur pag.* 173. *edit. Plantin. a.* 1575; *pag.* 281. *edit. pariter Plantin.* 1594. *De Torrentio patrio ſermone* Vander Beken, *Valerius Andreas pag.* 610. *Biblioth. Belg. Teiſſier Elog. tom.* 4. *pag.* 206. *edit.* 1715. *Sanderus*, *Poſſevinus*, *Thomas Pope-Blount qui fuſe virorum eruditorum de eo judicia refert pag.* 817.

di deſidero; verum ea lege, ut ſi quid occurrerit (occurrent autem plurima) quod alteri veſtrum, vel utrique diſpliceat, ejus me facias certiorem, quò in poſterum ſim cautior. Lætabor interim, ſi totum illud, ut Horatii utar verbis, exactiſſimo veſtro judicio probabitur; quod opto quidem vehementer, & ut ſperem etiam, facit quod priora mea opuſcula vobis placuere. Vale, & viciſſim impartire aliquid, quod hoc acerbiſſimo tempore me oblectet. XV. Cal. Maji MDLXXIV. Leodio.

LXXI.

M. Antonio Mureto Lævinus Torrentius S.[1]

Amicorum ut præſentium ſumma utilitas, ſic abſentium dulciſſima recordatio eſt; eorum maxime, quorum notitia cum dignitate aliqua conjungitur. Cum itaque Leodium ad nos veniſſet Franciſcus Oranus vir clariſſimus, ac frequenter admodum conveniremus, fieri non potuit, quin magna cum voluptate de te referentem audirem alia nonnulla, tum illud maxime, tui te Torrentii ita adhuc meminiſſe, ut judicio interdum tuo eum commendaveris; quod quò novi eſſe perſpicacius, eò majore perfuſus ſum gaudio: præclarum enim eſt laudari a laudato viro. Quamquam igitur nihil in me agnoſco, quod tantopere tibi probari poſſit,

1 *In extima facie epiſtolæ inſcriptio eſt hujuſmodi;* Præſtanti eruditione & eloquentia viro M. Antonio Mureto Juriſconſulto clariſſimo. *Agit vero de libris cum ſuis, tum aliorum ex ætate doctrina præſtantium virorum,*

ſit, omittere non poſſum, quin huic ipſi jam ad vos redeunti has litteras tradam. Ipſe porro viciſſim noſtrum de te habitum ſermonem referet. Tametſi minus honeſta noſtra tibi, quam tua nobis laudatio eſt. Accedit vero etiam munuſculum, ſed leviſſimum, poematum meorum poſtrema editio, quam ſi ante nactus es, erit quo gratificeris alteri; neque ideo minus lubenter accipias velim id, quod animo dedi bono. Conſcripſimus autem & alia nonnulla, ſed quæ hac tempeſtate ſine auctoris periculo in lucem prodire vix poſſunt: ſunt enim de temporibus noſtris, quæ qualia ſint, noſti; & liber epigrammatum, cujus opuſculi majori otio ſpecimen aliquod ad te mittam, ut quid cenſeas intelligam. Suetonium vero noſtrum Romæ jam viſum eſſe arbitror, & quia alteram editionem paro, nec dubito quin pleraque animadverteris a nobis vel omiſſa, vel perperam intellecta; rem feceris gratiſſimam, ſi qua decet libertate me admonueris. Vidiſſes præterea Horatium, quem ante annos tres paratum ſervo. Sed enim tuto ad Plantinum, qui nunc in Batavis agit, tranſmittere nequeo; & alioqui, ſi qua fieri poterit, ipſe edundo adeſſe velim. Plura non auſim polliceri, quod aſſiduis pro Rep. curis atque laboribus pæne oppreſſo nihil datur otii, quod hiſce ſtudiis impartiar. Tu, qui liberior extra omnem ſtrepitum agis, reſcribe quæſo, quid jam mediteris. Audio, Senecam emendare; in quo Auctore quoniam nos quo-

quoque laboravimus, ſymbolam, ſi velis, conferemus. Sed feſtinatione opus eſt: nam Lipſius idem cogitat, cui quod a veteri Religione deſciverit, minus nunc faveo [1]. In Gallia vero Jacobus Dalechampius Medicus Lugdunenſis Athenæum magna cum laude reſtituit, ut Cenſorinum, & Gellium Ludovicus Carrio familiaris meus una cum aliquot emendationum libris; quæ tamen nondum prodiere, ſed ſub prælo eſſe ſimul omnia, nuper ad me ſcripſit. Vale, & reſcribe quæſo, illud maxime, quid in verſibus meis reprehendas, ut in nova editione ſim cautior. VII. Kal. Septembris MDXXCIII. Leodio.

LXXII.

M. Antonio Mureto Io. Biſſonerius [2] *S. D.*

SCripſiſſem ad te maturius, niſi eorum animos, quibus me per litteras commendaras, explorare prius decreviſſem. Te enim memineram, etſi alia multa ex me cogniturus eſſes, hac de re tamen potiſſimum eſſe laboraturum: nam quantum pondus apud eos viros commendatio tua habuerit,

1 *De Lipſii Religione aliàs dicemus; in Catholica Romana deceſſiſſe, omnino conſtat.*

2 *Amicum hominem, atque, ut ex aliis litteris apparet, popularem ſuum, Bononiæ Angelo præſertim Papio* Juris *Profeſſori, & Carolo Sigonio commendaverat Muretus. Mureto, quid illa commendatione effectum ſit, is ſcribit, narratque de illis, & Victorii ſermonem de modo veterum auctorum corrigendorum exponit, ac vetuſtum monumentum quoddam indicat. Inſcriptio epiſtolæ ſic ſe habet.* All' Eccmo Sig. il Sig. Marc' Antonio Mureto mio padrone Osmo. In monte Giordano. Roma.

ſcire te, non minus tua, quam mea intereſſe, ſemper judicavi; ut & intelligas, quanti te illi faciant, & quam recte me iis commiſeris, cui bene conſultum eſſe voluiſti. Angelum enim Papium, & Sigonium tui cupidiſſimos eſſe perſpexi, qui honorificentiſſimam etiam de te ſemper mentionem fecerunt. Si verò utriuſque amorem πρὸς ἕτερον ζυγοστατῆσαι oportebit; Papii erga te amor præponderare quodammodo videbitur: nam & humanitatem tuam collaudando, & eruditionem ſingularem, ſummamque eloquentiam commendando, horas aliquando integras mecum extraxit, ſemperque mihi operam ſuam detulit; pollicituſque eſt, ſe omni ſtudio, cura, & diligentia in rem meam incubiturum, fecitque adeo mihi ſpem, fore, ut propediem mihi proſpiceretur, quod certe futurum eſt jucundiſſimum: οἰκεῖαι enim, ut ſcis, χάριτες γλυκερώτεραι. Sigonium quidem amiciſſimum tibi eſſe cognovi, ſed ejuſmodi, ut, quia in eodem pulvere ſibi currere videtur, libentius laudes ſuas audiat, quam alienas, & ea, quæ illi in litteris tuis adſcribebas, confirmari ſibi a me, patiatur non gravate. Eum tamen, ut ingenue fatear, quam ſperaram, tui amantiorem experior, & mihi quoque benevolentiorem; neque dubito, quin hoc commendationi tuæ acceptum ferendum ſit, quæ ſane fuit perquam gratioſa: etſi nihildum cerno, quod ab eo præſtitum ſit, aut quod

me

me in ſpem aliquam meliorem erigat. Interea tamen fiuor ea libertate, quam iſthinc mecum attuli, & ſperare audeo aliquid tandem erupturum; *ἐκ γὰρ διός εἰσιν ἅπαντες ξεινοίτε πτωχοίτε*. Sed ut ad Petrum Victorium veniam, quem Florentiæ reperi, ſcito, eum, quantum deprehendi, privatas adhuc aliquas tecum ſimultates gerere. Nam cum ſæpe de te mentio a me eſſet injecta, ne verbum quidem unquam eſt prolocutus. Invectus eſt autem acerbe in eos, quibus, in caſtigandis probatorum auctorum ſcriptis, conjecturæ momenta potiora eſſent, quam auctoritatis; eoque nomine Joſephum Scaligerum reprehendit graviter, quod in conjectaneis illis ſuis in Varronem adeo confidenter quædam afferat, ut cum Varrone ipſo collocutus eſſe videatur: contendebatque Victorius, nunquam aut rarò diſcedendum eſſe ab auctoritate; conjecturas autem, tamquam *ψευδεῖς μάρτυρας*, ut de Etymologia, quodam loco Galenus loquitur, prorſus eſſe averſandas. Qua in re quam bene ſentiat, tuum eſto judicium. Ab eo certe humaniter ſum acceptus, donatuſque epitaphio Arretii recens invento, quod ad te mitto, quia talium rerum deſiderio teneri te, memini. Indicavit idem mihi Chimæram, quæ eſt in ædibus Ducis Hetruriæ: in Chimæræ autem illius dextro femore hæ aliquot litteræ ita leguntur, ac ne leguntur quidem;

VIꓘϽMꓤH IX[1]

quæ cum minus a me intelligerentur, ſecundò ad Victorium adii, rogavique, ut mihi in iis intelligentiam ſuam aperire, ac explicare non gravaretur; qui tum pernegavit, eas a ſe intelligi, affirmavitque, ſe unam aut alteram æneam tabulam vidiſſe, in qua characteres ejuſmodi inciſi eſſent, ex quibus ſenſus nullus erui a quoquam potuiſſet. Tu ſiquid habebis, quo lucem his litteris afferas, ejus me quæſo facias participem: ſum enim in rebus ejuſmodi ὀξύπεινος. Brevi iſthic, ut ſpero, Petrum Morinum viſurus es, quem hic mihi noſſe contigit; in quo facile deprehendi, veriſſima ea eſſe, quæ de illo aliàs prædicabas. Ab eo autem intellexi, quam incommode hic ageretur cum iis, qui aliis operam dare vellent; ita ut parum abfuerit, quin animum deſponderim, niſi me confirmaſſet Papius, & Sigonius, qui longe meliora ominati ſunt. Verum totius hujus negotii πείρατ' ἔχονται ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσιν: nam πολλάκι πὰρ δόξαν τε καὶ ἐλπίδα γίνεται ἀδρεῖν ἔργ' ἀνδρῶν. At tu, ſi mihi benevolus eſſe perges, ut fuiſti uſque huc, bene ſperare nunquam deſinam. Vale, & prolixitati litterarum mearum ignoſcas: eſt enim δυστυχούντων μακρολο-

1 *Iconem cum litteris præter ceteros, qui idem fecerunt, exhibuit cl. Gorius tab.* CLV. *Muſei Etruſci, fuſeque diſſeruit ib. to.* 2. *p.* 289. *Legunt* Tinmeuil; *de ſignificatione, viri harum rerum intelligentes non conveniunt.* An nomen artificis ejuſdem continent, an numinis, cui ea ſigna dicata? *ait ſubdubitans cl. Bonarota ad Etr. Dempſteri p.* 93.

κρολογεῖν. Iterum vale. Bononiæ VIII. Kal. Maji A. CIƆIƆLXXV.

LXXIII.

Io. Biſſonerius M. Antonio Mureto S.

EX litteris Pauli Vialardi, & Nicolai Audeberti ceſſationis tuæ cauſam intellexi, quæ mihi libelli mei jacturа multis nominibus moleſtior accidit: non enim tanti mihi unquam fuerunt caſtigationes illæ, ut ob eas litterarum tuarum bono facile carere valeam: & ut credas non fuiſſe mihi gravem jacturam illam, confirmo tibi, habere me alias in eumdem caſtigationes, ſi non tam uberes, at ejuſmodi, ut non difficile beneficio earum, deſiderium ſuperiorum lenire queam, aut illas etiam oblivifci. Hoc unum incommodum accepiſſe videor, quod lacunam illam orationis Lyſiæ explere nequeam: quam jacturam, quanti facere debeam, tu ipſe ſcis, qui primus in Gallia, unde compleri poſſet, quondam docuiſti. Noli ergo poſthac, ſi me tibi ſatis fidelem, & ſatis in amore conſtantem, & obſervantem tui putas, committere, ut caream litteris tuis; & ne deeſſe tibi ſcribendi argumentum cauſeris, peto abs te, ut quid ſentias de obſcuro illo loco orationis pro Quinctio, ad me diligenter perſcribis, ut ſententiam tuam objicere iis valeam, qui me de illius loci ſententia interpellant. Ciceronis verba ſunt hæc, ne tibi evolvenda ſit illa oratio: *Mors honeſta ſæpe vitam quoque tur-*

turpem exornat ; vita turpis , ne morti quidem honeſtæ locum relinquit [1] . Nodus videtur perdifficilis , & te ſolo dignus vindice : in quo prorſus mihi aqua hæret , quod ajunt ; neque Hottomani licentia uti libet , qui ut aliquem ex eo loco ſenſum eliciat , legit *obſcuræ* , loco *honeſtæ* : ſed de hoc hactenus . Sigonium ſcito , ſomnium Scipionis publice interpretari ingreſſum , ut liceat ei in veterum philoſophorum hortos excurrere : quæres ? jam movit quibuſdam nauſeam . De litteris meis ad Simonem Boſium diutiſſime fui ſolicitus , necdum de iis bene ſperare audeo , cum neſciam , utrum ad te perlatæ fuerint ; facies quæſo , ut ſciam , an ei reddendas curaveris , & me , ſi non erit moleſtum , admonebis ; num iſthic ſecundioribus auris, quam hic uti poſſem , ne mihi aliud conſilium alieniſſimo hoc tempore ſit ineundum . Carolus Sigonius , & Angelus Papius,me tibi verbis ſuis ſalutem multam dicere

1 *Difficilis plane locus , in quo aquam ſibi hærere item Hotomanus profeſſus eſt ; eamdemque difficultatem Lambinus exaggeravit : varias ſive emendationes , ſive explicationes collegit Grævius pag. 61. concludens , quod dictum nollem a viro erudito , eſſe ex iis ſententiis quæ inanem verborum ſtrepitum habent , quales nonnunquam excidiſſe Tullio ſui quaſi immemori , ab aliis ait obſervatum fuiſſe . Commodiores , ſive tolerabiliores mihi videntur explicationes duæ 1. Manutii , qui ſæpe , quod eſt in priori membro, ad poſterius quoque referri vult; atque hic hoc modo:* Sæpe accidit,ut honeſta mors turpem quoque vitam exornet ; ſed ſæpe etiam ut vita turpis exornari honeſta morte non poſſit : Quinctius autem eo redigitur , ut ne mori quidem honeſte poſſit . *Altera , ſive eadem potius paulo luculentius exornata , eſt Jacobi Facciolati animadv. 4. ad hoc cap. 15. reſtituens quod ablatum a librariis putat ſic ,* vita ita turpis &c. *ut ſenſus ſit ;* etſi vita aliqua turpis morte honeſta ſæpe exornetur , vita ita turpis , qualis a me deſcripta modo eſt , ne morti quidem honeſtæ locum relinquit . *Eadem videtur fuiſſe Jo. Clerici tom. 2. Art. Crit. probarique ab Oliveto .*

cere juſſerunt. Vale, & me, quod mutuo facis, ama; & quid videatur tibi de inſcriptione illa, qua uſus eſt Victorius in Politicis Ariſtotelis a ſe illuſtratis [1], uno verbo ſignifices. Bononia VI. Idus Novemb. CIↃIↃLXXVI.

LXXIV.

Io. Biſſonerius Marco Antonio Mureto [2] *S. D.*

CONvenienter conſuetudini meæ facturus videor, ſi veterem illam obſervantiam in te meam tuebor potius, quam indulgeam dolori, quem ex litteris tuis cœpi: qui quidem non ab illa tua παῤῥησίᾳ, qua mire delector, eſt ortus, ſed ab eo, quod alio rſum a te accepta fuerint quæ ſcripſi, atque ſenſi cum ſcriberem. Næ tu de verbis meis erraſti, cum illud *nimis* meum ita es interpretatus, ut ſcripſiſſe videar, te apud Boſium plus æquo eſſe a me laudatum: ita ſcilicet ad tuum ſenſum detorquere verba mea voluiſti, ut me ureres. Scito vero, me ex conſuetudine Gallici ſermonis eſſe locutum, in quo *nimis* pro *multum* non raro accipi, animadverti, idque fieri imitatione Græcorum, Teſtis eſt mihi inſtar multorum tritus ille Tyrtæi verſiculus τὸ μηδὲν ἄγαν, ἄγαν μὲ τέρπει, quod

 inter-

1 *Inſcripſit*: De optimo ſtatu civitatis. *Sententiam ſuam explicaſſe Muretus videtur vol. 2. orat. 12. quam habuit cum hos ipſos libros explicaret ſcribens: nomen* Politices *Græcum eſſe*, Sed quod jampridem jus togæ impetravit.

2 *De voluntate in Muretum ſua, & de quodam epiſtolæ ſuæ loco, quo nimis ſe Muretum laudaſſe ſcripſerat.*

interpretor *μεγάλως*[1]. Ego ſane & verum ad te ſcripſi, & illud *ἄγαν* meum ita intellexi. Ex quo enim notas illas tuas in epiſt. ad Atticum ita commendavi, ut debui, ac potius minus magnifice, quam debui, non diſcidit quidem amicitiam, ſed diſſuit Boſius: & ut hinc ego tibi gratior eſſem, & oſtenderem, me non plane indignum eſſe amore tuo, ſignificandum tibi id putavi. Quod autem non videris admittere, tam diuturnam litterarum tuarum moram debuiſſe mihi ſuſpicionem injicere immutatæ voluntatis, a te in eo, toto cœlo ut dicitur, diſſentio; utpote qui exiſtimem, nullum majus argumentum eſſe perfecti & fidelis amoris, quam, optime de te ſentientem, & in amore & benevolentia tua conquieſcentem, ſi non explere ſcribendo, aliquando ſaltem de tuo in eum animo certiorem facere: quod certe a quamlibet potenti amico tribui ſolet.

Antequam redderentur mihi litteræ tuæ jam hic erat auditum, condicionem illam Polonicam[2] reſpuiſſe te; iſtam vero tam utilem, tamque fructuoſam honoris acceſſionem tibi gratulor, optoque in dies majorem; & de ea admonui Sigonium, Papium, & Amaſæum, qui hoc nomine tibi valde gratulantur; præterea noſtratibus omnibus ſignificavi. Pontificis frater iſthinc rediiſſe exiſtimatur, re infecta. Is ſe modo continet ruri, nec uſquam pro-

1 *Vulgatiora etiam ſunt loca alia, uti ea quibus juniores τοὺς ἄγαν νέους appellant: ſic ſeniores &c.*

2 *Vide lib. 2. ep. 81. & quæ in Mureti vita ſcripſimus pag. 338.*

prodit. Pontificis filius modo ditionis ſuæ loca omnia perluſtrat: dicitur autem orta inter eum, & proximum Marchionem magna quædam controverſia de finibus, parumque abfuiſſe ajunt, quin poſt aliquot contumelias, verba ad rem conlata fuerint. Sed cum rem parum exploratam habeam, de ea non agam apertius. Ab eodem Pontificis filio nudiuſquartus donatus eſt Sigonius CC. aureis numis ob recentem hiſtoriam xx. librorum, quam rurſus in ejus nomine apparere voluit, quæ modo typis illinitur. Tibi idem Sigonius ſignificari hoc a me voluit, ejuſque verbis, & Papii multam tibi dico ſalutem. Vale Bononia III. Kal. Novemb. CIƆIƆLXXVII.

LXXV.

Io. Biſſonerius M. Antonio Mureto [1] *S. D.*

DUplici nomine gratiſſimæ obtigerunt mihi litteræ tuæ, tum quia nihil æque ſollicitum me habere ſolet, atque paulo diutius carere ſolida illa voluptate, quam ex litteris tuis haurio; tum vero etiam, quia nihil certi habebam quod reſponderem iis qui crebro ſciſcitabantur ex me tamquam ex tuis uno, numquid ad me ſcriptum eſſet de ſingulari illa ſummi Pontificis in te beneficentia. Rogitabat Sigonius etiam ſæpe, majoremque fidem ſe adhibiturum verbis meis dictitabat, quam Majoricenſi Epi-

1 *Cum Muretum Biſſonerius rogaſſet, ut de aucto ſtipendio, verumne eſſet, perſcriberet, pro ſcriptis litteris gratias agit, narratque quædam de Sigonio. Vide quæ ſcripſimus pag. 338,*

Epiſcopo , ex quo ſe rem omnem audiſſe confirmabat . Tum ego ad quoſdam familiares meos ſcripſi , qui mihi rem totam λεπτομερῶς ſignificarent , ut ſatisfacerem iis , qui tam anxie id a me efflagitabant . Interea ὥσπερ ἀπὸ μηχανῆς præſto fuerunt litteræ tuæ ; quibus res omnis & patefacta , & credita eſt . Salutavi verbis tuis Papium , & Sigonium , qui viciſſim plurimam tibi ſalutem impertiunt , & diuturnam precantur ſecundam iſtam auram fortunæ ; egoque in primis , cui gratius nihil hoc nuncio contingere potuit . Itaque vix perlegere epiſtolam tuam licuit , contuli me ſtatim ad Papium, & Sigonium , rem omnem aperui : nec ceſſavi , donec teſtatum apud omnes relinquerem egregie , mihi præter ceteros eſſe gratam fortunam iſtam tuam , a qua , ut mihi perſuades , pendet quoque mea; tametſi incipio rurſus Galliam cogitare ſerio . Non eſt vero prætermittendum, quod etiam ante aliquot dies rogatus ſum ad te ſcribere , ſtipendium annuum Sigonii creviſſe ad ſexcentos aureos , quos vulgo monetales vocant , qui conficiunt aureos noſtros quingentos & quinquaginta , plus minus . Hac autem lege uſitatum ſtipendium auctum eſt , ut fidem ſuam Senatui Bononienſi obſtringeret Sigonius , ſe quoad viveret nullam aliam condicionem quantumvis opimam circumſpecturum . Accepit ille condicionem : neque eum arbitror male conſuluiſſe rebus ſuis . Nam externam condicionem neque ambit , ut ait , neque ambire debet ; quoniam .

Digitized by Google

niam, ut dicam aperte quod ſentio, ad ſcribendum, non ad docendum natus eſt. Is modo privatim hiſtoriam Romanam L. Flori interpretatur in ædibus Summi Pontificis. Urget ille hiſtoriam ſuam Imperii Occidentalis, quæ jam ante duos menſes typis cœpit illini. Finem ſcribendi feceram, cum adierunt ad me duo nobiliſſimi adoleſcentes Galli, qui percontati ſunt, numquid decreviſſem ad te ſcribere; quibus cum indicaſſem hanc epiſtolam, quam tum de manibus depoſueram, rogant, ut ſi commodum eſſet, peterem abs te, an notus tibi ſit Joannes quidam Angeletus Caſilinas, qui profitetur artem memoriæ; quo uſum te familiariſſime ipſis confirmavit Hiſpanus quidam. Cupiunt ſcire, utrum verum ſit, necne; periculum a te in Bibliotheca Vaticana eſſe factum ſingularis memoriæ viri illius. Incredibile enim quiddam iis videtur, quemquam reperiri, qui Corſum illum ſibi a me indicatum lib. 4. Var. tuarum lect. [1] felicitate memoriæ ſuperare poſſit; præſertim cum illa memoriæ ejus bonitas, velut inuſitata, locum ſibi in ſcriptis ſuis vindicarit. Horum, ſi videbitur, honeſtiſſimo deſiderio ſatisfacies, ne ſe illuſos a me ſuſpicentur. Vale Bononiæ III. Kalend. Januar. CIƆIƆLXXVII.

LXXVI.

1 *Eſt libri* III. *cap* I. *quem vide. Hoc Mureti exemplum attulit & Jo. Brancaccius in libro, quem Panormi a.* 1702. *edidit inſcripſitque:* Ars memoriæ vindicata *pag.* 19. *aliaque addidit. Idem fecerunt Jo. Romberch de Kyrſpe, Ludovicus Dolce &c. exemplis artem ſuam vindicantes.*

LXXVI.

P. Gilbertus Mallocius [1] *M. A. Mureto V. C. S. D.*

NON poſſum non confiteri, ſummo me quidem antea, & adhuc non minore teneri deſiderio, ut veterem illam, quam de me, dum Toloſæ & Lutetiæ eſſemus, notitiam habuiſti, officio aliquo renovem: dicerem amicitiam non illubenter; ſed variæ utriuſque noſtrum occupationes non ſiverunt, illam multo uſu & familiaritate conjungi. Nam poſtquam tu te in Italiam contuliſti, ubi in luce hominum, & clariſſimo orbis terrarum theatro mira ingenii tui & doctrinæ documenta dediſti; ego non animo quidem & voluntate, ſed occupato vitæ genere, a libris aliquantum remotus, exhauſtis aliquot laboribus, decurſo fere medio ætatis meæ ſpatio, in Senatu Gratianopolitano tandem conſedi, poſuique apud Delphinates fortunarum mearum ſedem & domicilium. Sic neque tui videndi, neque conſuetudine tua fruendi facultas aliqua, aut tempus ſatis commodum unquam datum eſt. Fatebor tamen, & vere hoc apud te deponam; me primam illam, quam de te, deque præſtanti illa tua ad om-

1 *Exſtat ejuſdem Mallocii epiſtola lib. II. epiſt. 96. ſed annus non recte expreſſus in editione Cominiana &c. eſt: nam in mſs. ipſa epiſtola, & in edita a. 1580. annum præfert 1575. in illius 1570. quem eſſe ſane mendoſum ex die quo Gratianopolitanus ille Epiſcopus Flebardus creatus eſt, liquet; factum enim anno 1575. Sammarthani ipſi docuerunt. Agit hæc noſtra de eodem negocio, ſed ad illam editam intelligendam valebit; præſertim cum nihil ferme de eo Gallia Chriſtiana quos diximus Auctores.*

omnem diſciplinam naturæ vi & felicitate, opinionem conceperam, nunquam depoſuiſſe, aut abjeciſſe animo, ſed magis legendis poſtea libris tuis, qui jam in omnes orbis provincias doctiſſimi deferuntur, illam confirmaſſe; voluntatem vero erga te meam mirabili acceſſione cumulaſſe. Sic enim ſe res habet: ut, quemadmodum locupletes patresfamilias minus ſe interdum in cenſu ſuo habere putant, quam vere habeant, ſic tu quoque, & qui perpauci cernuntur hac noſtra ætate tui ſimiles, qui ſupremum in omni doctrina locum arcemque tenetis, propter præclaram, quam in commodum ſtudioſorum omnium navatis operam, plurium quam putatis animos & voluntates ad vos amandum, colendumque allicitis. Ego vero, quod antea tacito animi ſenſu & inductione feci, aperte idipſum in poſterum facturus ſum, tibique quanti te faciam, quantumque me abs te amari cupiam, non obſcure ſum oſtenſurus. Quod ut minus verecunde & dubitanter poſthac faciam, non tam me patriæ, quæ mihi tecum communis fere eſt, movet conjunctio, quam impellit Antonius Drachius vir imprimis officioſus, qui tibi has litteras reddidit, tuæ virtutis amator ſummus & admirator. Is namque anno ſuperiore Roma rediens mihi ſignificavit, noſtri memoriam tibi penitus non excidiſſe: qua de re ita me beavit, ut beatiorem me, ne Attalicis quidem opibus oblatis, efficere potuerit. Nunc vero iſtuc reverſus eſt,

ut

ut Franciſci Flehardi clariſſimi Præſidis rem negociaretur. Is autem Flehardus nobili apud Delphinates familia, propter ſua, ſuorumque perpetua in hanc provinciam merita, & incredibilem in retinenda Catholica & antiqua Religione fidem, ſingularem denique in propulſandis Eccleſiæ hoſtibus, a quibus jam tot annos miſere divexamur, operam & diligentiam, demortuo Gratianopolitano Antiſtite, in ejus locum a Rege ſuffectus eſt, eoque Pontificatu donatus, ſummo bonorum omnium applauſu, Cleri totius ſuffragio, noſtri vero præcipue ordinis judicio & voluntate mirifice commendatus. Drachium itaque Epiſcopi noſtri res & mandata procurantem ita tibi commendo, ut majore ſtudio, juſtioreve de cauſa aliquem commendare non poſſim. Hunc tu ſi rebus iis omnibus, quibus potes, potes autem valeſque plurimis, in hac ſua negocii procuratione adjuveris, præclare imprimis apud Epiſcopum noſtrum, ſumma & humanitate & probitate virum, quicquid contuleris officii poſiturus es; me vero, qui totus tuus eſſe volo, totum tibi in perpetuum devincies; quod ut facias te per Muſas litteraſque, amata a nobis cultaque numina, oro atque obteſtor. Vale. Gratianop. xv. Cal. Aug. 1575.

LXXVII.

LXXVII. [1]

QUod felix fauſtumque ſit, venit ad te, Murete clariſſime, quamvis abſens, tuus ille Meliſſus, majorem in modum rogans atque obſecrans, ut ratione cum Lud. Caſtanero oratore regio, viro omnibus donis cumulatiſſimo, inita, conſilioque invicem habito, Pontifici Summo & melos meum, & libellum ſupplicem offerendum curetis. Quid petam, vides; ſed abſque pecunia; nolim enim emptam dignitatem. Caſtanero dabis hendecaſyll. ſibi inſcriptum; meum ad te, in quo, ut in Horatianis conſuevi odis, παρῳδίζειν libuit; boni conſules, itemque odem illi ipſi legendam exhibebis, quando in ea illius laus ſimul comprehenſa

1 *Celebre nomen eſt Pauli Meliſſi Schedii poetæ Laureati, cujus vitam ſcripſit Melchior Adamus in vitis Germanorum Philoſophorum, teſtatus;* nullus tunc ætatis fuit principum, nullus certe litteratorum, quin Meliſſum aut præſens præſentem viderit, compellarit, amaverit, obſervaverit, tamquam Latinæ linguæ Pindarum, unico magis unicum, quique Pindaro Græco controverſiam feciſſet dignitatis, niſi maluiſſet ſecundas agere, & haberi par. Habet itaque Franconia, quibus gloriari poſſit alumnis, in omni fere doctrinæ genere præſtantiſſimis &c. *Eadem, & majora fortaſſe præconia de eo leges apud Teiſſerium tom. 4. pag.* 410. *Bailletus quoque num.* 1360. Meliſſus paſſe pour un des meilleurs Poetes Latins que l' Allemagne ait jamais produit ... on peut dire, que la pluſpart de ſes ouvrages ont eu autant d' approbateurs qu' il y a eu de bons connoiſſeurs dans l' Allemagne, l' Italie, la France, & par tout où ils ont paru. Il a reçû en Allemagne la couronne du laurier poetique avec toutes les ceremonies accoûtumées &c. *Suavitatem ejus eſſe hujuſmodi, quam nemo imitari poſſit, ſcripſit Olaus Borrichius diſſert. 4. de Poetis latin. num. 162. Hæc fecerunt ut has epiſtolas ejus vulgaremus, additis carminibus nonnullis, quæ his ſubjiciebantur, ex quibus tamen, quin ea conſulamus quæ jam fuerant edita, conſtabit, opinor, quod & Morhofius Polyhiſt. lib. 7. cap. 3. ſcripſit;* etſi ejus odas magni ſint qui faciant, ab aliis tamen vitioſas judicari.

henſa ſit. Fac amabo te, ut officium mora ne tardet. Aperte ad te ſcribo; amas enim candorem Germanorum. Si quid obtinueritis, quod me abſente facile mihi fieri poſſe perſuadeo; enitere quæſo, ut diploma latine loquatur.

LXXVII. [1]

Ad Gregorium XIII. Pontificem Max. Meliſſi libellus ſupplex.

CUM animus tuus, Gregori P. Maxime, in Germanicam nationem plane ſingularis, tùm in illos ipſos & Romæ & Bononiæ bonarum artium ſtudiis operam navantes ſumma liberalitas, quæ ſeſe quam evidentiſſime exerere ſolet; voluntas denique illa, quæ una omnium voce palam prædicatur, de Germanis perpetuo benemerendi, fecerunt, ut quod ego carmen, tuum in honorem, ſi quid tamen honori tuo ampliſſimo accedere poteſt, novo quodam more Pindarico modulatus fueram, illud quamvis profanum Sanctitati tuæ offerendum curarem. In quo ſane, ſi aliquanto confidentius egiſſe exiſtimabor, audaciam mihi aliquantum ut ſumerem, viri præclariſſimi Victorius, Sigonius, Muretus, Urſinus, Bargæus, Statius, alii Italiæ lumina in cauſſa fuerunt. Eorum uti-

1 *Eſt hac externa inſcriptio. Selegimus vero inter ceteras, ut ederemus, has Meliſſi epiſtolas, ut intelligi alia Mureti poſſit n. 14. pag. 376. quam cum vulgandam tradidimus, & de Meliſſo ſcripſimus ad eamdem neſcio quid, in has nondum incideramus. Ceterum Mureti illi reſpondet Meliſſus epiſtola ſequenti; Muretus vero eam ſcripſiſſe videtur cum hanc accepit.*

utique ego teſtimonio, quod de me ipſi & ſermone coram tulerunt, litteriſque teſtatum confirmarunt, non inaniter fretus, eam in ſpem erigor, fore, ut quæ de benignitate mihi tua polliceor, certo conſequar; ita tamen, ſi tua ſponte, in me beneficium, idque gratis conferre tibi ante perſuaſeris; in me, inquam, hominem Germanum, optimarum linguarum diſciplinarumque amantem, & in celebrioribus Germaniæ, Galliæ, Italiæ Academiis per complures annos verſatum, jamque domum ad ſuos revocatum, Cujuſmodi vero idipſum ſit, quod peto, paucis aperiam; videlicet ut ea dignitate, eo titulo a te donatus orner, quo qui ornati ſunt, iis poetas Laureatos creandi jus, item Philoſophiæ, Medicinæ, Juris Doctores, Notarioſque faciendi, legitimos pronuntiandi, necnon inſignia, ſive arma nobilitatis conferendi, facultas conceditur. Quibus ſi munificentia tua, Pont. Optime, aliquid privilegii aut immunitatis ultro adjicere voluerit; quamplurima certe, maximaque tibi me debere, ſemper non ſolum agnoſcam, ſed etiam tanto id equidem popularibus meis omnibus gratiſſimum fore ſpondebo; quanto principem meum Julium Epiſcopum Wirzipurgenſem, Franciæ Orientalis Ducem, cujus nomine mecum de hiſtoria ſcribenda agi cœptum eſt, tibi ſemper addictiſſimum uſque adhuc cognoviſti, atque in poſterum cognoris. Ceterum de me ſic habeto; fore, ut quantum qui-

dem in me erit (quid enim aliud promittam , niſi ſi tu aliquid præterea me ſcribere jubeas ?) Germanos ad gymnaſium Bononienſe frequentandum, quando id te maxime velle intellexerim , & monere , & cohortari, illiſque perſuadere, ſedulo enitar.

Paulus Meliſſus Schedius Eq. Francus
P. Laureatus.

Ad Gregorium XIII. Pontificem Max. Melos Pauli Meliſſi P. Laureati.

Qualis in Heſperidum viretis amœniſſimis
Draco pervigili lumine cuſtos
Aurea ſervabat mala ,
Nihil indulgens ſopori
Gelidæ fratri mortis ;
Tale tuum , Gregori Pontifex maxime ,
Ovilia cuſtodientem
Auſonia , inſomnem , bipatentibus
Oculis Draconem
Lanigeri gregis magiſtri
Videre mirantur , ſpecula
Deſuper ab alta Vaticani in Urbem
Aciem , totumque obvertit in orbem &c. [1]

LXXIX.

1 *Sequitur Antiſtrophe & Epodos ; iterumque Strophe II. Antiſtrophe, & Epodos , denique epigrammata duo ; ſed ex verſibus qui ſunt allati , vides opinor , te ceteris ejus omnibus carere æquo animo poſſe ; & ſunt multa ejus poetica jam edita . Epigramma Mureto habes inter carmina poetar. Germanor. part. 4. pag. 472. quod cum aliis in eum , & Manutium in his Mureti chartis mſs. exſtat .*

LXXIX. [1]

DEſino tibi moleſtus eſſe: utinam & me mei pudere deſitum ſit! mallem pudor ille me prius ab incœpto deterruiſſet, quam ut tibi negotium faceſſerem, atque adeo ipſi Caſtanero moleſtiam exhiberem. Audacia minime tamen illa reprehendenda, ſi animum ſpes meum proclivius impuliſſet. Scias tamen velim, mi Murete, id quod nemini concedi affirmas, omnibus Conſiliariis tribui in gymnaſio Bononienſi; Conſiliariis, inquam, noſtræ nationis: ſed quæ dignitas, cum ſeſe munere illi abdicaverint, ipſa ſe quoque exuit. Quod *Gratis* adjeci, nolui quidquam detractum iis, quibus neceſſario, uti & in aula Imperatoris, & pro ſcriptura, & pro ſigillo honorarium debitum exſolvendum eſt: id enim juris merito illi ſibi vendicant. Manutio Attali divitiæ ut præſto ſint opto, aut cornu Amaltheæ, de quo ſic Philemona ſcribere memini; *τὸ τῆς Ἀμαλθείας δοκεῖς εἶναι κέρας οἷον γράφουσιν οἱ γραφεῖς κέρας βοὸς ἀργύριον* &c. Meliſſæ noſtræ, præter caprinum lac & mel ſilveſtre, nihil ſuppetit, præſertim peregre abſenti; donec *εἰς τὴν τῆς καινῆς Κρήτης βασιλείαν* Jove duce pervaſerit. Cl. Viro Gaſtanero s. pl. adſcribo. Vale, & me ama. Dat. Senis XIV. Kal. Sextil.

Meliſſus.

 LXXX.

1 *Alia epiſtola cum inſcriptione* M. A. Mureto J. C. viro clariſſ. *Vide de ea quod modo dicebamus ad ſuperior.*

LXXX.

P. Meliſſus S. D.

PUtaſti fore, ut Senæ mihi non placerent. Verum tu eas ita mihi placere ſcito, ut hanc quavis alia urbe permutare nolim. Iſtic viator eram; hic quaſi domi. Situs certe amœniſſimus eſt; valde ego delector vallibus, jugiſque reciprocis. Gerunt in ſuis inſignibus lupam lactantem Romulum, & Remum; unde a me nuper in epigrammate quodam dictæ ſunt *magnæ compendia Romæ*, ſed Albula deſtituuntur. Romæ eſſe me putabo, ſi tu mecum ſæpius per litteras colloquere; id quod Victorius vir optimus & humaniſſimus facit, neſcio qua meorum carminum dulcedine adductus. Epigramma quod mitto [1] non improbabitur, opinor; tantum effigies potuit: quid ſi te nova carmina fundentem audiero? quorum ut copiam mihi facias, Murete eruditiſſime, te etiam atque etiam rogo: alioqui futurum interminabor, ut te promiſſi admoneam. Tiberim ſupra modum exundaſſe audimus, multumque damni dediſſe. Lud. Caſtanero Oratori Gallico viro præſtantiſſimo pl. ſal. adſcribo. Vale, & me ama. Dat. VII. Cal. Decemb. Senis [2].

LXXXI.

1 *Quodnam illud ſit nec ſcio, nec magnopere ſcire volo.*

2 *In nulla harum epiſtolarum, aliarumque, quas habemus (nec ut vulgaremus cauſa viſa eſt ulla probabilis) dies adſcriptum erat, una excepta, quæ annum exhibebat* 1577. *Superioris tempus ex epiſtola Mureti, liquet eſſe a.* 1579. *Hujus inundatio illa Tiberis indicare poſſet, ſi inſignis adeo fuiſſet, ut vel Boninus, qui eas perſequitur, vel Chronicorum & Annalium ſcri-*

LXXXI. [1]

B. [2] Parthenius M. Antonio Mureto S. D.

JUre ac merito mirari, vel potius ſuccenſere mihi potes, mi Murete, quod cum domeſticus uſus ac familiaritas inter nos viginti annis amplius

 fuiſ-

ſcriptores illius meminiſſent; quod ab ipſis factum non invenio. In extrema epiſtola hac legebatur; V. S. indrizzerà le ſue lettere al Bidello della nazion Tedeſca in Siena. *Erat nimirum in ea urbe Germanorum juvenum collegium quoddam, cujus etiam monumenta, ſive codices, in quos illorum nomina referebantur, legeſque erant ſcripta quas ſervare debebant, in PP. Dominicanorum Monaſterio nunc quoque aſſervantur; quod ex amici litteris ad nos ſcriptis diſcimus, qui etiam locum adſcripſit ex unius illorum præfatione:* Amanter rogamus, ut cum in hanc urbem venerint, debito ſolitoque more requiſiti, nomen ſuum in hoc nationis noſtræ album præſcripto ordine, locoque, ſtatui & conditioni ſuæ convenienti ipſi referre; in ærarium vero pro ſua liberalitate, quantum cuique ſatis eſſe videbitur, hilari vultu atque animo propenſo conferre, quantumque dederit nomini ſuo adſcribere; Bedello etiam, qui tam ſua, quam totius nationis ſtudia unicuique offerre, & promptiſſime præſtare ſemper in mandatis habet, quantum quiſque voluerit, largiri non dedignetur. *In alio Codice a.* 1574. *ſtatutum legitur, ut* creſcente Germanorum numero Conſiliarius ac bini Procuratores *conſtituantur. Itaque an.* 1579. *ibidem adſcriptum eſt:* Conſiliario Andrea Wolfango Bar. in Tolhann. Proconſiliario ornatiſs. & doctiſs. viro D. Matthæo Schorero Auguſtano. Procuratoribus nobiliſs. D. D. Chriſtophoro Friderico Fonger. in Tanffers, ornatiſs. viro D. Auguſtino Vicelio Tritenſi.

1 Al molto eccellente & Rev. Sig. M. Antonio Moreto mio Sig. Oſsmo Roma.

2 *Bernardinum Parthenium hunc eſſe credo, de quo fuſe Petrus Morinus in epiſt.* de vita & ſcriptis ſuis, *eum appellans* ſenem valde doctum, & eloquentiæ ac poeſeos laude clarum; *memorans præterea* egregium opus de Poetica imitatione. *Exſtant ejus carmina in* deliciis Poetarum Italorum Gheri *tom.* 2. *pag.* 185. *eademque tom.* 7. *pag.* 84. *edit. Florent. a.* 1720. *Ode ad Pium V. etiam inter carmina illuſtrium Poetarum Italorum collecta a Joanne Matthæo Toſcano tom.* 2. *pag.* 209. *Carmen aliud ad Maximilianum Cæſar.* De Victoria adverſus Turcas *inter Poemata varia Petri Gherardii. Denique Carminum libri* III. *editi ſunt Venetiis* 1579. *In his* Spilimbergium *ſe appellat, ex oppido ita dicto in Forojulienſi tractu, quod vetus Bibium nonnulli eſſe credunt. Liber de Imitatione, quem Morinus nominavit Italice, primo ſcriptus eſt hoc titulo:* Della Imitatione Poetica di

M. Ber-

fuiſſet, tanto intervallo nihil unquam ad te ſcripſerim, præſertim cum multa mihi eſſent oblata tempora, quibus vel te de meo ſtatu qualis eſſet admonere, vel tibi de tuis honoribus atque ornamentis gratulari potuiſſem, quæ tua virtute doctrinaque excellenti, cujus fama omnes jam terras pervagata eſt, comparaſti. Quid enim de præclaris rebus tuis fuit, quod quemquam lateret? Profectò quod tibi tam honeſta ſtipendia propoſita eſſent, quod in terrarum omnium principe civitate tanta eſſes auctoritate ac gratia, quodque te civem ſuum Romani eſſe voluerint, cum ſumma omnium qui te diligunt atque obſervant, cum mea autem incredibili voluptate, quotidie nunciabatur. Sed tu cave ſuſpicere, tam perpetuum ſilentium alia cauſa, quam naturali quadam negligentia mea, quod fateri apud te non pudet, accidiſſe. Accedit ætas ingraveſcens, quæ me ſegniorem in dies facit. Quicquid ſit, velim ignoſcas, tecumque reputes; quæcumque tibi tam feliciter atque ex ſententia evenerunt, tam mihi grata jucundaque fuiſſe, ut nemini eorum, qui tibi neceſſitudine conjuncti ſunt, gratiora jucundioraque accidiſſe potuerint. Ne vivam, ſi ſecus: te enim ſemper

M. Bernardino Parthenio al molto Reveren. & Illuſtr. Monſignor Melchior Biglia. In Vinegia appreſſo Gabriel Giolito de' Ferrari 1560. *verſus deinde ab eo latine atque auctus, ut animadvertit cl. Zeno ad Fontanin. tom. 1. pag. 230. Alius ergo a Bartholomao, de quo Ghilinus in Theat. & Card. Quirini in* Specimin. Var. litter. *part. 2. pag. 61, atque Antonio Parthenio Veronenſi, quem hic pariter memorat. Elegantiſſima eſt hac Bernardini epiſtola, qua Mureto Jo. Franciſcum Siccum commendat.*

per tantum dilexi, quantum abs te diligi, ſemper optavi. Hoc amore impulſus has ad te dare litteras viſum eſt, quibus tibi adoleſcentem qui tibi eas reddet commendarem. Is eſt Jo. Franciſcus Siccus, tam genere quam indole nobilis, iis moribus atque ea verecundia, ut cum eo quos conferas pauciſſimos reperias. Omitto ejus in litterarum ſtudia propenſionem; quæ ipſa per ſe ſibi hominem ſine ulla commendatione conciliarent. Is Romam proficiſcitur Venetorum Legato operam ſuam præſtiturus. Ejus nos eruditionem Decemviris proxime cum inſigni virtutis ſuæ teſtificatione probavimus. Cum ſæpenumero a me privatim publiceque audiſſet, quo te ſtudio colerem, quaque benevolentia complecterer, quantumque tibi in omni doctrina atque eruditione tribuerem, a me vehementer contendit, ut ſe tibi diligenter commendarem. Id ego adoleſcenti non modo roganti libenter ſum pollicitus, humanitate atque amore in me tuo fretus, ſed ſi etiam non rogaret, ſponte obtuliſſem. Tibi igitur, mi Murete omnium humaniſſime, adoleſcentem tam probum commendo ac trado, ita ut quicquid in te amoris in me tui reſidet, in illum effuſum velis. Nihil magis optat, quam in tuis eſſe, in amicitiam benevolentiamque tuam recipi, tuiſque interdum doctiſſimis ſermonibus, ac conſuetudine frui. Hunc ſi tuo amore ac ſtudio fueris complexus, me ſummo beneficio, gratiaque abs te ornatum arbitrabor. Tibi vero polliceor ac ſpon-

 deo,

deo, ex adoleſcentis ſuavitate ac moribus mirificos fructus capturum. De omni autem ſtatu rationibuſque meis, quo loco ſint, ab eodem cognoſces. Vale. Venetiis x. Cal. Mart. MDLXXVII.

LXXXII.

M. Ant. Mureto virorum hujus ætatis doctiſſimo Janus Peluſius Crotoniata S. P. D. [1]

Superioribus diebus duas habui orationes, alteram Parmæ in funere Fabii Farneſii [2], alteram Placentiæ in nuptiis Renati Borromæi [3]. Utramque ad te mitto. Pergratum mihi feceris, ſi cum per occupationes, quibus diſtineris, licuerit, ambas diligenter perpenderis, & quid de utraque & carminibus noſtris ſentias, ad me ſcripſeris: nam judicium tuum facio plurimi. Hoc mihi gratius facere nihil poteris. Vale, & me ad omnia tuo arbitrio

1 M. Antonio Mureto viro ultra naturæ miraculum docto. Romam. *Hujuſmodi eſt inſcriptio epiſtolæ externa.*

2 *Edita eſt hoc tit.* In funere Illuſtriſſimi Fabii Farneſii Jani Peluſii Crotoniatæ Oratio. Parmæ apud Seth Viothum 1579.

3 Jani Peluſii Crotoniatæ oratio habita in nuptiis Illuſtriſſimi comitis Renati Borromæi, & illuſtriſſimæ Herſiliæ Farneſiæ. Parmæ apud Seth Viothum 1579. *Alia multa exſtant ejuſdem; & præter ea quæ recenſentur in Bibl. Barberina, hæc vidi.* Pro militibus adverſus Juriſconſultos ad Proceres Oratio. In Placentiæ laudem ad Placentinos Oratio. Poematum libri duo. Sereniſs. Princip. Vincentii Gonzagæ & Margaritæ Farneſiæ Epithalamion. Caroli Emanuelis ſereniſs. Sabaudiæ Ducis &c. & Auguſtiſs. Catharinæ Auſtriacæ Epithalamion. De nuptiis Caroli Emanuelis &c. Protei Vaticinium. Alexandri Pallavicini & Laviniæ Farneſiæ Epithalamion. De conceſſione Arcis Placentinæ Gratulatio cum luſuum farragine. De dubiis epiſtola facetiſſima. Epiſtola apologetica & criminatoria. *Crotoniata a patria dicitur. Hinc in Xanthi fratris carmine quodam* Vivet aureolus tuus libellus noſtræ gloria patriæ Crotonis. *Litteras docuit Ranutium Farneſium Parmenſium & Placentinorum Principem, ut in ep. ipſe prædicat.*

bitrio utere. Parmæ III. Cal. Septemb. Anno ſalutis noſtræ MDLXXIX.

LXXXIII.

N.[1] *M. Antonio Mureto S. P. D.*

QUod mihi ſemper fuit in optatis, ut meam erga te benevolentiam aliquo officii genere declararem, id peropportune cecidit ſuperiore æſtate, cum mihi eum ſacerdotem ex Æquicolis juvenem humaniſſimum, & ſacris boniſque litteris imbutum commendaſti. Dedi igitur operam, ut ſacerdotium illud, quod in vico D. Luciæ, noſtræ Diœceſis, morte vacuum factum erat, obtineret; etſi res ipſa multum habuit difficultatis & laboris, non quidem ſacerdotis culpa; quippe qui examinis aleam ita ſubivit, ut ſe virum ſtrenuum præbuerit, tuoque patrocinio non indignum; ſed ejus vici hominum importunitate, omni ſtudio contendentium, ut alius deligeretur. Accedebant quoque nobiliſſimæ feminæ, Pompeii Columnæ uxoris crebræ litteræ, quibus aliò rem transferre conabatur. Tandem ſuperata impedimenta ſunt omnia, Dei benignitate, noſtro ſtudio, juvenis patientia. Sed hæc miſſa faciamus. Venio ad imagunculam noſtri Servatoris a te miſſam, in qua quidem cùm munus ipſum, quo nihil eſt pretioſius, ſi ad

1 *Quid hæc littera ſive nota ſignificet, equidem ignorare me fateor. Eſt enim nomen Epiſcopi Conſtantius Bargellinus, quod legitur in aliis editis lib. 2. ep. 53. 54. &c. Hæc vero epiſtola pietatis & religionis Mureti teſtis eſt. De Bargellino præter Ughellum Jo. Franchinus.*

ad πρωτότυπον mentem referamus, tùm animi tui elegantiam plurimi facio. Dum enim Jeſu Chriſti imaginem donas, prætefers inſignem in eum amorem tuum, quem tibi hærentem in medullis, in aliorum quoque pectoribus figi, ac veluti alte radices agere, vehementer ſtudes. Huc ſpectant verſus quos addidiſti, pietatis ac religionis dulcedine perfuſi, pari verborum elegantia, ſententiarum gravitate perpoliti, ex quibus, mihi crede, cœpi voluptatem incredibilem, & tibi gratias ago, multumque eo nomine te amo. Reliquum eſt, mi Murete, te ut horter; nam ut rogem tua humanitas non patitur, me, quod facis, amare pergas, & me ipſo utaris ad omnia: quod cum feceris, putabo me in eo beneficium accepiſſe. Vale. Reate x. Novembr.

Tui amantiſſimus
Epiſcopus Reatinus.

LXXXIV.

Aſcanius Columna M. Antonio Mureto S. D. [1]

ORationem meam Romam miſeram, tùm ut illuſtrium virorum gratiam ſibi conciliaret, tùm ut cum doctis hominibus, quorum in Urbe ma-

1 *Inſcript.* Al Molto Reverendo Signore il Sig. M. Antonio Mureto. In Campo di Fiore. Roma. *De Aſcanio Columna Ciaconius tom.* 4. *col.* 170. *Edita eſt alia ipſius epiſtola lib.*4. *epiſt.* 42. *data eodem anno Prid. Id. Maj. Salmantica. Ut enim idem Ciaconius narrat, in Hiſpaniam miſſus a patre fuerat, ubi perhumaniter a Catholico Rege Philippo II. exceptus, in Salmantina Academia Juris Pontificis Baccalaureus dictus eſt. Atque ibi Ciaconius*

magna eſt copia, inita conſuetudine, omni exuta barbarie, verę demum Romane loqui diſceret: ac, quod iis qui extra patriam diu vagati ſunt ſolet accidere, ut externas voces quibus aſſueverint non niſi repetito natali ſolo deponant, idem huic meæ orationi contingeret, ut maternæ linguæ uſum in hac longa ſtudiorum cauſa ſuſcepta peregrinatione pene amiſſum, quaſi poſtliminio reciperet: quod quando tua præcipue opera factum eſt, Murete doctiſſime, ſublatiſque e mea oratione peregrinis vocibus, in earum locum, ut audio, ſubjeciſti proprias, eſt quod tibi eas habeam gratias, quas tuis meritis pares referre nequeo. Quod ſi in iis, quæ mea ſunt, tibi vendicandis, tuum eſſet meo, in iis quæ tua ſunt arrogandis, æquale ſtudium, aut æqua laus; næ tu Juris prudentiæ regulis orationem eſſe tuam evinceres, in qua ſtruenda materiam & operam adhibueris: aut excipiente me, confuſionem materiæ non eſſe factam, ſed tua velut ornamenta orationi meæ, acceſſionis ceſſiſſe loco; recte replicando ad ſeparationem ageres. Sed cum ego libenti animo ferre non poſſem, eam ita diſcerpi, ornatuque quamvis alieno ſpoliari; redderem facile integram, atque ita vel Salomone judice, teque etiam, quæ tua eſt humanitas, non invito, ut in amo-

nius ſubdubitare videtur, an Abbas s. Sophia fuerit: ſed epiſtola edita inſcriptio, qua talis eſt etiam in ἀντογράφῳ, certum id eſſe jubet. Edita illa epiſtola mittit Mureto Aſcanius orationem habitam in funere ſereniſſima Anna Auſtria Hiſpaniarum Regina, ut ſicubi opus eſt, corrigat: hac vero noſtra pro ea emendata gratias agit.

amore, ſic & in tota cauſſa ſuperior abirem. Neque ego adeo ingratus eſſem, quin tibi omnem, quæcumque tandem ex ea oratione, atque etiam ex reliquo omni ſtudiorum meorum curſu, mihi proveniret, laudem acceptam ferrem. Quod ſane & modo facio, & faciam ſemper; tuumque hoc beneficium memoria proſequar ſempiterna. Vale, IV. non. Septemb. MDLXXXI.

LXXXV.

M. Antonio Mureto Balthaſar Anſideus[1] *S. D.*

SExtus jam agitur annus, Murete eruditiſſime, cum ego tum aliis de cauſis, tum ut Græcis litteris operam darem, Romam me contuli; quo tempore cum ego ad te officii gratia adiiſſem, familiariter me ac peramanter excepiſti, & cum meam, temporis progreſſu, Græcarum litterarum cupiditatem perſpexiſſes, prolixe operam mihi tuam detuliſti & præſtitiſti: ex quo non ſolum ſingularem humanitatem tuam cognovi, ſed etiam mirificam ingenii tui præſtantiam, aliàs a Cardaneto meo prædicatam, mihique ex tuis ſcriptis optime cognitam, agnovi: quæ ego ita ſoleo verſare, ut nemini concedam, qui illa aut ſæpius aut libentius, addo etiam illud, majore cum fructu, quam ego, legat. A quo autem die Roma diſceſſi nullas unquam ad te litteras dedi; quo quidem officii

1 *Editas hujus alias Mureto litteras, quaque illis Muretus reſpondit, leges lib.4. epiſt. 83. & 84. De Anſideo Caſar Alexius* in Elog. Civ. Peruſ. *cent.2. pag.51.*

ficii genere licet perpuſillo meam ad te amandum atque obſervandum propenſionem indicarem, ſubveritus, ne tibi ſtudiorum, aliarumve rerum occupationibus diſtricto, impedimento eſſem. Nunc autem cum ad te ſcribere ſtatuerim, inanibus te litteris appellare, ſeu potius interpellare nolui; cujus generis multas a multis ad te mitti arbitror, ut tuas eliciant; ſed cum ſæpe de quibuſdam locis Virgilianis ſermo inciderit, de quibus varii varia ſenſerunt, de iis judicium mihi tuum proferri velim: quod idem, Cardanetus præceptor meus, tuique tum ſtudioſiſſimus, tum laudator mirificus, ſumme cupit, qui me, ut ad te de iis ſcriberem, valde hortatus eſt, illud mihi pro certo propemodum affirmans, me tibi non moleſtiam pariturum; cum præſertim & dies longiores, & publicorum ſtudiorum feriæ aliquid tibi vacui temporis ſuppeditare poſſint.

Tria igitur Virgilii loca, quo tu homine nihil divinius fieri potuiſſe dicis, examinanda propono, quæ etſi a multis antea agitata fuere, nullorum in ſententia ſatis adhuc acquieſcere poſſum. Primus ergo eſt[1]: *Ille ego qui quondam &c.* ſæpe enim ego dubi-

1 *Tam multi, adeeque diligenter & fuſe hos verſus excuſſerunt (quos Taubmannus nominat, quoſque ille præteriit aut nominare non potuit, Richardus Brandisbeus, de la Cerda, atque in primis Catrou differt. in 1. Æneid.) ut ſupervacaneum ſit de iis aliquid dicere. Itaque hoc ſolum; jactantiam aliquam Virgilio objici non poſſe, niſi velimus idem Orpheo opponere, aut etiam Herodoto, Thucydidi, ceteriſque antiquis, qui nomen ſuum initio præponere ſolebant, atque ipſi etiam aliquando quid aliàs ſcripſiſſent, quid nunc operis molirentur, ſignificare; quod præcipue facit Orpheus init. Argonaut.*

dubitavi, ſitne vere principum hoc Æneidos? Dubitatio autem mea inde orta eſt, quod cum Virgilius Homerum ſibi tamquam ducem propoſuerit, hoc in loco nequaquam imitatus eſt, qui in utroque opere ſtatim proponit, qua de re ſit tractaturus. Deinde, etſi nulla eſt in verbis tumiditas, videtur tamen magna, quod ad ſententiam pertinet, ſubeſſe jactantia. Dicens enim; *Ille ego*, tale quiddam videtur innuere ,, . Ille ego Virgilius, qui omnibus ſum notus, qui aliis editis operibus celebris ,, & alia hujuſcemodi; ut cum legimus apud M. Tullium, *Soſipater ille Sidonius*, apud Homerum, *ἐκεῖνος ἄνωγε μέγας θεὸς*, quibus in locis pro nomen *illud* eſt vox *ὑπεροχῆς ἐμφατικὴ*. His ego rationibus adductus in eam partem magis propendebam, ut quatuor hoſce verſiculos non verum eſſe principium Æneidos exiſtimarem. Alter locus eſt, ubi Poeta facit Æneam talia de ſe loquentem [1],

Sum pius Æneas, raptos qui ex hoſte penates
Claſſe veho mecum, fama ſuper ethera notus.

quam quidem jactantiam Cardanetus nondum ſatis concoquere potuit. Liceat enim alicui ſe apud ignotos laudare: ſed quorſum, obſecro te, tan-

ta

1 *Hic quoque Virgilium defendunt Taubmannus, de la Cerda, de la Rue &c. praeunte Servio, & Scaligero Poet. l. 5. c. 3. nec tamen ferme habent, quod dicant, niſi ut Homeri locum illum, quem Virgilius expreſſerit, producant; item, morem fuiſſe Heroum nec falſa prædicare, nec vera reticere. Ego vero, ſi* pius *admittimus cognomentum aliquod fuiſſe aut titulum, ut fuit poſtea* optimus; *non video quid tribui ſuperbiæ, aut jactantiæ poſſit; ſe enim notum cognitumque fama eſſe, narrare, non certum omnino eſt laudis indicium, cum & calamitatibus aliiſque eventibus accidere celebritas poſſit.*

τα ὑπερβολὴ, *fama ſuper æthera notus*? At ſecutus eſt Homerum, apud quem Ulyſſes καὶ μ' εὐκλέος οὐρανὸν ἵκει. Verum idem profecto ſcrupulus remanet; quem tu nobis eripe. Tertius locus eſt lib. XII.[1], de quo illud quæro, quibuſnam rationibus recte feciſſe Virgilius dicendus ſit, qui talem induxerit Æneam, ut Turno ſuppliciter oranti parcere, & vitam concedere noluerit. Hæc ego ad te ſcripſiſſe volui, ad quæ ſi tibi libuerit, vel per calores & occupationes licuerit aliquid reſcribere, gratiſſimum mihi fuerit, deque eo te plurimum amabo. Vale. Prid. Id. Sextil. MDLXXXIII. Peruſiæ.

LXXXVI.

Julianus Archiepiſcopus Medices Epiſcopus Albienſis S. P. D. M. Ant. Mureto J. C.[2]

DIU ac ſæpe in illa ſum dubitatione verſatus, eruditiſſime Murete, utrum rectius foret, me ad te litteras dare, an in ſilentio perſeverare. Excitabat me ad ſcribendum, meum ſummum aliquid de te audiendi deſiderium; cui ſtimulos addebat

1 *Hoc quoque Servius defendit*; Omnis, *inquit*, intentio ad Æneæ pertinet gloriam. Nam, & ex eo quod hoſti cogitat parcere, pius oſtenditur; & ex eo quod eum interemit, pietatis geſtat inſigne; nam Evandri intuitu, Pallantis ulſciſcitur mortem. *Fuſius Virgilium defendunt Modicius, Scaliger, de la Cerda, qui alia aliorum etiam profert.*

2 *Non ſermonis elegantiam ſpectavi, cum ad hanc epiſtolam edendam adductus ſum, ſed ut viri clariſſimi, quique maxima prudentiæ laude floruit, teſtimonium de Mureto exſtaret. De Juliano hoc, Ughellus in Archiep. Piſanis. Epiſcopus fuit antea Albienſis, deinde Piſanus. Legatus miſſus eſt ad Rodulphum Cæſarem, Matthiam Ungarorum, Sigiſmundum Polonorum, Philippum Hiſpanorum Reges. Deceſſit annos natus 62. a. 1636. VIII. Id. Jan. ut in ejus epitaphio legitur.*

bat veteris noſtræ, quam merito plurimi facio, amicitiæ tuendæ ſtudium. Verum deterrebar a ſcribendo, quoties tuarum quotidianarum occupationum, quibus te ita olim diſtentum vidi, ut reſpirare libere vix poſſes, in mentem veniebat: in primiſque ejus temporis, quo tu iſta rara atque egregia doctrina, atque iſto aureo eloquentiæ flumine, publicis in ſcholis infinitum prope auditorum numerum in tui admirationem rapiebas. Cur enim non vererer, ne incompto rudique litterarum mearum ſtylo purgatiſſimis auribus tuis intempeſtive obſtreperem; teque interim ab iis doctrinæ ſtudiis avocarem, quibus & Reip. litterariæ commodis, & tuæ conſulis immortalitati? Plus tamen apud me potuit illa cura; ne quid forte ex diuturniore ſilentio noſtra vetus neceſſitudo capiat detrimenti. Acceſſit illa cogitatio, quæ omnem penitus ex animo meo dubitationem depulit; te, qui inſtitutas amicitias religioſiſſime colas, non quam eleganter, ſed quam amanter quis ad te ſcribat, conſiderare. Quid? quod non ſolum de tua valetudine, qua Deus Opt. Max. faxit, ut perpetuo optima utare, ſed etiam de animi tui tranquillitate, iiſque ſtudiis, quæ tibi nunc ſunt præ manibus, certior a te ipſo fieri cupiebam? Illud quoque ſcire peropto, ecquid ex tua litteraria officina prodierit novi? Nam memoria teneo, cum te ſuperioribus annis Romæ domi tuæ inviſiſſem, narrari mihi abs te, præclara quædam in Officia Cic. & nonnulla

nulla alia præſtantiſſimi illius auctoris opera te meditari, quæ ubi perpoliſſes mox eſſes editurus. Ea ſi mihi unquam videnda contigerint, tunc profecto ſublimi feriam ſidera vertice. Denique tua quamlibet breviſſima epiſtola tanta me jucunditate perfundet, quantam ex nullius præterea ſcriptoris perciperem. Neque enim mihi unquam in mentem venit de tuo animo dubitare. Quamobrem ſi tibi non omnino indignus videor, cujus poſtulatis obſequare, te etiam atque etiam rogo, ut paucis me, de omnibus illis quæ commemoravi, facias certiorem. Poſtremo ſi quid erit, in quo me tua cauſa præſtare aliquid poſſe intelligas, erit mihi quam gratiſſimum, ſi in eo meæ erga te benevolentiæ, quam tibi ſemper præſto fore polliceor, periculum feceris. Vale Albiæ VI. Id. Jul. MDLXXXIV.

LXXXVII.

P. [1] *Faber M. Antonio Mureto ſuo S.*

Fateor me, quod te his ſuperioribus diebus non viſerim, minus eſſe urbanum quam antea. Sed in aſtu [2] alieniſſimis horis venio; ceterum temporis ruri conſumitur: ita fit, ut quod & patruo & ægroto debetur officium, id ipſe tibi præſtare non poſ-

1 *Petri Fabri nomen, nulli, modo bonas ullas artes cognoverit, ignotum eſſe poteſt. Judicia ſive praconia de eo collegit Thomas-Pope-Blount p.826. Juriſconſultiſſimus Juriſconſulto Mureto ſcribens ex media illa facultate jocos repetit. Epiſtola ha poſtrema annum adſcriptum non habent; ideo poſtremas fecimus; antiquiſſimam hanc tamen harum epiſtolarum omnium eſſe, non dubitamus.* 2 Urbem *Graco nomine, quo Corn. Nep. utitur.*

poſſim, qui ab illo es remotiſſimus. Quod ſi ut officiales tibi quaſi patruo, vel patrono potius, operas debeo, ita tibi artificialium nomine obligatus eſſem, pecuniæ præſtatione protinus defungerer. At quia illas alteras debeo; abſurdum autem eſt alio die debere officium, quam quo is velit, cui præſtandum eſt, ideo exſpectare cogor, ut eas indicas tu mihi, quas ex commodo tuo poſſim edere. Jube igitur ejus rei gratia me venire ad te, vel potius ibi ubi ſum aliquid in rem tuam agere. Nam etſi cum duo patroni ſimul operas indicunt, operarum die cedente, libertus non obligatur, quia non per uſum, ſed per patronos ſtat quominus operæ dentur, & alioqui nimis durum exiſtimaverit eſſe Julianus, eum qui ſe liberare poteſt, decem diebus operando ſimul operis indictis, ſi in accipiendis non conſentiant, compelli ad præſtandam alteri quinque operarum æſtimationem; attamen ſingulis diverſas operas uno tempore in ſolidum edere potero. Hæc ad te ſcribebam, cum puer tuus ſcedam huc ad me attulit, in qua de libro, quem ad te perferri hodie curabo. Tu interim vide, quid apud Ciceronem lib. III. epiſtol. ad Appium epiſt. *Etſi quantum*, ſignificent illa verba; *Et illam acerbiſſimam exactionem quam tu non ignoras capitum atque oſtiorum &c.*[1]

Quid

1 *Pauca in hunc locum lib.3. ep.8. famil. Manutius, Corradus &c. Plura in hanc rem dabit Petrus Burmannus Diſſert.* De Vectigalibus Populi Romani. *Nec tamen video quid vexare tantopere virum eruditum poſſet, cum noſtri*

Quid eſt, quod ait *capitum*? Equidem ſcio, Marcellinum lib. XXI. ſcribere, interrogatum quemdam exacte quid haberet compendii, reſpondiſſe, vicenas annonas, totidemque pabula jumentorum, quæ vocantur capita: quæ interpetratio, ſatiſne huic loco, ubi de Magiſtratibus, deque exactione agitur, an parum ei tempori conveniat, tu pro tua prudentia melius judicare potes. Tu puero meo, qui librum ad te adferet, litteras dabis, quæ ſententiam hac de re tuam complectantur. Ego ad Card. Armeniacum, qui paulo melius valet, inde ad Senonenſem, atque ad patruum cogito. Bene vale.

LXXXVIII.

Salve, doctiſſime Murete [1].

AB horto Ferrarienſi domum reverſus, ſimul atque in cubiculum me recepiſſem nihil prius habui, quam ut conquirerem apud Eccleſiaſticos alicujus nominis & auctoritatis ſcriptores locum,

 ubi,

noſtris quoque moribus alia ſint vectigalia, quæ in ſingula capita, hominum nimirum, indicuntur; alia quæ in ſingulas familias, ſive domos, & ut vulgo loqui ſolemus fuochi.

1 Clariſſimo ex doctrina viro Dn. Marco Antonio Mureto legum Doctori, & civi Romano in Monte Quirinali. *Ita ſe habet inſcriptio epiſtolæ hujus, ab Alano Copo Mureto ſcripta. De Alano Copo Jo. Pitſeus tom. 1. de Reb. Anglicis pag. 772. edit. Pariſ.* 1619. Alanus Copus, *inquit*, ſacræ Theologiæ doctor Anglus Romæ ad S. Petrum Canonicus vir pietate, doctrina, & Catholicæ Religionis profeſſione inſignis, cujus rei cauſa longum pertulit exilium &c. Romæ in exilio confeſſor obiit, & in ſchola vel Hoſpitali Anglorum ſepultus eſt circa A. D. 1580. *Memorat ſcriptam ab eo* Syntaxim Hiſtoriæ Evangelicæ, & Carminum diverſorum librum unum. *Agit in hac epiſtola de hiſtoria illa Athanaſii pueri pueros ſecum ludentes baptizantis.*

ubi, de qua mecum egeras, res ab Athanaſio puero geſta narraretur. Ac ſtatim quidem occurrit Simeon Metaphraſtes, qui vitam Athanaſii ſcripſit. Ea autem habetur apud Surium III. *tom. de Vitis SS. d.* 2. *menſ. Maji*. Poſtea reperi eamdem hiſtoriam in *Nicephori libro* VIII. *capit.* 44. Sed quorum monimenta extant, omnium, ut reor, primus Ruffinus hoc memorabile factum litteris mandavit *libro priore Eccl. hiſtoriæ cap.* 14. A Ruffino autem acceptum in *Pratum* ſuum *Spiritale* tranſtulit Joannes Eviratus. Hunc librum e Græco in Latinum convertit Ambroſius Camaldulenſis Monachus, eumque Lippomanus inſeruit in *tomo ſuo* VII. *de Vitis SS.* [1] Hiſtoria de Athanaſio habetur in *Prati* iſtius *Spiritalis cap.* 197. Hæc ſunt, quæ ex occaſione ſermonis abs te mecum habiti quærendo inveſtigavi, & communicanda tecum duxi. Nunc, quod reliquum eſt, Deum Opt. Max. precor, ut quam optime valeas, & quam feliciſſime vivas, necnon de Rep. litteraria bene mereri pergas. Gratias item ago tibi magnas & multas, cum de omni tua erga me humanitate, tum de gratia per te mihi & Thomæ Clementi facta luſtrandi hortum

1 *Habetur in Vitis PP. recognitis a Roſweido pag.* 920. Addere poterat Socratem *lib.* 1. *cap.* 15. *Sozomenum lib.* 2. *cap.* 17. *Neque tamen his auctoribus, ut veram, admitti volunt Hermant. in vita s. Athanaſ. lib.* 1. *cap.* 3. & Eclairciſſ. *Montfauconius in V. Tillemontius not.* 2. *in s. Athan. tom.* 8. *Renaudotius in Patrarch. Alex. prater Dupinum, Cave &c. Defendunt eam tamen Papebrochius A. SS. to.* 1. *Maj. pag.* 188. *Sollerius de Patriarch. Alex. Pagius ad a.* 311. *num.* 27. *præcipuum argumentum ex Chronologia petitum diſſolventes.*

tum Ferrarienſem. Prior Angliæ nunc convaleſcens multam tibi dicit ſalutem.

Tui amantiſſimus
Alanus Copus.

M. Antonii Mureti pro Joanne Epiſcopio militiæ Melitenſis Magno Magiſtro Oratio [1] *ad Gregorium XIII. P. O. M.*

SApienter a veteribus inſtitutum eſt, ut cum primum Pontifex Maximus ampliſſimi Ordinis ſuffragiis declaratus eſſet, Oratores ad eum ex omnibus Orbis Chriſtiani partibus, non tantum officii & gratulationis, ſed honoris & venerationis cauſa, publice mitterentur. Simul enim & poteſtati Deo in terris proximæ debitus honor exhibetur, & eorum, a quibus illi mittuntur, animus ad imperata facienda promptus ac paratus oſtenditur: &, ſive ipſi inſigne aliquod beneficium ab hac ſancta Sede acceperunt, ſeu viciſſim aliquid me-

1 *Titulum ipſi fecimus, ut quid rei eſſet, continuò lector videret: idem in ſequenti præſtitimus. Mutilas has in codicibus noſtris, manu Mureti ipſius ſcriptas reperimus, etſi pagina impleta non eſſet, ut nihil dubitare poſſimus, a ſcribendo ceſſaſſe Muretum, non vero cum ſcripſiſſet aliorum negligentia interiiſſe. Vidit fortaſſe poſtea uſui non futuras, atque ideo opus ſuum dimiſit. Quando hæc prior ſcripta ſit, conjectura aſſequi poſſumus. Nam ex oratione Mureti ejuſdem vol 2. orat. 26. in funere ipſius dicta, habemus a. 1572. Prid. Cal. Feb. magnum magiſtrum dictum; non ergo (ſi mortis etiam tempus ſpectemus) alii quam Gregorio XIII. orationem hanc dici velle potuit; quamobrem eodem anno 1572. quo Gregorius Pontifex eſt renuntiatus Prid. Id. Maji ſcripta videtur. Elegantiſſimam eam eſſe, ac hujuſmodi ut Mureti manum agnoſcere facile poſſit, quicumque eam leget judicabit.*

memorabile pro illius defenſione atque amplificatione geſſerunt, eorum omnium memoria opportuna commemoratione renovatur. Quarum omnium rerum cauſa, cum ad te, Beatiſſime Pater, hic vir Illuſtris Scipio Ajaccia, miles Hieroſolymitanus ab Johanne Epiſcopio magno ejus ordinis Magiſtro, univerſæ illius nobiliſſimorum ac fortiſſimorum hominum ſodalitatis nomine, legatus ſit; iſque me potiſſimum delegerit, cujus opera hodierno die ad hoc munus obeundum uteretur: quæſo te, Beatiſſime Pater, tribue hoc, non mihi, a quo nihil hujus loci auctoritate dignum expectari poteſt, ſed illi ſpectatiſſimæ virtutis virorum cœtui, ut, quando ipſi toties noſtra omnium cauſa tubarum ac lituorum ſonitum alacres audierunt, ejus quoque qui cauſam illorum acturus eſt, oratio non invitis animis audiatur. Spero autem, neque tibi, neque huic ampliſſimorum Patrum conſeſſui injucundum fore, ſi breviter expoſuero, & quibus de cauſis hæc ſancta Sedes præcipua quadam caritate milites Hieroſolymitanos complecti debeat; & quas item ob cauſas illi præcipuam quamdam ſpem commodorum atque ornamentorum ſuorum in tua bonitate ac juſtitia collocare. Atque utinam ea in me dicendi vis ac copia eſſet, ut eorum merita, reſque præclare geſtas oratione exornare poſſem: quod quando ſperare non datur; una mihi ſpes reliqua eſt, quòd dicturus ſum de rebus & pulcherrimis & toto orbe celebratiſſimis: ut oratio mea quam-

quamvis obſcura per ſe, ex earum tamen rerum, de quibus agam, dignitate ac luce multum ſplendoris collectura videatur. Equidem ita prorſus exiſtimo, quicumque priſcis temporibus homines ſapientiſſimi de optima & perfectiſſima Rep. tradiderunt, quæque ſuper ea re litteris prodiderunt, ea omnia in militum Hieroſolymitanorum Collegio multo perfectius, quam in illorum libris expreſſa reperiri. Naturam illi atque ortum multum valere, ut in ceteris animantibus, ita & in hominibus judicarunt: quod fere quiſque majorum ſuorum ſimilis eſſe ſoleat. Itaque qui ex eis præcipuam habuerunt opinionem ſapientiæ, ignavorum atque inertium civium liberos, & aliorum mancos aut mutilos ac debiles fetus abjiciendos potius & exponendos, quam in civitate alendos eſſe duxerunt. Hi rationem ſine ulla inhumanitate repererunt, qua conſequerentur id quod veteres illi ne fieri quidem poſſe crediderant, ut Reſp. eſſet ulla, in qua neque ignobilis quiſquam, neque corpore parum ad virtutem exercendam idoneo cerneretur. Nam cum legibus ante omnia ſanxiſſent, ne quem in Ordinem ſuum reciperent, qui non & bono ac nobili genere prognatus eſſet, & ita corpore atque artubus compactus, ut militares labores facile toleraturus videretur, in quo non præterea ita luceret virtutis indoles, ut nulla eum macula antea contracta ac ſuſcepta contaminaret; ex omnibus Chriſtianis provinciis florem ipſum juventutis col-

ligentes, progreſſu temporis, quaſi civitatem quamdam ſpectatæ nobilitatis ac virtutis hominum congregarunt. Educationi ſecundum a natura locum ſummo conſenſu veteres illi dederunt; cujus etiam tantam tradiderunt eſſe vim, ut & ſi recta eſſet pravitatem naturæ corrigere, & ſi mala, quamlibet generoſa ingenia depravare poſſet. Itaque nobiliſſimi Philoſophorum Plato & Ariſtoteles non tantum eam curam in civitate præcipuam eſſe oportere monuerunt, verum etiam graviter peccare docuerunt eos legum latores, qui propoſitis ſuppliciis cives a peccando abſterrere conarentur, potius quam eis a principio recte educandis efficere, ut ſuapte ſponte & turpia fugerent, & honeſta ſequerentur. Age igitur videamus, num qui in habendo juvenum delectu tantam diligentiam ſemper adhibuerunt, minorem curam in eis inſtituendis collocarint. Immo vero, Beatiſſime Pater, ita eos aſſuefaciunt, ut averſo atque abalienato ab omnibus corporearum voluptatum blandimentis animo, ſegnitiem ac ſocordiam mortis inſtar exiſtiment: ut quæ dura, ardua, perpeſſu difficilia ſunt, ea ſola viris digna eſſe ſtatuant: ut laborioſiſſimas corporis exercitationes pro ludo atque oblectamento habeant: ut famem, ſitim, frigus, æſtum, vigiliam, vulnera, non qui ferre poſſit, fortem, ſed qui non poſſit mollem & effeminatum eſſe ducant: ut ad hoſtis aſpectum expaveſcere, ad vulnus acceptum ingemiſcere, fuga potius quam

manu

manu ſaluti ſuæ conſulere, fas non eſſe ei qui candida illa crucis imagine pectus ornaverit, arbitrentur. Ita tibi, Beatiſſime Pater, ita nobis univerſis educat illos quaſi magnanimorum leonum catulos, hujus vitæ contemptores, Religionis propugnatores, Turcarum oppugnatores, Inſula Melita parva quidem & aſpera, ut Ulyſſes patriam ſuam eſſe ait, ſed egregia juvenum educatrix, Melita nobilitatis domicilium, Melita ſchola fortitudinis, præſtantium virorum officina, firmamentum publicæ ſecuritatis, murus, arx, propugnaculum Reip. Chriſtianæ. O rem præclaram, & in hac præſertim morum ac temporum corruptela admiratione digniſſimam! Reperiri etiamnum adoleſcentes domi nobiles, eoſdemque abundantes ac copioſos, qui relicta domo, fortunis, parentibus, conſanguineis, amicis, patria, quaſi voluntario exilio ſuſcepto, in parvam ſe ac ſterilem inſulam, eamdemque in ipſis prope immaniſſimorum hoſtium faucibus poſitam conferant, ut pro aliena quiete perpetuos labores, pro aliena ſecuritate perpetua pericula ſubeant, ut ad depellendum ac propulſandum ab aliis bellum ipſi in perpetuis excubiis, atque in perpetua expeditione verſentur. At quam conſiderate, quamque ſapienter exiguam illam Remp. ſuam legibus & inſtitutis, cum eo fine quem ſibi propoſuerunt congruentibus, temperarunt? . . . .

Ejuſ-

Ejuſdem Mureti alterius Orationis fragmentum [1].

EST quidem ut tota hominis ætas, ita quælibet anni tempeſtas ad diſcendum idonea: ſed tamen & ex omnibus vitæ partibus adoleſcentia, quæ quaſi ver quoddam ætatis eſt, & ex anni partibus ver ad promovenda ſtudia, & ad animos multiplici rerum cognitione ſaginandos præcipue accomodatum videtur. Quamvis enim hieme cum maxime ſæviente, bacchantibus ac prœlia inter ſe miſcentibus ventis, frementibus ac mugientibus ſilvis, ipſo in imbres ruente cœlo, grandine crepitantibus tectis, juvat, non e lecto, ut ait impurus poeta, ſed ex cubiculo aliquo bene undiquaque concluſo, & adverſus cœli injurias munito ventos audire furentes, & libris affixum, ac præclara illa veteris ſapientiæ monumenta tractantem, excutientem illos theſauros, indulgere illi nunquam immoderatæ cupiditati adſidue plura diſcendi; neſcio tamen quomodo, & ipſum illud vaſtum atque horrificum murmur terrorem quemdam incutit animis, nec eos totos ſibi vacare patitur; & ipſa frigoris aſperitas ſubinde, quaſi admotis quibuſdam ſtimulis, fodicans, aut ſtrata repe-

1 *Fragmentum vocamus, quod longioris orationis, quam Muretus meditabatur, pars ſit exigua. De tempeſtate agit maxime ſtudiis accomodata, fecitque in adverſariis ſuis inſcriptionem hanc Muretus;* Pro principio Quadrageſimæ anni 1584. ſi vivam, & ſi Deus volet. Chriſte ades, & cœptum cœleſti numine firma. *Nequaquam fuiſſe habitam, neque abſolutam ideo puto, quod miſſionem impetravit, ſolutuſque erat eo anno munere docendi, ut diximus in vita.*

repetere, aut ad focum adſidere compellit: omninoque hiems ut curſus fluminum frænat, ut animalium corpora adſtringit, ita ingenia quoque torpore quodam vincere atque alligare interdum ſolet. Accedit huc,quod corpora noſtra hieme potiſſimum frigidis, & craſſis, & in morem viſci, lentis ac tenacibus humoribus redundant. Quod ſi qui natura ita temperati ſunt, tardi plerumque & hebetes eſſe conſueverunt: quod ſignificabat Heracletus cum diceret, ſiccam animam ad ſapientiam requiri: certe conſequens eſt, quæ tempeſtas anni tales efficit, ea ingenii acumen obtundi, vim torpeſcere, celeritatem retardari. Hæc igitur & his adfinia ſunt hiemis incommoda; cui contraria æſtas immodicis caloribus & corpora, & animos ſolvit ac laxat, ſomnolentos ac languidos efficit; ita ut totos interdum dies, non modo nullam graviorem cogitationem ſuſcipere poſſimus, ſed, quamquam nullo labore antegreſſo, fracti, defeſſi, defatigatique jaceamus. Autumno autem, vulgo præclare ſecum agi putant, qui aliis omnibus omiſſis cavere morbos, & ſartam tectam valetudinem tueri queunt. At ubi, ſoluto hiemis rigore, verni temporis tepor cœlum, terras, maria aperuit, cum & ſereniores eunt dies, & tellus nocturno rore madefacta, laxato ſinu, opes ſuas explicat, & quaſi cœlum ipſum ad certamen pulchritudinis provocans, ut illud ſtellarum, ſic ipſa florum gemmea varietate diſtinguitur, cum pellucentes rivuli grato ſtre-

to ſtrepitu per virentia prata decurrunt; cum liquidis avicularum cantibus nemora novis frondibus comantia reſonant; quis ita torpidus ac ſegnis eſt, ut otiari velit? quis ita ignavus, cui non ipſi quoque floreſcere quodam modo libeat, cui non aliquid, quo ſe vivere ac vigere teſtetur, ex ingenio ſuo fundere, animus geſtiat? Ut enim tument terræ, ut turgent vites, ut animalia ad gignendi cupiditatem incitantur; ſic gliſcere videntur ingenia, & ad exercitationes naturæ ſuæ maxime congruentes ac conſentaneas excitari; cum ab eis libere obeundis, neque amplius frigore, neque adhuc calore arceantur .....

NICO-

NICOLAI PATRIARCHÆ
CONSTANTINOPOLITANI
ET
THEODORI METROPOLITÆ NICÆNI
EPISTOLÆ GRÆCÆ
A
LEONE ALLATIO
OLIM RECENSITÆ
ADJECTIS TRIBUS ALIIS
THEODORI PRODROMI.

Digitized by Google

IN EPISTOLAS

Nicolai Constantinopolitani, Theodori Nicæni, et Theodori Prodromi.

NON, opinor, male de Latinis litteris meriti ſumus, qui ſuperiores epiſtolas viro eloquentiſſimo a diſertiſſimis & doctiſſimis hominibus ſcriptas, e tenebris, in quibus jacuerant, forulorum noſtrorum, juſſimus in aſpectum lucemque venire. Cur idem non conemur in Græcis? Sed vereor interdum, ne cum Græcas appello litteras, illas ſolas intelligant nonnulli, quæ fuerunt Atticorum propriæ, puræ, caſtæ, ſimplices, Demoſthenico illo ſucco, & ſanguine plenæ; non etiam quæ in ſequiorum ætatum Scriptoribus aliis, quaſi conſeneſcentes, non naturali ſed fucato nitore, reperiuntur. Nam ſecus omnino eſt; non quod maxime illas non amaverimus olim (quid enim dicamus nos nunc eaſdem amare, cum monumenta recentiorum ætatum habentes ſæpe in manibus, in verborum ſordibus, & fæce volutemur?) ſed quod iſtas quoque poſteriorum ſcriptorum, æris veluti deterioris, magno tamen eſſe uſui atque utilitati arbitremur. Nam ut rerum argumenta quas continent omittamus, & de ratione ſcribendi dumtaxat loquamur; habent ſingulæ ætates, quæ Cicero [1] monuit, ſingula prope genera dicendi; quod quoniam non ita facile eſt in Latinis ſcriptoribus propter eorum paucitatem videre, delectare debet in Græcis: item, ut apud eumdem Tullium Craſſus [2] ajebat; quod in ſuo genere præſtat, etſi genus ipſum optimum non ſit, laudabile habetur; imo ad veram germanam-

1 *lib. 2. de orat. num. 22.* 2 *lib. 3. de orat. num. 9.*

namque ipſam Eloquentiam internoſcendam multum poteſt, ut quem habuerit illa curſum, unde & qua ratione deſciverit, atque a ſummo in quem ſe imum aliquando locum demiſerit, intueamur. Quæ qui ſecum diligenter reputet, animoque comprehendat; non ſine cauſa priori volumine in Græcis nos laboraſſe intelliget; neque illa quæ ibi continentur, aut nos qui ea protulimus condemnabit. Itaque, quod vir quidam doctus minus eadem probavit, quod in monumentis ſæculo XVI. antiquioribus proferendis parciorem me eſſe voluit, quod Prodromum, ignavum veluti ſenem, effetumque, & ſemibarbarum exagitavit; hoc, pluſquam veritati, do, & condono elegantiæ hujus hominis atque doctrinæ. Nam cum præſtantiſſimis ſit imbutus litteris, hiſtoriamque Gallicam ſuam nitidiſſime politiſſimeque ſcribens, aſſidue in elegantiſſimis, ideſt ſui ſimilibus ſcriptoribus pervolutandis verſetur; Græcum hunc noſtrum, a germana Atticaque eloquentia haud paulò deſciſcentem eſt aſpernatus. Exhorruerunt, credo, teretes & religioſæ aures, ſimul ac peregrinam ex Aſia eloquentiam illam exaudiverunt; fuitque iterum ac ſæpius ad Iſocraticas arculas & myrthæcia, ut adhæreſcentem auribus barbariem detergeret, recurrendum. Nos in producendis ejus hominis epiſtolis, cujus jam alia eo genere eloquentiæ ſcripta, ut tunc præfati ſumus, producta eſſent ab elegantiſſimis doctiſſimiſque viris, aliud ſpectavimus; auctorique ipſi, qui ita ſcriberet, facile ignoſcebamus. Habuit enim illud loquendi genus, quod non tam hominis vitium fuit, quam temporum ipſorum, quæ illud idem in Hiſtoricis ipſis, ut ex Byzantinarum rerum ſcriptoribus conſtat, extulerunt. Quidni ergo eo Prodromus uteretur, qui auribus magis, & voluptati, quæ tunc ejus modi ſcribendi maxima erat, ſerviebat? Deinde, cum Græcorum ſequioris ætatis etſi multi ſunt editi libri, epiſtolas tamen videremus in homi-

num

num manibus paucas eſſe, genere hoc eloquentiæ quaſi amatorio, ſed caſte & liberaliter ſcriptas, facile, amicis etiam ſuadentibus, paſſi ſumus inde, ubi iſtas in Bibliothecæ noſtræ angulis deprehendimus, evolare; putavimuſque, perſuaſuros ſibi viros doctos ac prudentes, ſi frigida in iis nonnulla occurrerent, imo ineptiarum & ſtultitiarum aliquid, id ſibi eſſe omne devorandum potius, quam moroſe, aut etiam ingenuo & libero quodam faſtidio repudiandum. Atque hæc nos, non reprehendendi cenſoris illius cauſa dicimus, ſed ut, nunc cum Græcas alias aliorum auctorum, item ipſius Prodromi ternas vulgamus, conſilium noſtrum quale ſit, lectoribus communicemus. Ceterùm illum doctiſſimum atque amiciſſimum etiam hominem exiſtimo, blandimenti cujuſdam loco, quod catuli belli ſolent, quibus acutiores dentes non ſunt, mordere aliquid voluiſſe: quod ex eo etiam conjicio, quod monitum me eſſe voluit, Nicolaum Lyranum, nequaquam anno 1320. ſed 1340. eſſe mortuum. Sicuti non erat id magnum (ſi ſtandum editis monumentis cenſerem) cognoſcere, præſertim eo ipſo loco Waddingum laudanti; ita & typothetis numeros in libro meo poſitos immutare, fuit profecto facillimum: quod ſuſpicari facile vir ingenioſus potuiſſet, ſi animadverteret, me eo loco dicere, hominem qui a. 1388. ſcribebat, Lyrani ipſius tempore vixiſſe; quæ conjectura, ſi de eo loquimur qui a. 1340. deceſſit, probabilis ſane eſt; ſi de eo, qui etiam ante annos viginti obierat, falſitati quam veritati propior. Et bene habet, quod craſſiora errata alia non vidit, ut *pag.*582. *Oppida perventum iri*, poſitum pro *Oppida perventura*. Ad Priſcianum, credo, me & Grammaticorum ſcholam amandaſſet, ſi iſtud notaſſet. Verùm hæc, ſive librariorum, ſive operarum errata cavere, Romæ [1] præſertim, quis poteſt? Nunc etiam dum ſupe-

[1] *Vide verſus præfixos* Recognitioni corruptorum *in editione operum Campani Romana a.* 1495.

riora hujus voluminis jam impreſſa pervolvo, inſignia quædam menda deprehendo. Et primò ſæpius *Petrum Poſinum* invenio, de quo nihil ad me, pro *Petro Morino*, cujus litteræ ad Muretum hoc volumine continentur. Eſt id ex peccatis ejus generis, quod magnorum auctorum exemplo excuſare poſſem, ſi vellem. Tale enim ſuum *μνημονικὸν ἁμάρτημα* Cicero notavit [1]; in eodem vero Cicerone alia alii [2]; in veteribus præterea nonnulla Fabricius [3]; Hieronymus vero Tartarottus tam multa in antiquorum & recentiorum ſcriptis, ut ex his integram diſſertationem ſive epiſtolam confecerit [4]; nec tamen argumentum exhauſit, quod infinitum eſt [5]. Inexcuſabilia alia videntur, ſi mea ſunt; ut pag. 193 *opere ſocii* pro *operæ*; ibidemque, *multas eorum* pro *earum*: Pag. 203. *Anno* MDXXXVI. legi debet, ubi eſt *Anno* MDXXXXI. Pag. 207. *permiſſum eſt in patriam reverti*, ubi *patriam reverti*. Pag. 262. *libertate & otio*, non *liberalitate & otio*: Pag. 273. *dilaudat*, *dedicaverit* non *dedicavit*: P. 293. *conductum ſtipendio*, non *conductus*: pag. 329. *ante annos duos*, non *annos duos*: pag. 347. *profeſſus idem eſt*, non *profeſſum*: pag. 351. in adnot. *Audii inexpletum*, non *ſtudii*: pag. 353. *ingreſſurus ſis cum Deo propitio*, non *congreſſurus*: pag. 356. *neglexiſſe videatur*, non *videtur*: pag. 359. *labarent fundamenta*, non *laborent*, atque ibid. *efficta atque ære inciſa*, non *affecta*: pag. 360. *fetum ingenium erat*, non *fotum*; & in adnot. *Rivaldus Lemovix*, non *Rualdus*; quod epitaphio inſpecto verum eſſe cognovi: pag. 363. *Bunelli epiſtolis*, non *Dunelli*: pag. 373. in adnot. *νεωτέρων*. Piget alia indicare: itaque lectores exoratos meos volo, ut horum aliorumque, quæ inter legendum occurrent, ſummam omnem in Auctorem

1 *lib.* XIV. *ad Attic. ep.* 5. 2 *Manutius* de Senat. Rom. *pag.* 25. *Muretus var. lect.* VI. 10. *&* XIV. 20. *&c.* 3 *B. G. vol.* 6. *pag.* 122.
4 *Calogierà* raccolt. d' Opuſc. *tom.* 25. *pag.* 349. 5 *Addi poteſt Petrus Victorius ex Muret. var. lect.* VIII. 6. *Caſa in epiſt. &c.*

rem ne conferant, ſed ex æquo ſaltem inter ipſum atque operarios partiantur.

Sed ad epiſtolas ipſas venio, quæ nunc producuntur, eaſque ut ederet, ſepoſuerat deſcripſeratque ex vett. codicibus vir Græce doctiſſimus Leo Allatius; ut ſi quod ille olim cogitarat, nunc nos perfecturi ſumus, nemo jure reprehendat. His vero, Prodromi tres adjecimus, ut ceteris adnecterentur, quas jam vulgavimus, & poſſent ſe iſtarum aliarum nomine & commendatione tueri. Sunt vero Allatianæ iſtæ, Nicolai Patriarchæ Conſtantinopolitani VII. Theodori Metropolitæ Nicæni VIII. De Theodoro Nicæno fruſtra aliquid in vulgatis ſcriptoribus & libris quæras. Itaque le Quien dolet, tempus ipſum hujus ſibi eſſe ignotum: nam de litteris his noſtris ſcribit [1]; *Leo Allatius Diatriba de Simeonibus ſpondet, ſe publici juris facturum epiſtolas Nicolai Patriarchæ Conſtantinopolitani, Theodori Metropolitæ Nicæni, Photii &c. quod tamen morte præventus non præſtitit: utinam vero ſaltem Theodori tempora nos docuiſſet!* Docuit enimvero Allatius in *Diatriba de Theodoris*, quam affectam vir doctus reliquit, noſque viri Græce docti, amiciſſimique beneficio legimus: in ea ergo de Theodoro hoc; *Sub eodem Conſtantino Porphyrogenneta florebat Theodorus Metropolita Nicænus, vir, neque indoctus, & ſcribendis epiſtolis non inelegans, cujus penes me ſunt octo reliquæ, dignæ plane quæ lucem videant.* Vixit vero Conſtantinus ille ad a. 959. ut ex vetuſtioribus Auctoribus Ducangius [2], Bandurius [3], aliique ſtatuerunt. Quamquam ad hos nihil neceſſe eſt confugere, cum Theodorus ætatem ſuam his ipſe litteris prodat, præſertim v. quam Polyeucto Patriarchæ dedit, quem Conſtantinus (cui ſcribit VII.) de Patriarchatu dejecit, ut Cedrenus [4] tradit.

 Ni-

1 Oriens Chriſt. *to.1.p.648.* 2 Famil.Byzant. *p.141.* 3 Numiſm. Imperat. *to.2.p.732.* 4 *pag.641. edit. Reg. Pariſ.*

Nicolaus quis ille ſit Conſtantinopolitanus, nondum certò ſtatuo. Nam quatuor fuiſſe hoc nomine Conſtantinopolitanos Epiſcopos, nemo ignorat; I. quem *Myſticum* vocant, ſæculo X. extremo, atque initio XI. Alterum cognomento *Chryſobergen* ab anno 982. (ſequor hic Gulielmi Cuperi [1] rationes) ad a. 995. III. *Grammaticum*, cujus ſedis initium exacte adnotavit Anna Comnena [2], id. a. 1084. IV. denique Nicolaum *Muzalonem*, Epiſcopum factum a. 1147. Mallem ex his *Myſticum*, de quo Acta Bollandiana *ad diem Maji* 5. quòd illum indigitare videantur & argumenta litterarum ipſarum, & ſcribendi modus. Edidit hujus epiſtolam unam Græce Baronius [3], præterea alias 5 Latine; Labbæus item duas [4]: extat etiam Decretum ejuſdem, de litteris a Patriarcha concedendis gratis, in *Jure Græco-Romano* [5]; Papadopulus [6] nominat & Synodicon *De gradibus matrimonii*.

In his ergo producendis primo laboravimus, ut, quam emendatiſſimum poſſemus, Græcum textum exhiberemus, neque ille operariorum imperitia aut oſcitantia corrumperetur: deinde, aut ejuſdem lectionem aut ſenſa conjecturis quibuſdam & adnotatiunculis noſtris illuſtraremus; tandem argumenta omnium epiſtolarum ſatis copioſa præponeremus, quæ vel Græce parum ſcientibus ad auctorem illum intelligendum ſatis eſſe viderentur. Maluimus vero hoc potius, quam verſionem epiſtolarum cudere, non tam ut labori noſtro parceremus, quam ut volumini huic, quod ſatis excreverat, modus aliquis imponeretur: nam qui Græce ſciunt, Græcum magis lingua ſua, quam Latina aut Italica loquentem audire volunt.

NI-

1 *In tractat. de Patriarch. Conſtant.* 2 *lib.* 10. Alexiad. *pag.* 273. *edit. Reg. Pariſ.* 3 *ad a.* 917. 4 *Coll. CC. tom.* 9. *pag.* 1269. *edit. Pariſ.* 5 *lib.* 4. *pag.* 249. 6 Prænot. Myſtagog. *pag.* 283.

ΝΙΚΟΛΑΟΥ
ΠΑΤΡΙΑΡΧΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ
ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ.

α′.

Ψυχὴ πρὸς Θεὸν ἀνανεύουσα, ἀνθρώπων τὰ χείρονα ψηφιζομένων, οὐ ποιήσεται λόγον, τὴν βελτίω περὶ αὐτῆς τοῦ Θεοῦ ψῆφος ἐπισταμένη. ὁ δ' ἐφ' οἷς αἱ τυραννικαὶ φέρουσι ψῆφοι καταπίπτων, δίδωσιν ἔλεγχον, μὴ τῇ θείᾳ πιστεύων τὰ κρείττονα φερούσῃ, καὶ διὰ τοῦτο πρὸς ἀθυμίαν ἐκπίπτων.

α′. Qui animum in Deum intentum habet, ſiniſtra hominum judicia negligere, conſcium favorabilioris Dei judicii; qui vero ob tyrannica etiam decreta deficit linquiturque animo, ſatis oſtendere, ſe Dei judicio diffidere.

β′.

Κάμιτομεν τὰς ἡμέρας ἀπαριθμούμενοι, καὶ πότε καιρὸς ἐπιστήσεται [1] πρὸς ὀφθαλμοὺς [2] ἄγων τοὺς ἡμετέρους. ἔχει μέν τοι καὶ πρὸς ἡδονὴν ἡ ἐλπὶς αὕτη, νικᾷ δὲ τὸ ἡδὺ ἡ ἐκ τοῦ παρατείνεσθαι τὸν χρόνον διαταράξις τῆς καρδίας. ἡμεῖς καὶ ἅπαξ, καὶ δεύτερον ὑπεθέμεθα. εἰ τὸ ἀσφαλὲς οὐκ οἶδα. Θεὸς δ' ἂν εἴ δείη ὁ τὰ ἐσόμενα βλέπων, τὴν [3] ὑπὸ τοῦ πρὸς ὑμᾶς ἠν-

1 leg. ἐπιστασθήσεται. 2 οἱ. 3 ſupplendum videtur ἰδεῖν.

αγκασμένοι πόθου, καὶ τοῦ τῶν ἐμῶν κακῶν ἐπίπροσθεν τὰ ὑμέτερα τίθεσθαι. τὰ ὑποτεθειμένα ἦλθε πρὸς ἔννοιαν, καὶ τῆς ἐννοίας ταύτης ἀναχωρεῖν οὐ δυνάμεθα. εἰ οὖν δυνατὸν, γέσθω[1] τὶ πρὸς κοινὸν παραμύθιον ὑμῶν τε καὶ ἡμῶν. εἰ δ' ἔστι τὶ τι φοβοῦν ὑμᾶς, καὶ διὰ τοῦτο τὴν ὁρμὴν ἀναστέλλον, ἐάσθω γὰρ περὶ ἐμὲ φοβερὰ, ἐκεῖνο κρατείτω τὸ, μὴ δοκοῦν ἐπάγειν ὑμῖν τινα χαλεπότητα.

1 leg. γενέσθω.

β'. Angi ſe, amicum expectando, numerandoque dies; & quamquam nonnihil voluptatis ſpes videndi aliquando amicum, pariāt: hanc tamen angorē illo qui à dilatione oritur, extinguat: hactenus ſe itineris illius ſemel iterumque (quod etiam tutumne ſit, addubitat) auctorem fuiſſe, ob commune ex eo commodum; ſi ſecus ſit, amici ſecuritatem commodo ſuo anteponere.

γ'.

Ἦν πότε καιρὸς ὅτε τὸ πάσχειν ὑπὲρ φίλων, μὴ ὅτιγε ὑπὲρ πατρὸς ἐζηλοῦτο, καὶ πολλοὶ καὶ τῶν φαύλως βιούντων, τοῦτο τέως ἐφιλοτιμοῦντο, τὸ φίλων πάθεσιν ἐπικοινωνεῖν. νῦν δὲ, ὡς ἔοικεν, ὑμῖν τοῖς ἐν ὁσιότητι βιοῦσι, τοῦτο δοκεῖ φιλότιμον τὸ τοὺς πατέρας ἐξαρνεῖσθαι. τὸν μὲν σὸν, καλὲ καὶ ἀγαθὲ ἄνθρωπε, τοιοῦτον, τὸ δὲ ἡμέτερον εὐχαριστεῖν, ὡς ἐπὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς συμβεβηκόσιν ἡμῖν, οὕτω καὶ ἐπὶ σοὶ τῷ Θεῷ, τοῦτο δέ σοι μόνον φαμέν. Γνῶθι μὴ ἐμὲ ἀθετήσας, ἀλλ' ἐν τῷ ἐμῷ προσώπῳ τὸν οὐράνιον Πατέρα, οὗ νόμος, τιμᾶν τέκνοις πατέρα.

γ'. Fuiſſe olim tempus, cum certarent homines, ut pro amicis, ardua pro patre mala tolerarent, & vel minus probos affectaſſe hanc laudem, ut communicarent cum amicorum malis. Nunc etiam ſanctiorem vitam profeſſis videri laudabile patres ipſos abnegare; nec ſe tamen rejici, ſed cæleſtem illum patrem qui praecepit, ut patribus honor deferatur.

δ'. Ὁ

δ'.

Ὁ καθ' ἡμῶν ἀγὼν ἤνυσταί σοι. τί ἔτι κάμνεις ἐπαγωνιζόμενος, ἢ αὔξειν ἐπιζητεῖς τὰ ἐπὶ τοῦ βραβεῖα; ὄψει τὸ σπουδαζόμενον, ὅτε τῷ πλείονι μέρει τῶν βραβείων, πλέον οἰμώξεις. τοῦτο μὲν ἡ μέλλουσα ἡμέρα δείξει ἀναμφιβόλως, τίς δὲ οἶδεν εἰ μὴ καὶ ἡ παροῦσα;

δ'. Abſolutum eſſe certamen ab amico contra ſe inſtitutum; amplius laborare eum non debere, quaſi præmia victoriæ ampliora conſecuturum: viſurum eum quid rei ſit, & eo magis ploraturum, quo majus certaminis præmium erit; idque futurum tempus, fortaſſe etiam præſens declaraturum.

ε'.

Σαλεύουσι τὴν ὑγιαίνουσαν ἕξιν καὶ πρὸς νοσώδη μεταποιοῦσι διάθεσιν, πολλάκις δὲ καὶ τέλεον διαφθείρουσιν, οὐ μόνον τὰ δηλητήρια, ἀλλὰ καὶ καρυκεῖαι, καὶ πόσεις τὴν αἴσθησιν γοητεύουσαι. μακάριος μὲν ὁ μὴ φθειρόμενος ὑπὸ δηλητηρίων, ἀλλ' ἐπικρατοῦσαν ἔχων τοῦ φαρμάκου τὴν τοῦ σώματος ἕξιν· μακαριώτερος δὲ, ὃν ἡδονὴ οὐ διεχρήσατο. τῶν μὲν γὰρ ὑπὸ δηλητηρίων τοῦτο παθόντων ἔχωσι τὴν κατάγνωσιν οἱ ταῦτα συντεθεικότες καὶ δόντες, τῶν δ' ὑφ' ἡδονῆς τίς ἄλλος, ἢ ὁ δείξας ἑαυτὸν ἀνδράποδον ἡδονῆς.

ε'. Bonam corporis habitudinem labefactare, morboſamque inducere, ſæpe & perfectum corrumpere, nedum venena, ſed condimenta ciborum, potioneſque guſtum abripientes. Felicem ergo eſſe, cui minime venena nocent, ſed feliciorem, quem voluptas non conſumpſit. Illos quod venena lædant, culpam ſuſtinere qui venena compoſuerunt & miſcuerunt; horum damni quod a voluptate ſufferunt, ipſos eſſe in cauſa, qui mancipia ſe voluptatis eſſe oſtendunt

ϛ'.

Οὔπω τὸν κοσμικὸν ὁρῶμεν τροχὸν τῆς ἰδίας πεπαυμένον κινήσεως, ἀλλ᾽ ἔτι κινεῖται, καὶ κινήσεται πάντως ἄνω καὶ κάτω περιφερόμενος, ἕως ἂν ἄνθρωπος ἐπὶ γῆς, καὶ ἀνθρώπινα πράγματα. εἰ σὺ οὕτως ὁμολογεῖς, καὶ αὐτὸς, οἶμαι δ᾽ οὐ φεύγεις τὴν ὁμολογίαν, μὴ πάνυ σεαυτῷ πιστεύσῃς, μὴ δ᾽ ἐφ᾽ ὑψηλοῦ θαῤῥήσῃς μετεωριζόμενος. συμπεριενεχθήσῃ γὰρ καὶ αὐτὸς, τυχὸν εἰ καὶ μὴ ὑπὸ τῆς τῶν πραγμάτων περιπετείας, ἀλλ᾽ ὑπὸ τῆς κοινῆς περιφορᾶς, ἥτις σε πάντως κατενέξει πρὸς τάφον, οὗ τῶν ἐν ἀνθρώποις κάτω δοκούντων, οὐδὲν κατώτερον εὑρεθήσεται.

ϛ'. Mundanas viciſſitudines, rotam veluti quamdam eſſe, quæ ſemper moveatur, & nunquam ſit a motu ceſſatura; non debere ergo amicum, etſi in ſublime ſe ferri videat, ſtatui huic fidere; ſaltem enim a communi motu latum iri ad ſepulcrum, quo, eorum quæ inferna apud homines cenſentur, nihil inferius.

ζ'.

Εὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ, καθὼς ὀφειλόμενόν ἐστι περὶ τῆς ὑμῶν ὁσιότητος, [1] ἑκάσατο ἀναμανθάνοντες, καὶ τὴν κατὰ σοῦ μανίαν τοῦ μεμηνότος, ὡς ἀληθῶς, καὶ τὴν σὴν κατ᾽ ἐκείνου ἀπτόητον παῤῥησίαν, δι᾽ ἧς ὁ μὲν ἐνδύεται τὴν αἰσχύνην, λαμπροτέρα δὲ ἡ σὴ γνωρίζεται ἀρετὴ, καὶ δοξάζεται μὲν ὁ Θεὸς, χαίρει δὲ τῶν εὐσεβούντων τὸ πλήρωμα. μάλιστα δὲ ἡμεῖς οἱ ἐν

τοῖς

1 leg. ἑκαστάτω.

τοῖς σπλάγχνοις ἑαυτῶν, οἷα δὴ τόκον εὐγενῆ τῆς τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας περιφέροντες.[1] ποία γὰρ ἡμῖν ὑπὸ τῶν καθ᾽ ἑκάστην θλίψεων αἱ πολλαὶ καὶ βαρεῖαι κατὰ τῆς Ἐκκλησίας ἐπιφύονται κεκακωμένοις. οὐχὶ προσγίνεται ἄνεσις, καὶ παράκλησις λογιζομένοις τὴν διὰ σοῦ ὠφέλειαν τῷ ποιμνίῳ ὑπάρχουσαν τοῦ Χριστοῦ· ὡς σπαράσσει[2] μὲν ὁσημέραι οἱ κακοὶ θρασύνονται κύνες, ἡ δὲ σοῦ ἄγρυπνος φυλακή, ὅσοις ἐχαρίσθη τὸ σώζεσθαι, τούτους δι᾽ εὐλαβεῖς τῆς ἐκείνων ἀγριότητος συντηρεῖ. ἀλλ᾽ εἴης καὶ νῦν, καὶ διὰ παντός, πρὸς τὴν μακαρίαν ταύτην γρηγόρησιν ὑπὸ τοῦ μεγάλου ποιμένος ἐνισχυόμενος, καὶ σώζων, καὶ ἐπανορθούμενος, καὶ στηρίζων τοὺς ἑκάστους τύπων ἐν χρείᾳ καθισταμένους.

1 leg. ποῖα. 2 leg. ἐν σπαράγμασιν.

ζʹ. Gratias ſe agere Deo, quod contra alterius furorem, amici illius libertatem in loquendo cognoverit, de qua (altero pudore ſuffuſo) omnes lætari, ſe in primis, qui eum veluti filium complectatur. Ceterum aliis alias adjungi calamitates, nec conſolationem ſatis idoneam afferre ejus pro grege cuſtodiendo labores; optare tamen, ut illam vigiliam perpetuo ſervet, in qua a magno paſtore confirmetur.

ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΟΥ ΝΙΚΑΙΑΣ

ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ.

αʹ.

Αἰνίγματα πυθαγόρεια ἥκεις ἡμῖν φέρων, αὐτὸ γὰρ τὸ χρῆμα τῷ παλιμβόλῳ, καὶ ὡς οἷα δελέατι πρὸς ἡμᾶς παρορμᾶν στέλλεσθαι τὸν συνέστιον προφάσει δῆθεν δεσποτικῆς ἐξ ἀποστολῆς, οὐκ

ἄλλο τι

ἄλλο τι, ἢ ἀψινθίῳ μέλιτι παραρτύσας, καταναγκάζεις σπάσασθαι τὸν ἐπάρατον, εἰ μὲν οὖν ὀρθοῦν τι βούλει, ἢ μᾶλλον ἐπανορθοῦν, ἤδη γὰρ ὤρθωτο, εἰ καὶ παρεξάπει, ὄρθου καὶ τὴν χάριν εἰσόμεθα, εἰδ' ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο τι παρ' ὃ διὰ γλώσσης ἐκφέρεται, κεύθεται, αὐτόθεν ἕξεις τὸν ἔλεγχον, ποικίλος καὶ πολύτροπος, ἀντὶ μονοτρόπου φανεὶς, καὶ ἁπλοῦ.

α'. De amico queritur, quod per ænigmata, Pythagoreorum more, ſcribat, quodque, ſpecie quidem Apoſtolatus, domeſticum mittat, re ipſa vero abſinthium melle tegat; ſi dirigere quid velit, rem jam eſſe perfectam; ſi velit iterum id facere, ſe illi gratiam habiturum; ſin vero aliud lingua præferat, quam mente retineat, fore ut in reprehenſionem hominum incurrat, & ſubdolus audiat pro ſincero.

β'.

ΒΑΣΙΛΕΙΩι ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΩι ΚΟΡΙΝΘΟΥ.

Ἡ μακρά σου σιγὴ μὴ δεξιῶς πρὸς ἡμᾶς ἔχειν δίδωσιν ἐννοεῖν. καὶ εἴγε σκοπήσειας, ὠνήσαμεν, ὅση ἰσχὺς, εἰ καὶ τοῦτο εἰς τοὐναντίον ἡμῖν περιίσταται. ἀλλ' αὐτὸς ὅπως ἔχεις τὰ πρὸς ἡμᾶς ἔχε, καὶ οὐδὲν περὶ τούτου διοισόμεθα, ἑνὶ δὲ τούτῳ θεραπεῦσαι μὴ ἀνανεύσειας. φήμη τὶς πονηρὰ, καὶ ἀπαίσιος, ὡς μὴ ὤφελε τὴν ἡμῶν ἀκοὴν διεπέραξεν. ὡς ὁ τῆς ἡμετέρας πρόεδρος τῷ νόμῳ λειτουργήσας τῆς φύσεως ἀπῆρε πρὸς τὰ ἐκεῖσε δικαιωτήρια, καὶ εἰκὸς ἐστιν ἄνθρωπον ὄντα τοῦτο παθεῖν, ὅπερ ἀπεύχομαι γεγονέναι, εἰ καὶ μὴ χρηστῶς διετέθη τὰ πρὸς ἡμᾶς τὴν

τὴν σπάνιν τῶν ἀνθρώπων ὁρῶν, πλὴν ἀλλ' εἰ τ' ἀληθῆ διηγόρευσεν ἡ φήμη ἀξιοῦμεν τὴν ὑμῶν θεοφίλειαν μὴ κατὰ πολυὑστερον ἐκείνου προχειρίσασθαι, εἰ μὴ καὶ μᾶλλον κατά τε βίον καὶ λόγον, καὶ σύνεσιν, εἴπερ μὴ μέλλοις ἡμᾶς μὲν λυπεῖν, ἀφορμὰς αἰτιῶν δὲ διδόναι τοῖς θέλουσι, πρὸς δὲ πάντων βούλομαι Βασίλειον τὸν μοναχὸν, καὶ πρεσβύτερον χειροτονηθῆναι, ἄνδρα χρηστὸν καὶ πρᾶον, καὶ εὐηθῆ, καὶ θεοφιλῆ, καὶ συνετὸν, καὶ μοναχὸν ἐκ παιδὸς, καὶ τῷ γήρᾳ, καὶ τῇ ἀκτημοσύνῃ κοσμούμενον. εἰ δὲ μὴ πρὸς τοῦτο ἐκεῖνος κατανεύσῃ ἀπηλλάχθαι πραγμάτων βουλόμενος, τέως κἂν μὴ τὸ παλαιὸν ἔθος ἐκλωβήσασθε, ἀλλ' ὃν ἂν αἱ δύο πόλεις ἐκλέξωνται συμφωνήσασαι, τούτῳ τὸν τοῦ μεγάλου Πέτρου ἐγχειρίσασθαι θρόνον. καὶ γὰρ καὶ ἡ ἐφ' ἡμῖν φιλονεικία οὐκ ἄλλον, ἢ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον τῆς μακρᾶς συνηθείας, εἰ καὶ μὴ λίαν ἐστὶν εὐσεβὴς ἀντὶ νόμου τοῦτο κυρωσάσης, καὶ τὸ κράτος ἀπενεγκαμένης ἄχρι τοῦ νῦν.

β' Ex longo Baſilii ſilentio ſuſpicatur, illum non bene erga ſe eſſe animatum: ſi tamen rem bene perpendat, illum a ſe pro viribus adjutum; etſi aliud nunc videatur. Utcumque vero ſit affectus, id certe eum agere debere, ut quoniam infauſtus de Patriarchæ morte rumor advenit (quod accidere æquum eſt pati, incommodum vero propter idoneorum hominum penuriam), ſi quidem rumor is vera tulerit, quamprimum ordinet, quem vita, eloquentia, prudentiaque commendet; præ omnibus autem ſe velle Baſilium monachum & presbyterum, manſuetum hominem, recti ſtudioſum, affabilem, qui a puero in monaſtica vita & paupertate conſenuit; ſi ille abnuat, quod velit a negotiis ſe eſſe liberum, non ſane eſſe antiquam diſciplinam lædendam, ſed in quo duæ civitates conſentiant, hunc in magni Petri ſede collocandum: ad evitandas enim contentiones inductum jamdiu hunc morem, & toleratum.

γ'. ΘΕΟ-

γ'.

ΘΕΟΦΥΛΑΚΤῼ ΠΑΤΡΙΑΡΧῌ.

Δριμύ με καὶ χρόνιον ἡ τύχη ἐμβλέψασα, καὶ ὥσπερ ἀγανακτήσασα τοῖς παρ' ἐμοῦ ῥηθεῖσι σκώμμασι κατ' αὐτῆς ἠμύνατο κατὰ τὸ ἐνὸν τῆς ἡσυχίας ἀποστερήσασα, ἧς καὶ πάλαι τὸν πόθον ἐκεκτήμην πολύν. ἀλλ' εἰ μὲν εἰ οἷόν τε μαθέτω μὴ προσηκόντως βεβηλωμένη, οὕτω γὰρ καὶ τὸ φρούριον ἀνάλωτον τῆς ἐμῆς ποθεινῆς ἡσυχίας γενήσεται, καὶ τὸ κατὰ μονὰς ἐπ' ἐλπίδι κατῴκισάς με, μελετηθήσεται. εἰ δὲ μὴ τοῦτο, οὐδὲν διαμφιβαλῶ δεσποτικῇ κελεύσει πειθόμενος.

γ'. Torve ſe a fortuna aſpici, eamque quaſi iratam ob dictas in eam contumelias ſe ulſciſci, ablata quiete illa, quam adeo olim concupiverat; ſi fieri poteſt, diſcat, injuria hoc eam tentare: ſic præſidium deſideratæ quietis inexpugnabile futurum; hoc vero illi curæ futurum, qui ſe in ſpe condidit: ubi aliter accidat, Domini tamen voluntati acquieturum.

δ'.

ΘΕΟΔΩΡῼ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤῌ.

Τῇ συνέσει προσεπιγενομένη παιδεία, οὐ φαύλως τὸν ἔχοντα ὤνησεν, εἰ δὲ καὶ γνώμη μὴ πρὸς τὸ χεῖρον παρέποιτο ἀποκλίνουσα, τὸ τῆς συνέσεως στερρὸν ἐπεκύρωσεν. καλῶς οὖν αὐτὸς τῇ πρώτῃ παρὰ τῆς φύσεως κοσμηθεὶς, σπουδῇ τὴν δευτέραν προσ-

προσεπεκτήσω. ἥσε πρὸς τὸ εὔγνωμον ἐρύθμισεν ἀκριβῶς, ὃ καὶ τῷ χρόνῳ εἰς ἕξιν ἐλθὸν, τοὺς εὐεργέτας ἐπαίδευσεν, ἣ προσῆκεν ἀμείβεσθαι. τοῦτο πάντως κινούμενος ἐδεξιώσω τοῖς οἷς ἐδεξιώσω, ἐφ' οἷς τὴν προαίρεσιν οὐκ ἐπεμεμψάμεθα, ὅτι σοι μηδὲν πρόσεστι τοσαῦτα τῶν ἐκτὸς, ὡς ἀμιλληθῆναι ταύτῃ καὶ συνεπεκταθῆναι. ἔχου τοίνυν τῆς γνώμης ταυτησὶ τῆς ἐπαινετῆς ἵνα καὶ δεξιούμενος εὐφραίνῃς, καὶ μὴ δεξιούμενος μὴ λυπῇς.

δ'. Indoli accedentem inſtitutionem non parum adjumenti afferre homini; ſi autem voluntas ad pejus non vergens, comes accedat, confirmari indolis bonum. Bene igitur ipſum prima illa laude ornatum a natura, diligenter in altera acquirenda allaboraſſe, quæ illum ad æquitatem omnino conformavit; quæ æquitas tractu temporis ad habitum redacta, beneficos inſtruit, qua ratione gratiam rependere deceat. Hoc agitantem, iis rebus comiter excepiſſe, quibus excepit; ex quibus tamen ejus propoſitum non æſtimaverit, quia non adſint illi tanta ex his, quæ ſunt extrinſeca, ut invidenda & ſimul comparanda ſint. Habeat laudabilem hanc mentem, ut & humaniter excipiens oblectet alios, & non excipiens moleſtus ne ſit.

ε'.

ΠΟΛΥΕΥΚΤῼ ΠΑΤΡΙΑΡΧῌ.

Καὶ τῶν ἄλλων ἐστερημένῳ μοι τῶν ὅσα ζωῆς ἀφορμὰς ἐμπαρέχειν οἶδε, ἀνιά τις, οὐ γὰρ [1] ἀναγλήπως ἐπὶ τοῖς συμβαίνουσιν ἔχομεν, πρόσεστι. πολλῷ δὲ πλέον τῆς ὑμετέρας εὐχῆς, καὶ θέας, ἣν ἡμῖν ὡς ἔοικεν ἀπετείχισε τὸ πολὺ τῶν ἁμαρτιῶν, ὡς μηδὲ ῥήμασι πυθέσθαι τὰ καθ' ἡμᾶς τὸν οὕτω χρηστὸν, καὶ φιλάνθρωπον, οὐ μόνον ἐπὶ τοὺς εὔνους, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀλ-

1 f. ἀνεγκλήτως.

ἄλλως ὑπό τινος κατεχομένους [1] δυσνοίας, καὶ πρὸς τίνα τοῦ Θεοῦ ἀνθρώπου ἀποβλέψομεν; τίς ἡμῖν τὸ πλῆρες; ὁρᾷς ὅσον ὑποτεμεῖται τῶν συμφορῶν; εἰ δὲ πρὸς τῇ κατ' ὄψιν ὁμιλίᾳ, καὶ τῆς κατὰ ψυχὴν ἀπολειφθήμεν διαθέσεως, οὐκ ἐμοὶ τοῦτο λογίσασθαι τῷ διὰ πείρας ἔχοντι τὸ ἡμέτερον συνειδός, ὁπότε καὶ οἱ μὴ δι' ὄψει κατιδόντες ἡμᾶς ἐκ μόνης ἀκοῆς, εἰ καὶ μέχρι λόγου τῆς συμφορᾶς κατοκτειροῦσι [2]. σὸν δ' ἂν εἴη καὶ τὸ κατ' ὀφθαλμοὺς ἀγαγεῖν, καὶ παρακαλέσαι ταῖς ἡμῶν [3] σοφαῖς παραινέσεσι, καὶ συμβουλεῦσαι τὸ δέον, εἰ μὴ τοῦτο ἡμῖν ἀποξοπιάζει, μή πως καὶ λάθοιμεν εἰς ἀπογνώσεως βυθὸν τοῖς τοσούτοις λυπηροῖς ὀλισθήσαντες.

1 f. κατεχομένους. 2 κατοικτειροῦσι. 3 ὑμῶν.

ς'. Ceteris vitæ commodis cum careat, mœrore quodam angi (non enim vacare nos culpa in iis quæ accidunt); multo vero magis affligi, quod ejus precibus & conſpectu careat, quem juſte ſibi multitudo peccatorum, quaſi muro extructo, intercludit, ut ne verbis quidem cognoſcere res ſuas poſſit vir ita benignus atque humanus, non modo erga benevolos, ſed in malevolos etiam. Ad quem ergo oculos convertat? quis futurus ſit finis? Annon videt quantum calamitatis immineat? Si autem una cum collocutione, quæ coram fit, deſtituatur etiam animi affectione, ſe, qui qualis ſit animus ſuus experiatur, computare non poſſe magnitudinem calamitatis; quando illi qui ex ſolo auditu, non viſu hauſerunt, eam, licet tantummodo verbis, miſereantur. Ejus eſſe, & multa ante oculos ponere, & ſapientibus admonitionibus adhortati, & conſilium ejus præbere quod facere oporteat. Niſi, expiatis peccatis, quæ id impediant, conſequatur, metuendum eſſe, ne in deſperationis profundum hiſce angoribus tacite prolabatur.

ϛ.'

ΤΩι ΑΥΤΩι.

Τὸ πολύ μου τῶν συμφορῶν ὑποτέμνει τὸ τῶν ἐλπίδων χρηστόν, αἵ με καὶ μικρὰν ὑποτρέφουσιν, εἰ καὶ μὴ τὴν γαστέρα οἶδε βόσκειν ἐλπίς. οὐ γὰρ ὁ φύσει φιλάνθρωπος, καὶ συμπαθὴς βασιλεὺς εἰς ἄπειρον ἔτι κατ' ἀνθρώπου μηνιεῖ εὐτελοῦς, ἀλλὰ μιμήσεται τὸν τὸ κράτος αὐτοῦ δωρησάμενον, ὃς τὸν ἥλιον ἐπὶ τοῖς πονηροῖς ἀνατέλλει, καὶ ἀγαθοῖς. εἴγε καὶ τοσοῦτον ὤφθημεν αὐτοῦ πονηροί. ἀντὶ τίνος ἐγὼ τοῖς ἐχθροῖς ὑποχείριος, κἀκεῖνοι μὲν ἐπιτωθάσουσι, καὶ τὸ ἑαυτῶν κακόηθες θρέψουσι, καὶ ταῖς ἡμετέραις λιπανθήσονται συμφοραῖς. ἡμεῖς δὲ πένητα βίον βιώσομεν. ἀλλὰ διανάστηθι ὁ ἐμὸς μετὰ κυρίου κηδεμών, καὶ τῆς συνήθους ἀνάμνησον φιλανθρωπίας τὸν βασιλέα τοῦ μὴ ἀτημέλητον ἐᾶσαι ἄνθρωπον μηδὲν παρὰ τῆς αὐτοῦ βουλευσάμενον σωτηρίας. ἀλλ' ἀεὶ ἐπ' αὐτῷ ἐγκαυχώμενον. εἰ δὲ τοσοῦτον ἡμῖν αὐτὸν αἱ ἡμέτεραι ἁμαρτίαι ἐξεπολέμωσαν, καθεδούμεθα τὸ σκυθρωπὸν τῆς ψυχῆς, καὶ μέχρι τῶν ὄψεων φέροντες, καὶ θρηνήσωμεν, ὡς εἰκὸς τὸ ἀνελπίστως ἡμῖν συμπεσόν, καὶ Θεῷ τὴν εὐχαριστίαν ἀνοίσομεν τῷ τοῦ ἡμῶν προνοουμένῳ συμφέροντος.

ϛ Calamitatum magnitudinem ſpei utilitatem reſecare, quæ ſe multùm alat, etſi ventrem alere ſpes neſciat: non enim fore ut natura humanus & miſericors Rex in infinitum iraſcatur vili homini, ſed ut eum imitetur, qui potentiam ipſi dedit, quique ſolem ſuper bonos & malos oriri facit: ſiquidem malus ipſe illi ſit viſus. Alicujus ſe gratia in poteſtatem inimicorum redactum eſſe; ſibi illos irriſuros; eorum ipſorum malignitatem alituros, ſuis gaviſuros

ſuros eſſe ærumnis ; ſe vero inopem vitam traducturum . Exurgat ſuus ergo cum Domino affinis , humanitatem illam Regi in mentem revocet, ut vilem hominem abire ſinat , qui nullum iniit contra ipſius ſalutem conſilium ; pro ſecundis vero ipſius rebus ſemper lætatus eſt . Quod ſi ſua adeo contra ſe illum peccata incitarunt , futurum ut perpetuo animi mœrore angatur , eumque ad oculos uſque perducens, lugeat id quod contra ſpem accidit , Deoque habeat gratiam , quæ ipſius videat calamitatem .

ζ'.

ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΩι ΒΑΣΙΛΕΙ.

Ἀπείρηκα δέσποτά μου καὶ Βασιλεῦ ταῖς κακώσεσι καὶ οὐχ οἷός τε εἰμὶ πρὸς τοσαύτην ἀντέχεσθαι φορὰν πειρασμῶν . λαβὼν οὖν οἶκτον τῆς ἐμῆς δυστυχίας ἕνα με τῶν κειμένων ποίησον ἐλευθερώσας ταυτησὶ τῆς ὀδυνηρᾶς βιοτῆς , καὶ τοῦτ' ἀντ' εὐεργεσίης[1] μοι μεγάλης γενήσεται . οὐκ ἐρῶ δόξης , ἢ πλούτου , ἢ τῶν ὅσα παρὰ τῆς ὑμῶν μεγαλοδώρου δίδοται δεξιᾶς , ἀλλ' ἀντ' ἐκείνων θανάτου τοῦ ἐμοὶ αἱρετοῦ . καὶ οἶδ' ὅτι φήσεια βαρὺ , καὶ παρὰ τὴν σὴν εἶναι φύσιν τὸ αἰτηθέν . ὅτι μηδὲν ἄλλως τοῦτο παρ' ὑμῶν διενήργηται , ἀλλὰ καταναγκάσας σαυτὸν μικρὸν ἐκχαθέσθαι[2] τοῦ συμπαθοῦς , ἐπ' ἐμοὶ πρώτῳ , καὶ μόνῳ τοῦτο ἐπίνευσον . οἴκτειρον ἄνθρωπον θανατῶντα , καὶ τὸ τῆς λύπης ἀπεστραμμένον χωείον . τί γὰρ δεῖ ζῆν οὕτω πράσσοντα κακῶς καὶ βαρυδαιμόνως , ὡς ὁρᾷς , καὶ ὅσαι ὧραι ἀποβιοῦντα , τοῦ μᾶλλον[3] ἢ στέρεσθαι τῆς κατ' ὄψιν σοῦ θέας , καὶ τῆς ἄλλως προνοίας , ὃν κρεῖττον ἅπαξ ἀποθανόντα λυθήσεσθαι τῶν καθ' ἡμέραν δυσχερειῶν , οὐκ ἀποκλαύσομαι κτήματα χρήματα περιφάνειαν ,

ἀλλ

ἀλλὰ τῇ συντρόφῳ πενίᾳ, καὶ ἀδοξίᾳ περισταλεὶς ἀπελεύσομαι πρὸς ἀγαθὸν δεσπότην, ᾧ καὶ αὐτὸς ἐξωμοίωσαι, καὶ τ᾽ ἀπίχειρα [4] πάντως τῶν ἐμῶν ἀπολήψομαι καμάτων καὶ πέως καταγελάσομαι τῶν ἐχθρῶν, καὶ τῶν συκοφαντῶν καταρχήσομαι, καὶ ἐπὶ τῷ ψεύδει τὴν ἐλπίδα θεμένων, καὶ προσδοκώντων δι᾽ αὐτοῦ σκεπαζήσεσθαι.

1 f. εὐεργεσίας. 2 f. ἐγκαταθέσθαι. 3 τὸ μᾶλλον δέ.
4 f. ἐπίχειρα, id. ἐπὶ χεῖρα.

ζ΄. Calamitatibus factum eſſe, ut deſponderit animo, & tentationum vi ſuſtinendæ impar ſit; Conſtantinum ergo rogat, ut ſuæ miſertus infelicitatis, unum ſe faciat ex mortuis, liberetque ab hac vita dolorum plena; id ſibi magni beneficii loco futurum: ſe gloriam non appetere, non divitias, non quæcumque munifica ejuſdem dextera dona elargitur; ſibi pro his mortem appeti; noſſe ſe durum aliquid dixiſſe, & poſtulationem interpoſuiſſe contrariam ejus naturæ, quodque aliàs factum non eſt: nihilominus vim ſibi inferens, pauliſper miſericordiam deponat, & de ſe primùm, ſolùmque hoc annuat; miſereatur hominis qui mortem cupit, doloris vero locum avertſatur: quid enim oporteat, hominem tam male tamque infeliciter, ut videt, & continuò exſpirantem, vivere? vel conſpectu ejus potius & prudentia orbari, quem melius ſit omnino morientem a quotidianis calamitatibus liberari: non defleturum ſe poſſeſſiones, pecuniam, gloriam, ſed paupertatem, quæ ſecum veluti crevit; atque ignobilitate veluti ornatum rediturum ad bonum Dominum, cui ipſe quoque ſimilis factus ſit; facile abſtractum ſe iri omnino a calamitatibus ſuis, tuncque irriſurum inimicos, & ſycophantas, gaviſurumque de illis, qui ſpem in mendacio ponunt, expectantque ut protegi ſe ab illo poſſint.

η΄.

ΝΙΚΗΤᾼ ΜΟΝΑΧῼ ΣΠΑΘΑΡΙῼ ΚΑΙ ΚΟΙΤΩΝΙΤῌ.

Εἴτις ἐδωρεῖτό μοι τάλαντα χρυσίου τόσα, καὶ τόσα, οὐκ ἂν οὕπως με διέθηκεν εὔθυμον ὡς αὐτὸς ἐφ᾽ οἷς ἐνειργάσω ὅλον ἐμὲ ἀναθεωρῶν ἐν σεαυτῷ. τί

ſuros eſſe ærumnis ; ſe vero inopem vitam traducturum . Exurgat ſuus ergo cum Domino affinis , humanitatem illam Regi in mentem revocet, ut vilem hominem abire ſinat , qui nullum iniit contra ipſius ſalutem conſilium ; pro ſecundis vero ipſius rebus ſemper lætatus eſt . Quod ſi ſua adeo contra ſe illum peccata incitarunt , futurum ut perpetuo animi mœrore angatur , cumque ad oculos uſque perducens, lugeat id quod contra ſpem accidit , Deoque habeat gratiam , quæ ipſius videat calamitatem .

ζ'.

ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΩι ΒΑΣΙΛΕΙ.

'Απείρηκα δέσποτά μου καὶ Βασιλεῦ ταῖς κακώσεσι καὶ οὐχ οἷός τε εἰμὶ πρὸς τοσαύτην ἀντέχεσθαι φορὰν πειρασμῶν . λαβὼν οὖν οἶκτον τῆς ἐμῆς δυστυχίας ἕνα με τῶν κειμένων ποίησον ἐλευθερώσας ταυτησὶ τῆς ὀδυνηρᾶς βιοτῆς , καὶ τοῦτ' ἀντ' εὐεργεσίας [1] μοι μεγάλης γενήσεται . οὐκ ἐρῶ δόξης , ἢ πλούτου , οὐ τῶν ὅσα παρὰ τῆς ὑμῶν μεγαλοδώρου δίδοται δεξιᾶς , ἀλλ' ἀντ' ἐκείνων θανάτου τοῦ ἐμοὶ αἱρετοῦ . καὶ οἶδ' ὅτι φήσεια βαρὺ , καὶ παρὰ τὴν σὴν εἶναι φύσιν τὸ αἰτηθέν . ὅτι μηδὲν ἄλλως τοῦτο παρ' ὑμῶν διενήργηται , ἀλλὰ καταναγκάσας σαυτὸν μικρὸν ἐκχαθέσθαι [2] τοῦ συμπαθοῦς , ἐπ' ἐμοὶ πρώτῳ , καὶ μόνῳ τοῦτο ἐπίνευσον . οἴκτειρον ἄνθρωπον θανατῶντα , καὶ τὸ τῆς λύπης ἀπεστραμμένον χωρίον . τί γὰρ δεῖ ζῆν οὕτω πράσσοντα κακῶς καὶ βαρυδαιμόνως , ὡς ὁρᾷς , καὶ ὅσαι ὧραι ἀποβιοῦντα , τί μᾶλλον [3] ἢ στέρεσθαι τῆς κατ' ὄψιν σοῦ θέας , καὶ τῆς ἄλλως προνοίας , ὃν κρεῖττον ἅπαξ ἀποθανόντα λυθήσεσθαι τῶν καθ' ἡμέραν δυσχερειῶν , οὐκ ἀπολαύσομαι κτήματα χρήματα περιφάνειαν ,

ἀλλα

ἀλλὰ τῇ συντρόφῳ πενίᾳ, καὶ ἀδοξίᾳ περισταλεὶς ἀπελεύσομαι πρὸς ἀγαθὸν δεσπότην, ᾧ καὶ αὐτὸς ἐξωμοίωσαι, καὶ τ' ἀπίχειρα [4] πάντως τῶν ἐμῶν ἀπολήψομαι καμάτων καὶ πέως καταγελάσομαι τῶν ἐχθρῶν, καὶ τῶν συκοφαντῶν κατορχήσομαι, καὶ ἐπὶ τῷ ψεύδει τὴν ἐλπίδα θεμένον, καὶ προσδοκώντων δι' αὐτοῦ σκεπαζήσεσθαι.

1 f. ἐνεργεῖν. 2 f. ἐγκαταθέσθαι. 3 τὸ μᾶλλον δέ.
4 f. ἐπίχειρα. id. ἐπὶ χεῖρα.

ζ'. Calamitatibus factum eſſe, ut deſponderit animo, & tentationum vi ſuſtinendæ impar ſit; Conſtantinum ergo rogat, ut ſuæ miſertus infelicitatis, unum ſe faciat ex mortuis, liberetque ab hac vita dolorum plena; id ſibi magni beneficii loco futurum: ſe gloriam non appetere, non divitias, non quæcumque munifica ejuſdem dextera dona elargitur; ſibi pro his mortem appeti; noſſe ſe durum aliquid dixiſſe, & poſtulationem interpoſuiſſe contrariam ejus naturæ, quodque alias factum non eſt: nihilominus vim ſibi inferens, pauliſper miſericordiam deponat, & de ſe primùm, ſolùmque hoc annuat; miſereatur hominis qui mortem cupit, doloria vero locum averſatur: quid enim oporteat, hominem tam male tamque infeliciter, ut videt, & continuò exſpirantem, vivere? vel conſpectu ejus potius & prudentia orbari, quem melius ſit omnino morientem a quotidianis calamitatibus liberari: non defleturum ſe poſſeſſiones, pecuniam, gloriam, ſed paupertatem, quæ ſecum veluti crevit; atque ignobilitate veluti ornatum rediturum ad bonum Dominum, cui ipſe quoque ſimilis factus ſit; facile abſtractum ſe iri omnino a calamitatibus ſuis, tuncque irriſurum inimicos, & ſycophantas, gaviſurumque de illis, qui ſpem in mendacio ponunt, expectantque ut protegi ſe ab illo poſſint.

η'.

ΝΙΚΗΤΑι ΜΟΝΑΧΩι ΣΠΑΘΑΡΙΩι ΚΑΙ ΚΟΙΤΩΝΙΤΗι.

Εἴτις ἐδωρεῖτο μοι τάλαντα χρυσίου τόσα, καὶ τόσα, οὐκ ἂν οὕτως με διέθηκεν εὔθυμον ὡς αὐτὸς ἐφ' οἷς ἐνειργάσω ὅλον ἐμὲ ἀναθεωρῶν ἐν σεαυτῷ.

τί γὰρ ἂν ἄλλο βουλοίμην, ἢ τὸν ἐμὸν Νικήταν ἐν τοῖς ἐμοῖς εἶναι ἄλλον ἐμὲ, πλὴν ὡς ἔοικεν μικρολογον ὑπολαμβάνων με, σμικρολόγον[1] ἐποιήσω, καὶ τὴν τῶν ἰχθυων ἀνάληψιν. εἰ γὰρ καὶ πᾶσαν ἐχρήσω δεσποτικῶς ὡς ἐγὼ[2], μᾶλλον ἂν ἐθεράπευσας, δεικνυς ἀπανούργευτον, καὶ καθαρὰν τοῖς ἀγνοοῦσι τὴν πρὸς ἐμέ σου διαθεσιν. εὖγε χάρις, εὖγε φιλίας, εὖγε πνεύματος, συνδεσμος, οὕτω μοι διαμένοις ἀεὶ καὶ παρὼν, καὶ ἀπὼν ὑπὸ τῆς θείας σκεπόμενος χάριτος.

1 *Legendum omnino videtur μακρολόγον.*
2 *Ita hic corrupta omnia, ut ſenſum elicere non poſſim.*

κ′. Si quis auri talenta multa donaret, non ita affectum ſe iri lætitia, ut ipſe, iis quæ feciſſet, ſe ipſum in amico ſpectans. Nec ſe malle aliud, quam Nicetam ſuum, alterum ſe inter ſodales ſuos reperiri; loquacem cum ſuſcepiſſet, taciturnum reddidiſſe, veluti ex piſcibus aliquem. Si domini more ſecum agat, nulli ſe malle ſervire, ac declarare iis, qui neſciunt, promptam ſinceramque ejus erga ſe benevolentiam: magnam gratiam, magnum amicitiæ & ſpiritus vinculum; optare ut ſibi ſemper præſens atque abſens Divina ope incolumis conſervetur.

α′.

ΤΩι ΝΟΜΟΦΥΛΑΚΙ.[1]

Ρανὶς φησὶν ἐνδελεχοῦσα πέτραν κοιλαίνει[2], θεσπέσιε δέσποτα, ἡμεῖς δέ σου τῇ μεγαλοπρεπείᾳ νειλῴους ὅλους καταῤῥάκτας τῶν ἐπιστολῶν ἐπικλύσαντες, καὶ διὰ τοῦτο μικρῶν ἀξιωθῆναι συλλαβῶν αἰτησάμενοι, καὶ πέτρας ἀποκρότου πρὸς τοῦτο ἀμαλακτότερον[3] εὕρομεν. εἰ μὲν οὖν ὦσι πεπαρῳνηκότας οὕτω κολάζεις ἡμᾶς· οὐκ ἔχομεν γινώσκειν τὴν παροινίαν, οὐδὲ τὸ ταύτης εἶδος ὅ, τί ποτέ ἐστι· τὴν γὰρ εἰς σὲ λα-

λατρείαν καὶ δουλικὴν εὔνοιαν ἀκραιφνεστάτην ἀρχῆθεν καὶ μέχρι τοῦ νῦν τετηρήκαμεν. εἰδ' ὡς ἀναξίους τῶν θείων καὶ ἱερῶν σου φωνῶν ἀποστερεῖς τῆς τύπων ἐντεύξεως. σύμφημι μὲν καὶ αὐτὸς, καὶ μάρτυρας καλῶ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν· ὡς ἀνάξιος τῆς σῆς μεγαλοφυοῦς διανοίας καὶ γλώττης ἐγώ· πλὴν ἀλλὰ τοῦ σοῦ τὸ μετριοπαθὲς ἐκεῖνο καὶ ἡ Χριστομίμητος συγκατάβασις. οὐκ αἰτοῦμεν σε χρυσὸν, οὐδὲ ἄργυρον, οὓς οὐκ ἔχομεν, οὐδὲ μὴ ἔχοντες ἐζητήσαμεν, ἀλλὰ λόγους οὓς συνεζητήσαμεν, δι' οὓς τὴν ἐθελούσιον πενίαν κατακεκρίμεθα, καὶ τῶν τῆς χρυσῆς σου γλώττης ψηγμάτων ἀντιβολοῦμεν μεταχεῖν, ὧν ἀποστερίσκων ἡμᾶς τῷ καιριωτάτῳ ἴθι ἀποστερίσκειν, καὶ ὧν φθονῶν, τοῦ τὸ τάλαντον κατορύξαντος ἐννόει τὸ ἐπιτίμιον. κεφάλαιον τοῦ λόγου, ἢ μ' ἀνάειρε ἢ σ' ἀναείρω [4], καὶ ἢ μεθ' ἡμῶν γενοῦ, ἢ μετὰ σοῦ ἡμᾶς συμπαράλαβε.

1 *Sunt hæ poſtremæ epiſtolæ tres Theodori Prodromi, qui eidem Nomophylaci alias ſcribit, & ex iis, quas ſuperiore volumine vulgavimus, decimamtertiam, ubi nomen exprimitur* Ariſteni, *id.* Alexii Ariſteni, *de quo vide Præfationem ad eas epiſtolas pag.* 12.

2 Πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείη. *Celebris Chœrili verſus apud Simplicium Comm. in lib. 8. Phyſ. de quo verſu, & auctore Chœrilo Muretus Var. Lect.* XII. 14., *ſcribens, multos magnoſque habuiſſe imitatores, ut Lucretium lib.* IV. Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa? *Tibullum lib.* I. Longa dies molli ſaxa peredit aqua, *Ovidium IV. de Ponto* Gutta cavat lapidem &c.

3 *Fort.* ἀμαλθακτότερον, *ſive* ἀμαλακότερον.

4 *Homericum eſt Iliad.* XXIII. *v.* 724. ἢ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ.

4. Jugem guttam lapidem cavare: ſe vero cum in illum Niliacas veluti totas cataractas epiſtolarum provolverit, petens ut paucas ab eo ſyllabas auferre poſſet, vel ſaxo duriorem expertum eſſe: ſi ſe quaſi petulantem puniat; cujus generis petulantia iſta ſit, ſe quidem intelligere non poſſe; ſe enim illum ſervi inſtar obſervaſſe. ſi autem ille hoc faciat, quod ſe indignum judicet cui ſcribat; in eo quidem conſentire, & teſtes hujuſce rei cœlum terramque appellare;

deſiderare ſe tamen ejus animi moderationem demiſſionemque, qua Chriſtum imitetur. Se non aurum, non argentum poſtulare, etſi his careat, ſed mutuos ſermones illos, per quos ſe voluntariæ paupertati addixit, veluti ramenta aurea linguæ, quæ ſibi ſi invideat, cogitare debeat defoſſi talenti pœnam: ſummam facit illud Homeri „ vel tu me tolle, vel ego te „ .

Ceterum ex ultima parte hujus epiſtolæ colligere mihi poſſe videor, de quo in Præf. dubitaveram, monachum fuiſſe Prodromum, & Ariſteni potiſſimum ſuaſu monaſticam vitam & paupertatem amplexum eſſe.

β'.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.....

Οὐκ ἔγωγ' ἔλεγον ὅτι δεινὸς οὗτος ἀνὴρ καὶ πέρα τοῦ μέτρου δικανικὸς καὶ φιλοκατήγορος, οὔσγε καὶ ἡμῖν ἀφιλίαν ἐπεκερτόμησε καὶ ταύτην τὴν πρὸς αὐτὸν τοῖς ἀναπνέουσι τῆς φιλίας πολλῷ πλέον ἢ τὸν ἀέρα. ὁ δὲ, τοῦτ' ἐκεῖνο φησιν, ὃ πρὸς τὴν ἅμαξαν οἱ βόες [1], δίκαιος ὢν πρὸς ἡμῶν ἀφιλίας ἐγκληθῆναι. γραφὴν γὰρ μὴ κοινοῦσθαι τοῖς φίλοις, φθάνει κατηγορῶν ὑπὲρ αὐτοῦ τούτου ἡμᾶς καὶ ὑπευθύνους τοῦ σφετέρου δεικνύει ἐγκλήματος. καίτοι εἰ μήπωτα φρένας αἱ ποιητικαὶ ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο, δέκα πρὸς ταύτῃ ἐπιστολὰς ἡ προδρομικὴ [2] χεὶρ τῷ φιλτάτῳ χανδρῆν [3] ἐνεχάραξεν. ὁ δὲ ἢ ἑκὼν, ἢ ἄκων ἄχθεται ὑπὲρ ὧν, ὡς γράφει, οὐκ ἀπεστάλκαμεν. βάλλ' ἐς μακαρίαν [4] ὦ οὗτος ἐπὶ τεμμαχίου μὰρ [5] μικροῦ τῆς σχεδίας [6] λέγω τῶν σῶν γραμμάτων τὸν Ὀδυσσέα ὁρῶν ἐμὲ διαπιστεύοντα τὴν ζωὴν, καὶ γυμνὸν παλαίειν ἠναγκασμένον τοῖς κύμασι, σκάφος αὐτὸς αἰτεῖς κάρτερον καὶ γενναῖον, ἀγκύρας δὲ μάλα καλὰς καὶ λεπτὴν ὀθόνην καὶ ἱστὸν καὶ κεραίαν δι' ἐργῆ τὰ πάντα προβεβλημένον.

1 *Ap. Diogenian. Cent.* III 54 βοῦς ἐπὶ ζυγόν, ἐπὶ τῶν μοχθούντων. *Ita & Suidas Cent.* IV. *n.* 55. *ex recenſ. Schotti*.

2 *Manifeſtum eſt luſum in nomine proprio ſuo atque altero appellativo, quod antevertere ſignificat, eum quærere; verumque eſt, priorem ipſum amico ſcribſiſſe.*

3 *Vix Græcam eſſe ullam talem vocem puto: an hæc librarii errore facta ex* ἀνδρί?

4 *Per* εὐφημισμὸν *nimirum Græci ita dicunt, quod Latini* in malam rem, malam crucem &c.

5 *Et hanc quoque ignoro Græcam vocem, nec unde, aut quomodo facta ſit, habeo dicere.*

6 *Eſt hæc ex paullo audacioribus Prodromi allegoriis, qua* fruſtulum ratis tumultuarie conſtructæ *appellat brevem amici epiſtolam*; navim bene compactam & inſtructam, *multas & longas ſuas*. *Cod. Vat.* 252. *bis hanc epiſtolam habet: poſt alias* Prodromi *pag.* 205. *poſt Neophyti monachi quaſdam pag.* 213.

β'. Dictum a ſe jam fuiſſe, moleſtum eſſe illum, veteratoremque in primis & criminoſum hominem, qui animum ab amicitia alienum ſibi exprobret, qui amicitiam magis quam aerem ſpirat. Sic ergo facere, quod eſt in proverbio de iis qui injuria alteri fiunt moleſti „ plauſtro boves „ & cum de neglecta amicitia accuſandus ipſe ſit, ſe accuſare. Niſi enim erret, & ſibi mentem Poeticæ harpyæ abripuerint, decem epiſtolas Prodromica manu exaraſſe; ipſum vero de epiſtolis non ſcriptis dolere. Eat igitur cum fruſtulo illo ſuo navis tumultuario opere confectæ, videnſque ſe quaſi alterum Ulyſſem cum fluctibus luctari coactum, qui etiam omnia projecerit, ne petat navim validam & firmam, optimis anchoris, carbaſeo velo, malo, antenniſque bene inſtructam.

γ'.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΤΩι ΕΥΘΥΜΙΩι.[1]

Εἶτα τοσοῦτον τῇ ψυχῇ μου χάρον[2] καταχεάμενος, καὶ τηλικοῦτον μοι κρατῆρα θλίψεως κερασάμενος, καὶ οὕτω τῇ λύπῃ μεθύσας μου τὸν ἐγκέφαλον ἐφ᾽ οἷς ἔφης πάσχειν ἀνιαροῖς. ἐγρηγορότος ἔργα καὶ νηφαλίου με ἀπαιτεῖς καὶ παρηγορητικοὺς, ἀξιεῖς διαχαράττειν σοι συλλαβὰς πολὺ τὸ μέλι προβεβλημένας, καὶ τοῦ τῆς ἀνίας πικροῦ ἀντιστράτηγον. ὄντως ὅλην ἐβαπτίσθης τῇ συμφορᾷ τὴν καρδίαν ὡς ἀγνοῆσαι τὸ μὲν

παρηγορεῖν τῶν ἔξω τοῦ πάθους ὑπάρχειν. τὸν δὲ Πρόδρομον, αὐτὸν τυγχάνειν Εὐθύμιον, καὶ μηδὲν τῶν κατ' ἐκεῖνον χαρμονικῶν τε καὶ λυπηρῶν ἀλλοτριοῦν ἑαυτοῦ. καίτοι τίς ἂν εἴη λόγος μὴ σοῦ πλέον ἡμᾶς τοῦ παρηγορήσοντος δεῖσθαι. σοὶ μὲν γὰρ καὶ αὐτὸ τὸ τῆς μεταβολῆς σχῆμα, μέγα μέρος πρὸς ἡδονὴν συντελεῖ· τοῦτον οὐ μόνον τῷ ποιητῇ, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ μαρτυρούμενον. οὔπω γὰρ καὶ περὶ τοὺς ταὼς πολλάκις καὶ τοὺς γεράνους διὰ τὸ συνῆθες τῆς τροφῆς δυσορεκτοῦντες [3], καὶ σικχάζοντες [4], κάρδαμον εἰ τύχῃ καὶ θύμον μεταβαλόντες, ἡδέως ἔθομεν. καὶ [5] ἀγέλας περιέρχῃ καὶ, λεωφόρους, αἷς οὐκ ἐνδιατέτριφας καὶ λουτροῖς περιρραίνῃ τὸ σῶμα, οἷς οὔποτε περιερράνθης. καὶ τἄλλα τῆς μεταβολῆς αὐχεῖς ἀγαθά. ἔτι δὲ καὶ τῷ τοῦ δεσπότου θρόνῳ [6] ἐνυπτιάζων .... τιθεὶς τὸν πῆχυν παρίστασαι, καὶ τοὺς τῆς γλώττης ἐκείνου πυρίνους τροχοὺς κατα... οὓς ὀσῶραι κλέπτεις κυλιομένους καὶ τῶν θεσμοδοτημάτων [7] ἀκούεις παπαὶ ὁπόσῳ παρηρτυμένων τῷ τῆς ἀστειότητος ἅλατι. καὶ δειπναρχεῖς τοῖς φίλοις καὶ τὰ ἴσα παρ' ἐκείνων ἀντιλαμβάνεις ἀσπάρτων περὶ τῆς ἀρχῆς ἀπολαύων καὶ ἀνηρότων τῶν ἀγαθῶν [8]. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἱππάζῃ δεῆσαν καὶ κυνηγεθεῖς καὶ θηρεύεις, ἵνα μὴ καὶ τὴν δημώδη παροιμίαν παρεισκυκλῶ τὴν τὸ τρέχον ὕδωρ μὴ ὀδωδέναι διδασκήσασαν. τοσούτοις σχέτλιε τοῖς ἀγαθοῖς περιβρείθων καὶ τηλικούτων ἀτυχημάτων ὢν κατακώχιμος. ἔπειτα θρύπτει καὶ ἀκκίζει περὶ ἐμὲ καὶ ὅλην [9] ὥσπερ σοὶ κατὰ κεφαλῆς λελαζδέσθαι τὸν ἄθων ἢ τῆς μετὰ λείας τὸ βαρὺ κατακεκλεῖσθαι λειτούργημα, ἢ τῷ τοῦ ἐξιο-

ἰξίονος τροχῷ προσδέδεσθαι ἢ ἀλλὰ τὰ πάσχειν τῶν ἀμηχάνων κακῶν, καὶ παραμυθείους [10] λόγους ἐπὶ τούτοις αἰτεῖς ἐξ ἡμῶν. μὴ σύγε, ὦ βέλτιστε, μᾶλλον μὲν οὖν σὺ τοὺς τοιούτους ἡμῖν [11] ὁσῶραι πέμπων μὴ [12] ἀπαυδήσῃς, οὐκ ἀγανακτήσομεν πρὸς αὐτοὺς κἂν οἱοιδήποτε [13] ὦσιν. ἔσονται δὲ πάντως τῆς ἡμῶν φυτουργίας καρποὶ οὐκ ἀνάξιοι. κέλητας ἀκριβῶς νομίσωμεν κἂν πεζεύωσι, καὶ πεισθῶμεν αὐτοῖς καὶ ὡς γέροντας αἰδεσθῶμεν κἂν οὔπω καὶ [14] γενειάσκωσιν. ἴσθι γὰρ ὡς ἐν τῷ τῆς κοιλιάδος ἔτι κλαυθμῶνι [15] περικαθήμεθα. καὶ οὔπω διακοπὴν ἡμῖν οὐδεμίαν εἴληφε τὰ δεινά. εἰ δὴ πᾶν τὸ συνεχίζον καὶ θαμίζον περί τινα κἂν ἡδύτατον ᾖ, προσκορὲς καὶ ἀηδές πως ἐστὶ τῷ μετέχοντι δίδωσί σοι ὁ λόγος σκοπεῖν, πόσην αὖ ἔχῃ τὴν ἀηδίαν τὸ καὶ συνεχὲς καὶ πικρὸν ὁποίων πολλῶν τῶν δεινῶν ἡ ἐμὴ ψυχὴ καθέστηκεν ἐργαστήριον ἐνὶ μόνῳ τούτῳ τοῖς τῶν φίλων ἀτυχήμασιν ἀναψύχουσα. εἴγ' οὖν καὶ τοῦτο ἀφαιρεθείη. ἅρπυιαι [16] τοῦ λοιποῦ τὰ κατ' ἐμὲ λαβοῦσαι φερέτωσαν. ἀλλὰ μὴ εἴη τοῦτο Χριστὲ βασιλεῦ· ἀλλ' ἀποχοίμην ἐπεὶ οὐκ ἐμαυτοῦ τοῖς γοῦν φίλοις καὶ τῇ καλῇ ἑταιρείᾳ καὶ μάλιστά γε τῷ Εὐθυμίῳ, ἵν' ἐπαληθεύῃ τούτῳ τὸ ὄνομα. εἴη σοι τέκνον ὑγεία καὶ προκοπὴ καὶ πρὸς ἡμᾶς μετὰ ῥαστώνης ἀσφαλοῦς ἐπανάζευξις.

1 *Habetur hæc epiſtola in cod. Vaticano Ottobon. CCLII. pag. 204. nec multo tamen correctior, quam in noſtro.* 2 *Leg.* καταχευάμενοι.

3 *Fort.* δυσοριχθοῦντες. 4 *Leg.* συγχάζοντες.

5 *Neſcio quid hic faciat, ut admittere debeamus* ἀγελάς, *itaque reſtituere malo, & interpretatus ſum* ἀγοράς.

6 *Suſpecta mihi eſt hæc altera vox* ἐνυπτιάζων: *quid enim eſt ſupinum adorare? atque hic corruptus eſt Vaticanus codex, noſterque lacunam habet;*

bet ; credo tamen ſequi debere ἐπιτιθεὶς , *vel* καὶ ἐπιτιθεὶς ; *atque in altera lacuna* καταπραυσῦς : *quid vero eſt* ὀσῶραι ? *an legendum* ὡς ὧραι ? aſſidue , ſemper ? *ut* ὡς ἡμέραι . 7 *Leg.* θεομεδοχημάτων .

8 *Homer Odyſſ.* ιx. *v.* 109. Ἀλλὰ τάγ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται . *Vid. & v.* 123. 9 *Legendum puto* ὅλον . 10 *Leg.* παραμυθητικούς. 11 *De hac voce ſuperius not.* 6. 12 *Fort.* ἀπαιδεύτοις .
13 *Lege* οἷοι δήποτε . 14 *Leg.* γιννάζωσιν .
15 *Suſpicor ita reſtituendum eſſe hunc locum , legendumque* ἐν τῇ τοῦ κλαυθμῶνος ἔτι κοιλάδι , ſcia enim uoa adhuc in lacrymarum valle ſedere .
16 *Leg.* τοῦ λοιποῦ τῶν κατ' ἐμέ .

γ'. Nihil eſſe , quod a ſe poſtquam ſtuporrm in animum infudir , & craterem vrluti acerbitatis propinavit , caputque inebriavir doiore , mœrorem ſuum narrans , exigat conſolarorias litteras , adverſus mœroris amaritiem melle perfuſas , vigilantia & ſobrii hominis opus ; eorum eſſe alios conſolari , qui ægritudine ipſi vacant , a ſe *Prodromo* , ut *Euthymius* ſit , injuria poſtulari ; ſibi potius utendum eo conſolatore , cui mutatio ipſa magnam partem ad lætitiam vergat ; quod non poeſi ſoium, ſed operibus reſtetur . Ita accidere ſæpe, ut pavones & grues , quod iis aſſidue veſcamur , faſtidiamus ; naſturtium vero, ſi in manus incidat , & agreſtem cæpam libenter edamus . Illum nunc fora, & frequentes vias , quod olim non faciebat , circuire ; iavationibus , quibus non inſueverat , uti; aiiiſque gloriari poſſe, quæ mutatio intulit bona : præterea domiui throno accidere , atque ei ulnas imponentem adſtare , necnon ipſius linguæ ignitos ac rotatos ſermones urbanitatis ſale conditos continuo ſuffurari; convivia amicis præbere ; ab iiſque invitari, fruendo bonis nec ſatis nec ſatis; Item Illum equitare, ſi ſit opus, canibus deiectari , venari, ut uſurpari vulgaris parœmia poſſit „ aquam quæ prætetfluit male nunquam olere „ . Tantis felicitatibus detentus , cur ludit , & ſimulatione ſecum utitur ? neque fractum ac debilitatum oſtendit , veluti ſi rapiti Atho mons incumberet , aut cum mancipiis grave onus ſuſtinere deberet , aut Ixionis rotæ alligaretur , vel aliud pateretur immanium maiorum . Cur ſermones conſolatorios poſtular ? Ejus eſſe id munus : neque illos diſpiicituros , etſi ſoli mittantur : quamquam eſſent pedeſtri ſermone ſcripti , illos peditea , quaſi velocium , & deſultoriorum equorum numero ſe habiturum , eoſque reveriturum veluti ſenili ætate , licet nondum pubeſcant ; ſe in lacrymarum valle ſedere , nulla accepiſſe relaxationem mala . *Si* autem omne quod aſſiduum eſt & frequens , etſi ſit ſuaviſſimum, ſatietatem affert, atque injucundum aliquando eſt , cogitare ipſe poterit quantum habeat acerbitatis continuatio & amarities multorum malorum , quorum animus officina quædam eſt conſtitutus , unicam allevationem habens ex proſperis amicorum rebus : ſi hoc tollatur , & quod ſibi eſt reliquum harpyæ tollant . Ne tamen hoc fiat , Chriſtum precari , utque felix ſit , quoniam non talia ſibi ipſe erit , ſed amicis honeſtiſque ſodalibus , & Euthymio , ut verum ſit ejus nomen . Precatur ergo illi , ut ſanus ſit , progrediaturque , & ad ſe cum certo mœroris levamento revertatur .

INDEX

INDEX

RERUM ET NOMINUM.

A

Academia, Aldi Manutii pag. 204. Pauli Manutii *Ibid.* Romana cui præpoſitus Beroaldus Junior. 345. Vaticana. 293. Veneta, ſive *Famæ*. 226.
Adagiorum liber an Manutio tribui debeat? 265.
Adnotata quædam in libris ſuis a Mureto. 349.
Ἀδυφῶτες 466.
Aldina Bibliotheca Pariſiis. 208. Typographia. *V. Typographia*.
Aldus Manutius. *V.* Manutius.
Amare an valeat *bene velle*? 410.
Anconitani triremes Carolo Andegavenſi dare recuſant. XXXV.
Anni qua ratione ab Honorio IV. numerati? XXXIX.
Anſideus Balthaſar. 525.
Aſulani. *V.* Torreſani.
Aſulanus erat Antonius Bladus. 246.
Athanaſii pueri hiſtoria. 532.
Athenæi lacuna ſuppleta opera Mureti. 346.
Avancius Hieronymus Veronenſis addendus Academicis Aldi. 205.

B

Bailletus emendatus. 128. 135. 136.
Bargellinus Conſtantinus Epiſcopus Raetinus. 521.
Bargæus Petrus Angelius genethliacon Aldo Manutio ſcribit. 210.
Baſianas cur dictus Aldus. 191.
Bencius Franciſcus non adeo in Mureti rebus ſuſpectus eſſe debet. 307. *Filius* & *pater* a Mureto vocatus. 351. Illi verſionem Rhetoricorum Ariſtotelis dedicavit. 351. Plautus appellatus. 469. A Lipſio laudatur. *Ibid.*
de Beneficio Chriſti liber ſcriptus a Paleario. 124.
Beroaldus Junior. *Vide* Academia Romana.
Bononienſis urbs a Paullo Manutio laudata. 225.

a Ca-

C

a Capite fontium Chriſtophorus de Mureto . 314.
Cæſaris commentarii a Manutio editi, & nonnulla in eis a Mureto notata . 403.
Cajetani fratres a Paullo Manutio litteris inſtituti . 252. Eorum epiſtolarum codex . *Ibid.*
Canterus fragmentum Athenæi accipit a Mureto . 346. Non fuit e Vaticana Bibliotheca deſcriptum . 347. Ejus *Lectiones* . 349.
Cardanetus Horatius . 459.
Carolus Andegavenſis Paciarius . XIX. Sæpius habuit hanc dignitatem . *Ibid.* Vicarius Imperii . XXI. Capitaneus Tuſciæ . XXIII. Morbo tentatur & convaleſcit . XXVII.
Carus Annibal Paulli Manutii amiciſſimus . 202. 205. Ejus litteras colligere aggreditur Manutius . 227.
Catulli locus explicatus . 409. Lectio . 414.
Cenſus pro Regno Neapolitano primum a Roberto Guiſcardo perſolutus . XXXV. Qualis fuerit ? *Ibid.* Perſolutus Sede vacante . *Ibid.*
Chimæra Muſei Florentini . 500.
Ciceronis locus explicatus . 438. 501. 531.
Cioſanus Hercules . 369.
Columna Aſcanius Card . 583.
Conciliorum Hiſtoriæ in editione Romana Auctor . 299.
Contarenus Paulus . 203.
Copus Alanus . 531.
Cujacii judicium de Manutii libro *de Legibus* . 220.
s. Cypriani opera Romæ quanta cura edita ? 241. Marcelli II. in his recenſendis labor . 242.

D

Diſpenſationum in conſanguinitate exempla . XXVI.
Duarenus in familiam Card. Eſtenſis vocatus . 442.

E

Epigramma Mureti in Medicum loquacem . 349.
Epiſtolarum Italicarum primus collectionem inſtituit Paullus Manutius . 209. Et latinarum 221.
Epiſtolarum Manutii ad Muretum ſeries . 227.
in Epiſtolis Romanorum Pontificum dies indicatus , aut more antiquo per Nonas , Idus , Calendas . aut Eccleſiaſtico inſignium dierum Cœnæ Domini &c. XLII. In Gallia maxime vi-

viguit alter hic modus. XLIII. Prior in Epiſtolis Romanorum Pontificum antiquiſſimus. XLV. s. Gregorius I. videtur primus ordine naturali menſis dies numerando indicaſſe. XLVII.
Erythræus Janus Nicius explicatus. 352.
Eſtenſis Hippolytus Card. 339.
Excommunicationis ſententiæ ferri ſolitæ a Romano Pontif. Fer. V. in Cœna Domini, die Aſcenſionis, die Dedicationis Baſilicæ SS. AA. XXXI.

F

Faber Petrus. 529.
Fabricius Jo. Alb. emendatur. 193.
Flaminius M. A. obiit a. 1550. non 1551. 128.

G

Gellius, an Agellius dicendus ſit? 463.
Gerardus Blancus legatus in Sicilia. XXXVII. XXXIX.
Gerra Petrus Archiepiſcopus Montiſregalis quando hunc Epiſcopatum inivit. XLI.
Giphanius Obertus. 464.
Grævius caſtigatur. 125. 139. 140.

H

Hallbaveri vita Palearii. 117. Caſtigatur. 119. 125. 133. 135. 139.
Helias Jacobus. 287.
Homagii Pontifici Romano præſtiti pro Siciliæ Regno exempla. XXIII. Antiquiſſimum Roberti Guiſcardi. *Ibid.*
Homeri locus explicatus. 466.
Honorius IV. Senator Romæ. XXV.
Horatii locus explicatus. 417. 460. 461. Notata a Mureto in commentariis Lambini. 280.

I

Itali ſoli ex omnibus Latina oratione perite ac ſcienter uti dicuntur a Mureto. 319.
Italicæ linguæ ſtudium diſplicuit Viris nonnullis eruditis. 219.

L

Lambinus Dionyſius ubi natus? 267. Male ejus natalis annus a ceteris conſignatus. 267. Anno MDXLIX. in Italiam venit ex Gallia cum Card. Turnonio. *Ibid.* Romam cum eodem pergit. 269. Redit in Galliam, 270. Cum Mureto con-

conjunctio. 270. Diſſidium. 271. Romam revertitur. 274. Quæ in eius verſione Ariſtotelis notavit Muretus. 276. Reverſus in Galliam fit Pariſiis Latinarum litterarum Profeſſor Regius. 278. Paulo poſt Græcarum. *Ibid.* Quando id acciderit? 279 Quæ in ejus commentariis ad Horatium notavit Muretus? 280. Moritur Anno MDLXXII. 287.
Lampridii Benedicti mors male conſignatur anno. MDXL. 121.
Latinus Card. *Paciarius*. XVII.
Leges pro Regno Siciliæ Guillelmi II. XXXVI. Honorii IV. XXXVII. Friderici Suevi. XXXVIII.
Leo Mapheus. 197.
Lipſii Juſti epiſtolæ. 467. *Lectiones*. 473.
Logi Georgii commendatio Manutii. 200.
Lucas Ariminenſis. 463.

M

Manutius Aldus ſenior ab A. MCCCCXCIV. ad MDXV. in libris edendis egregie allaborat. 191. Quando mortuus? 192.
Manutius Aldus junior. 210. 228. 401.
Manutius Antonius Paulli frater Latinis litteris & Italicis eruditus. 206. Uxorem ducit. *Ibid.* Exulat a patria. 207.
Manutius Manutius Paulli frater. 207.
Manutius Paullus primo non ſatis bonos magiſtros nactus. 195. Incidit in morbum, ob quem librorum uſus ei a Medicis interdicitur. 195. Aliud incommodum domeſticarum controverſiarum. *Ibid.* Quæ fuerint? 196. Edendis ipſe libris operam primum navat Anno MDXXXIII. 197. Primus liber ab eo editus non fuere Ciceronis epiſtolæ familiares. *Ibid.* Italicis Scriptoribus imprimendis operam navat. 199. Græcis. 200. A. MDXXXV. Romam adducitur. 201. Redit Venetias ad veteres legendi & ſcribendi exercitationes. 203. Erudiendæ XII. nobilium adoleſcentum Academiæ adhibetur. *Ibid.* Peregrinatur a patria, ut Bibliothecas ſcrutetur. 205. Primus Italicarum epiſtolarum collectionem inſtituit. 209. Et latinarum. 221. Uxorem ducit Margaritam Odoni A. MDXLVI. 209. Ex ea ſuſcipit Aldum A. MDXLVII. Idib. Febr. 210. In eo educando diligentia. 211. Animum adjicit ad Romanas antiquitates explicandas. 211. Romana itinera. 212. Morbus & incommoda valetudo. 214. A. MDLVII. edit librum de Legibus. 219. Alia opera. 221.

221. A MDLV. Bononiam ſe confert. 223. Agitur de eo retinendo. 224. Conditionem a Card. Eſtenſi oblatam accipit. 225. Venetias redit. *Ibid.* A. MDLXI. Romam venit. 234. A. MDLXX. Venetias revertitur. 248. Cauſſa. *Ibid.* Decennium Romæ fuiſſe ſe dicit. 256. Peregrinationes. 259. Romam redit filiæ cauſſa A MDLXXII. 260. A Greg. XIII. retinetur. 261. Gravi morbo afflictatur. 263. A. MDLXXIV. Prid. Non. April. moritur. *Ibid.* De ejus filia. 264. Ejus laudes. 266.

Martene emendatus. XXIV.

Medices Julianus Archiepiſcopus. 527.

Mediolanum ante cetera regna a Carolo V. Philippo filio datum. 131.

Meliſſus. *Vide* Schedius.

Memoriæ inſignis exempla. 507.

Menagius. 308. 309.

Menſis dies qua ratione olim indicatus? XLV. *Medii* dies qui eſſent? XLVI. Menſis aliquando exprimitur, dies tacetur in epiſtolis RR. PP. XLVIII.

Morini multi litterarum laude illuſtres. 288.

Morinus Petrus natus A. MDXXXII. non anno ſuperiori. 288. In Italiam venit e Gallia. 289. Venetiis ubi erat apud Paullum Manutium Vicentiam accerſitur ad Græcas & Latinas Litt. docendas. 290. A patre revocatur domum. *Ibid.* Romam migrat. 292. Rhegii litteras docet. 292. Romam revertitur A. MDLXXV. 294. Bibliis Græcis recognoſcendis edendiſque operam navat. *Ibid.* Et Latinis. 296. Item Indici texendo. 297. Conciliorum editioni &c. 298. Deceſſit Romæ A. MDCVIII. 304. Morini Epiſtolæ. 442.

Muretus M. Antonius ſenior natus A. MDXXVI. Prid. Id. April. 305. Utrum Mureti, an Lemovici in oppido ipſo? 306. Ejus inſtitutio. 307. Pictavium ad jus civile diſcendum miſſus. *ibid.* A. MDXLVII. circ. Burdigalenſem ſcholam regebat. 308. A. MDLII. Pariſiis floret eloquentiæ fama. 311. Docet ibidem Philoſophiam & Jus civile. 312. Anno MDLIV. Toloſæ erat. 313. Eodem anno Venetias migrat. 315. quo menſe? 316. Horatium & Terentium recenſet & vulgat. 319. Commentarios ſcribit in Ciceronis Catilinarias. 320. Patavium abit. 321. Privatim, non publice ibidem docuit. 323. Conturbatur calumnia quadam. 324. Tranſ-

tranſit in familiam Card. Eſtenſis. 325. *Secretarii* munus obtinet. 458. Romam Cardinalem affectatur. 327. Et in Galliam. 328. A. MDLXIII. Romæ Philoſophiam Moralem docet. 330. A. MDLXVII. Jus civile. 333. Ejus opera de Jure civili. 334. Se munere docendi abdicat anno MDLXVIII. poſt quinquennium. 335. Poſtea ad Juris Civilis tradendi munus revocatur. *Ibid.* A. MDLXXII. humaniores litteras docere jubetur. 337. Cum a Poloniæ Rege expeteretur, augetur ei ſtipendium ad 700. Romana *ſcuta*. 330. 505. Civitate Romana ob habitam orationem in M. A. Columnam donatur. *Ibid.* & 488. De Mureti orationibus. 304. Opera Philologica. 344. Ejus nonnulla, quæ hactenus lucem non viderunt. 348. Mureti carminum editiones. 355. De Poetica Mureti facultate. 356. Miſſionem muneris docendi impetrat A. MDLXXXIV. 357. Sequenti anno 1585. moritur Prid. non. Jun. 359. Mira ejus in ſcribendo facilitas. 360. De ejus epiſtolis. 362. Fragmenta orationum nunc primum edita. 533.

Muretus M. Antonius junior. 353.

Muſurus Græcis libris edendis præpoſitus Venetiis. 192.

N

Niceronius emendatur. 135. 288. 297.

Nicolaus Patriarcha Conſtantinopolitanus multiplex. 545.

O

Ochini Bernardini fuga. 123. *Ocellus* vocatur a Paleario. *Ibid.*

Odoni Carolus. 209.

Odoni Rinaldus. *Ibid.*

Orationum Mureti numerus male auctus. 341.

Ottonis Everardi Judicium de Mureto. 333.

P

Paciarii nomen. XV. Origo muneris hujus. *Ibid.* Auctoritas. XVII. XVIII.

Palearius Aonius quando natus? 116. Roma diſcedit Anno MDXXX. 118. Senas migrat. 119. Patavium. 120. Orationes Senis ab eo habitæ. 122. Librum edidit de Beneficio Chriſti, cujus lectio Chriſtianis interdicta. 124. Senis privatim, non publice litteras docuit. 125. Lucam venit anno MDXLVI. 127. Docendi munus deponit. 128. Mediolanum evocatur. 131. Honorifice excipitur, & maximo concurſu di-

uicit. 132. ſumma litterarum laude floret. 131. Romæ ſe ſiſtere jubetur. 135. Quo anno? *Ibid.* Juſte damnatur. 136. Thuani aliorumque calumnia. *Ibid.* De ejus filiis & uxore. 140. De ejuſdem epiſtolis. 141. Editio epiſtolarum Amſtelodamenſis caſtigata. 121.
Parthenius Bernardinus. 517.
Peluſius Janus Crotoniata. 520.
Petrus Aragoniæ Rex ſacram expeditionem ſimulat. XXVIII. Ejus damnatio. XXIX. XXXII. &c.
Phrygepanis Cincius. 119.
s. Pii V. æquitas. 138.
Piſanus Cardinalis. 134.
Pontifices Romani ante conſecrationem nomen ſuum in *Bullis* exprimere non ſolebant. XXVI. Nec nomen ſuum præponere ceteris; præponebatur vero Archipreſbyteri. *Ibid.* Qua ratione annos aliquando numeraſſe videntur? XXXIX.
Præfationes Manutii in earum collectione omiſſæ vel mutatæ. 201.

Q

Quetif emendatur. 288. 293.

R

Rhambertus Benedictus. 194. Quantum ei Paullus Manutius debeat? *Ibid.*
Riparius Alexander. 365.
Romana commoratio maxime Mureto placebat. 329.

S

Salarii vox nil vile ſonat. XLI.
Sammarthani male olim conſtituerunt initium Sedis Biterrenſis Laurentii Strozzi. 269.
Scaliger Joſephus an de Mureto cum narrat, fidem mereatur? 308.
Scaliger J. Cæſar Muretum quaſi filium amabat. 309.
Schedius PaulusMeliſſus. 376. 511.
Scholaſticorum cœtus Romæ. 301.
Senarega Matthæus. 203.
Senarum urbs a Paleario laudatur. 119. Meliſſo Schedio placet. 517. In ea Germanorum juvenum Collegium. *Ibid.*
Senatoria dignitas delata a Pop. Rom. Honorio IV. nunc primum aſſeritur. XXV. Martino IV. XXIV.
Seripandus Hieronymus Cardinalis Paulo Manutio favet. 232. Sigo-

Sigonii epiſtolæ ad Muretum. 437.
ad Solarium quid ſit? XLI.
Statii Achillis epiſtola ad Muretum & carmen. 435. Liber imaginum. 404.

T

Terentii locus explicatus. 415. 416.
Theodorus Nicænus, ejuſque epiſtolæ Græcæ nunc primum prolatæ. 545.
Thuanus caſtigatur. 137.
Tiberis inundatio. 516.
Torneamenta vetita a Nicolao III. XL.
Torrentius Lævinus. 494.
Torreſani Aſulanos ſe dicebant. 194. Præfationibus libros ornant. 193. Eorum controverſiæ cum Paullo Manutio. 196. Aſulanorum & Manutiorum ſocietas dirempta anno MDXL. 206. Andreas. 192. 193. 196. Bernardus. 208. Franciſcus, & Fridericus. 193. Hieronymus. 207.
Typographia Manutiana ſilet ab A. MDXXIX. ad MDXXXIII. 194. Quam multi libri ab ea prodierint anno uno MDLIV? 221. Romæ inſtituta. 235. Quæ opera emiſerit? 236. Qui Cardinales eidem præfuerint? 239. Romana 232. In ædibus Populi Romani. 245. Vaticana. 245. Cameræ Apoſtolicæ. 246.
Typographiæ Apoſtolicæ inſtitutum. 301.

V

Veſianus Ord. Min. *Paciarius*. XVII.
Veſperæ Siculæ dictæ? XXVIII.
Victorii inſcriptio librorum Politicorum Ariſtotelis. 503
Virgilii locus explicatus. 408. 525. 526.
Virtus quid ſit. 400.
Urbs vetus ne a militibus Petri Aragonii occupetur, cavet Martinus IV. XXIX.

Z

Zeno Apoſtolus illuſtratur, aut emendatur. 199. 210. 230. 233. 234. 250.

FINIS.

JO. ANTONIUS TIMONI
VICARIUS GENERALIS
Societatis Jesu.

CUm Librum, cui titulus = Miſcellaneorum ex Mſs. libris Bibliothecæ Collegii Romani Societatis Jeſu Tomus II. = a Petro Lazeri Sacerdote ejuſdem Societatis, aliquot noſtri Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo Officii noſtri munitas dedimus. Romæ 8. Decemb. 1757.

J. Antonius Timoni.

ADPROBATIONES CENSORUM

EN alteram Miſcellaneorum partem, quam ex manuſcriptis Bibliothecæ Collegii Romani Codicibus erutam Clariſs. Vir Petrus Lazeri Soc. Jeſu Presbyter typis edendam commiſit. In ea Pontificum Romanorum, ac Mureti, Paulli Manutii, aliorumque Latinæ Epiſtolæ permultæ, Nicolai Patriarchæ Cpolitani, Theodori Nicæni, & Prodromi Græcæ aliquot nunc primum in lucem prodeunt, Præfationibus, Adnotationibuſque ab Editore doctiſſimo refertæ, quibus & Manutiorum, ac Mureti res enodantur, & Literaria ſæculi XVI., in Italia præſertim, hiſtoria mirum quantum illuſtratur. Quum Epiſtolas, tum quæ Editor addidit de ſuo penu, Rmi P. Joſephi Auguſtini Orſi

Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici juſſu, libentiſſime pervolutavi, ac attentè legi; quodque nihil ex earum lectione Catholicæ Fidei, vel bonis moribus damni, aut periculi impendere poſſit, dignas cenſeo, quæ in omnium manus typorum ope deveniant. Dat. A. CIↃIↃCCLVII. a. d. X. Kal. Januar.

Proſper Petronius.

Reverendiſſimi P. Joſephi Auguſtini Orſi Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici juſſu attente perlegi volumen, cui titulus: *Pontificum Romanorum Epiſtolæ XXX. ſæc. XIII. ſcriptæ. Aonii Palearii* XXV. *Mureti, & ad Muretum Cl. Vir. Ep. Selectæ nunc primum editæ*: opera & ſtudio Cl. V. Petri Lazeri S. J. Presbyteri utilitati publicæ elaboratum. Nihil in eo deprehendi Catholicæ Fidei, probiſve moribus non conſentaneum; Hiſtoriæ autem tum Eccleſiaſticæ, tum civili Epiſtolis nunc primum editis, & Cl. Editoris eruditis Præfationibus lucis plurimum allatum iri in me recipio. Quamobrem typis mandandas eſſe cenſeo.

Ex meo domicilio in civitate Leonina Calendis Nov. 1757.

Cajetanus Cennius.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo P. M. S. Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Pat. Conſt. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Ord. Præd. Rmi P.M.S.P.A. Soc.

Digitized by Google

Digitized by Google

Google